R-4582

FABRI, Antonio

De Montisferrati ducatu contra ser. ducem Mantuae pro serenissimo duce Sabaudiae consultatio / Antonii Fabri... — Lugduni: Apud Iacobum Rou-

ssin, 1617

DE MONTISFERRATI DVCATV

CONTRA SER. DVCEM MANTVÆ;

PRO

SERENISSIMO DVCE SABAVDIÆ

Consultatio

ANTONII FABRI [illegible] Sebusiani, Sermi. SABAVDIÆ DVCIS
Consiliarij ab intimis, & [illegible], & Sabaudiæ Senatus
Præsidis Primarij, & Sabaudiæ Senatu

Cum Indice Titulorum, Legumque explicatarum, & applicatarum
omnium materiarum copiosissimo.



LVGDVNI,
APVD IACOBVM ROVSSIN.
M. D C. XVII.

AD SERENISSIMOS REIPVBLICÆ CHRISTIANÆ PRINCIPES, AC MODERATORES VNIVERSOS,

ANTONIVS FABER S. & F. P.

SOLEMNIS mos ille fuit omnium, qui à primis ferè Ninì temporibus de bello siue inferendo, siue excipiendo laborarunt (SERENISSIMI QVOTQVOT VBIQ. TERRARVM CHRISTIANAM REMP. SAPIENTER GERITIS AC REGITIS PRINCIPES, ET MODERATORES) vti ne priùs vincendi spem, votumque animo, & cogitatione conciperent, quàm id egissent, quoadeius in ipsis esset, vt bellandi causas habere se iustissimas non modò crederent, sed exteris quoque omnibus, adeóque ipsis etiam, si fieri posset, hostibus persuaderent. Neque id ob hoc solùm, ne tot calamitatum, quas belli quantumuis iustissimi secum trahit infelicitas, materiam præbuisse, atque ita publicam hominum execrationem, & inuidiam in caput suum concitasse viderentur; verùm etiam vt, quod bellaturis præcipuum esse debet, optatæ victoriæ spem, quæ & ipsa difficilis plerumque est, certioribus istis,

quàm aliis vllis, vel auſpiciis, vel auguriis ſibi compararent, eáque non tam expectatione, quàm fiducia, curas illas ingentes bellicas, quæ ex tot periculorum metu, conflictuque proficiſcuntur, interea ſuauiſſimè recrearent. Et verò quemadmodum primam bellorum cauſam, atque originem nequitia eorum peperit, qui ſocietatem, & cognationem illam, quam inter omnes homines Natura conſtituerat, priores violare auſi, vt ſua facerent omnia, quæ ſummus naturæ parens Deus Opt. Max. etiam aliorũ, citra iniuriam tamen, eſſe voluerat, nihil nõ turbarũt audaciſſimè, fas, & nefas impudẽtiſſimè miſcuerunt: Ita nec quicquam eſt, fuítve vnquam apud probos rerum humanarum æſtimatores, quod tam iuſtum efficere bellum poſſit, quàm ſi propulſandæ grauioris alicuius iniuriæ neceſſitas faciat neceſſarium: vt eo veluti remedio, naturale ius violatum vindicari per ius gentium potiùs, quàm iterum violari exiſtimetur. Nec vnquam ſanè tanta illa Romani maieſtas Imperij ad eam vſque magnitudinem excreuiſſet, quam vniuerſa eſt admirata antiquitas, vix ipſa tandem credet poſteritas, ſi non ab ipſis quodammodo naſcentis Reipub. cunabulis, eam ſibi, ſuisque viuendi rationem primi vrbis conditores, pro conſtanti perpetuaque lege præſcripſiſſent, præſcriptamque religioſiſſimè tenuiſſent, vt aliter nunquam ad arma decurrerent, quàm ſi vel iniuria laceſſiti fuiſſent ipſi, vel ad ſuppetias ei ferendas, quem veſana potentioris Tyrãni audacia vexaret, atque opprimeret, inuitati. Adeò illi bellis omnibus feliciter, vtiliterq; gerẽdis rationem conſtare voluerunt, aut Neceſſitatis, aut, ſi quando minùs vrgeret neceſſitas, ſaltem Pietatis,

quæ

quæ optimo cuique pro neceſsitate eſt, Sẽper Honeſtatis. Nec priùs de tantæ Reip. excidio, aut quæ, excidium præcedere ſolet, inclinatione metuendum quicquam, vel ſuſpicandum fuit, quàm vox illa Euripidis

Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρῆ, Τυραννίδος πέρι κάλλιστον ἀδικεῖν, τἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών.

à Iulio Cæſare è Græcia Romam tranſlata, peſsimoque exemplo non citiùs audita Romæ, quàm facto ipſo laudata fuit; Si violandum ius eſt, regnandi cauſa violandum; in cæteris pietatem colendam eſſe. Neque rurſum ipſa Græcia, vel ſi quis altiùs repetere rem volet, ipſi etiam, Aſſyriorum, Medorum, Perſarum, Macedonumque Reges in hoc ſolo Romanis pares, quòd totius penè orbis æquè affectatum imperium magna ex parte occuparunt; ſuperiores etiam in eo, quòd primam affectandi laudem, quæ non poſtremum in ambitione gradum obtinet, ex temporum ordine ipſis præripuerunt, Aliam ſanè tam latæ, ac in immenſum penè excurrentis dominationis adeò breui annorum ſpatio concludendæ cauſam habuerunt, quàm quòd ſic affecti, & comparati eſſent, vt omnia vi agere mallent, quàm ratione; ſatisque iuſtam ad vincendum bellandi neceſsitatem illam eſſe crederent, quòd vellent & poſſent vincere. Stratagema Naturæ fuit, inquiebat ille, naſci hominem rationis expertẽ, ne ſcilicet naſci puderet illum, pigeretque, qui ſe tot ærumnis, & miſeriis obuium, tot periculis ac infirmitatibus obnoxium fore proſpiceret: At vbi cum ætate ratio adoleuit, ſic hominem viuere, quaſi rationis expers maneret, non ſtratagema iam, ſed mendacium eſſe dicerem Naturæ, quæ pro homine belluã peperiſſet.

Quid enim ferinum magis, vt ita dixerim, & belluinum eſt, quàm vt ab alio velit quis, & audeat, ſiue aperta vi, ſiue ſubdola extorquere, quod ſola rationis authoritate poſsit ac debeat euincere? & in deficientis rationis locum, vim ſubſtituere, denique in armis, in quibus nihil niſi vis eſſe poteſt, ius ipſum collocare? Quid immanius, & humanæ condicionis dignitate indignius, quàm infeſtis gladiis, velut cornibus, facultates, innocentiam, poſtremò vitam illorum inuadere, quos contra vim, & iniuriam tueri ſola ratio deberet, ſi cum iis ageretur, qui tam verè eſſent rationis participes, quàm impudenter ſe homines eſſe mentiuntur. Contra quos ſi quando armis aduerſis dimicandum ſit, vt nihil aduerſus vim ſine vi fieri poteſt, an non meritò inculpatum credendum eſt factum eius, qui vim vi repellit, vt nec alius, quàmqui priorem intulit, vtramque intuliſſe videatur?

ENIM VERÒ cùm ad Principes omnes iſta pertinent, quos vtique deceret pro ſua grauitate, morumque integritate, tanto ferè à cæteris hominibus diſſitos eſſe interuallo, quanto vulgus hominum à reliquis diſtat animantibus; Tùm maximè ad Principes Chriſtianos, qui nõ minùs religione, quàm ratione, magiſque à Dei Opt. Max. gratia, quàm à natura ad benè viuendi, ac ſapienter imperandi regulas formati, informati, efformati, non ſolùm humanitatis, ſed etiam conſciẽtiæ vinculis obſtringuntur, ne tam facilè ad arma proſiliant, totque cædibus, ac rapinis vaſtatam miſerè Rempublicam Chriſtianam lacerent, & diſcerpant: Quam non modò ſartam tectam ab iis conſeruari diligentiſſimè oporteret; ſed etiam,

etiam,si fieri posset,augeri potiùs,vt de paganis, hæreticis, & aliis,si qui sunt, humani generis hostibus triumphando,sacrosanctæ Fidei nostræ fines,peranguſtos certè, si cum reliqua orbis parte conferantur, quàm latissimè propagarent.Quamquam autem ipsis rerum experimentis, nec absque summo Christiani nominis malo, ac dedecore compertum est, quàm plurimos superiorũ ætatum Principes, ad bella quæque etiam in Christianos, pro arbitrio mouenda, quàm ad tuendam pacem publicam propensiores,sic animatos fuisse, vt præcipuã ex bellicis trophæis inde reportatis gloriam quæsisse videantur;Liceat nra[illegible]men per vos obsecro (SERENISSIMI PRINCIPES) Liceat citrà [illegible]ationis, nis inuidiam dicere,quod vestrûm neminem, vel adulatio- vel dubiũ esse potest, Ex tot tantisque Princip[illegible]bscurũ, nostra habuit primùm Comites, deinde Duces Sabaudia,ne vnum quidẽ fuisse, cuius gloriæ, & memoriæ exprobrari tale quid iure possit. Habuerunt omnes à Deo Opt. Max. singulari ac præcipuo quodam cœlestis gratiæ dono,vt quamuis non plura ferè negotia,quàm bella tractauerint; nec pauciores penè victorias,quàm prælia numerarint; nunquam tamen ad arma proruperint, nisi cogente vel necessitatis ratione, qua nihil potentius; vel pietatis veneratione, qua nihil ad permouendos animos, & ad maxima, ac periculosissima quæque audenda efficacius. Testantur hoc tam multæ, tamque honorificę ab Humbertis,Thomis,Amedeis,Ludouicis nostris in trãsmarinas, & remotissimas quasque Orientis regiones pro Christianæ religionis, non tam salute, quàm dignitate vltrò susceptæ, non, vt ab aliis,peregri-

nationes, ſed militares, quod à paucis, expeditiones; ex quibus totidem exinde ſecutæ, relatæq; victoriæ. Teſtantur receptæ Solymę, conſeruata Rhodus, Turci, Soldani tam ſæpe pulſi, fugatíque. Teſtantur denique tam multa, quibus eorum plerique claruerunt miracula: Inter quos, ne ſi in aliis ſingulis recenſendis longior ſim, hiſtoriam parare videar, Amedeus ille octauus, iam inde à quo primùm tempore terris euolauit, tacito Eccleſiæ totius conſenſu Beati cognomen nactus, tandem dignus probatus eſt, qui pro tot miraculorũ, tantæq; ſanctitatis fide certiſſima, etiam in Sanctorum numerum, quod breui futurum eſt, relatus publicè pronuncietur: Ne dubitari poſſit, quin acceptiſſima fuerint cœlo prælia, quæ tanti Principes pro Chriſtiani nominis propagatione, non minùs piè, quàm proſperè terra, mariq; peregerunt. Hinc illa tam immenſa diuinæ bonitatis, & liberalitatis erga eos, eorumq; ſucceſſores dignatio, vt non ſolùm ditione ad imperandum fruerentur ampliſſima, & quanta poſt Reges maiores vix quiſquam alius; ſed etiam, inde iam ab annis circiter ſeptingentis, adeò longa, proſpereq; continuata, & propagata Principũ ſerie, vt ex communi parentum omnium, & naturæ voto aſcendentibus deſcendentes ferè ſemper ſucceſſerint, patruus aliquãdo, patruelis nunquam; Quod vnum neſcio an alij familiæ, non dicam ex Principalibus & Illuſtrioribus, ſed vel priuatæ vlli poſt conditum terrarum orbem à Deo. Opt. Max. datum ſit beneficiũ. Et-ſi leuius hoc certè eſt, quàm vt tantum videri poſſit, quantum eſt, ſi cum eo conferatur, quod ſicuti longè diuinius, ita mirabilius ſemper mihi viſum fuit, In tot Comitibus, in

tot

tot Ducibus extitisse neminem, qui non fuerit, vno omnium iudicio, erga Deum pientissimus, cultusque diuini obseruantissimus; erga subditos optimus; in omnes liberalissimus; in hostes clementissimus; in amicos officiosissimus; in bello fortissimus; in pace continentissimus; in cæteris omnibus, vt prudentissimus, ita iustissimus. Quid addam? In cuius virtutibus non sit visa elucere clarissimè insignis quædam imago, & idea diuinitatis, tanto expressior atque illustrior, quanto in aliis plerumque demissior, & obscurior, nec nisi adumbrata nescio quæ species humanitatis.

NEC MINORE felicitate, & admiratione dignus Sereniss. Dux Carolus Emanuel Princeps meus, eo maior suis factus, & præclarior maioribus, quo pluribus & grauioribus rerum casibus agitatus, maiores ille, ac præstantiores habuit occasiones exhibendarum velut in folle virtutum omnium, quas illi singulares quidem veriùs, quàm singulas habuerunt; sed non semper tamen simul, & eodem, vt ille, tempore exhibere potuerunt. Hoc vno tãtùm inferior, quod in miseriora incidit tempora, quorum infelicitate factum est, vt ex tam multis adeò fortiter exantlatis laboribus, nihil nisi pietatem, ac magnanimitatem pleniorem respirantibus, minùs vberes tamen fructus retulerit, si ex emolumenti quantitate magis, quàm ex honestate, & gloriæ amplitudine æstimare quis eos velit: Relaturus proculdubiò longè vberiores, ni eorum potentia, & authoritas obstitisset, qui generosissimis eius conatibus fauere, vt par erat, potiùs, quàm inuidere voluissent, (quidni enim benignè de illis ita

ſuſpicari liceat?) ſi paſſa fuiſſet tanta rerũ omnium perturbatio, maiorem ab ijs rationem haberi dignitatis, & officij, quàm priuatæ vtilitatis, quæ iam ferè pro ſuprema lege, quaſi pro ſalute populi à pleriſque ſic habetur, vt eam rebus omnibus anteponant: quotquot ſcilicet in rebus agendis inter peritiſſimos prudentiſſimi, & inter prudẽtiſſimos perſpicaciſſimi hodie videri velint. Adeò ſuam fingit ſibi quiſque honeſtatem pro arbitrio, vt eam ex vtilitate, non, quomodo fieri oporteret, vtilitatem ex honeſtate metiatur. Quamquam neque temporum infelicitas, neque iſtorum inuidia facere potuit, quin hanc Princeps religioſiſſimus pietatis ſuæ laudem, ac veluti remunerationem à Deo Opt. Max. ſit conſecutus, vt ſolus fortaſſe inter Chriſtianos Principes peculiari quadã felicitate gloriari poſſit, in tam deformi tot Religionum in dies variantium, & fluctuantium difformitate, non modò reſtitutam à ſe fuiſſe perhonorifico poſtliminij iure ſacroſanctæ Fidei noſtræ vnitatem in ampliſſimis Prouinciis, vnde iam ante ſexaginta annos hæreſis exulare illam miſerè coegerat: ſed etiam, quod rarioris felicitatis fuit, nec minoris induſtriæ, ne vnum quidem eſſe in tam vaſta ditione ſubditum, qui aliam religionem aut publicè profiteatur, aut priuatim colat, quàm quæ Catholica, & Apoſtolica, id eſt, Romana: ſi excipiantur illi, qui hoc ipſo mutandæ religionis, ſiue ſtudio, ſiue prætextu, obedientiæ iugum excutere voluerunt, Superioritatis non potuerunt. Nec minùs rarum in eo quoque, vt arbitror, beatitatis exemplum, quod in medijs tot vndequaque circumſtrepentium bellorum tumultibus, dominationem obtinet pacatiſſimam, ab omni diſcordiarum

diarum quoque ciuilium periculo,metúque liberam, ac immunem: & in tanta temporum, ne dicam hominum perfidia,cui nihil ſanctum, nihil inuiolabile videri iam poſsit,adeò conſtantem ſuorum omnium erga ſe fidem, obſeruantiam,& pietatem perpetuò expertus eſt,vt nullius vnquam vel dubiam,vel mendacem. Lubet,quando per vos licet,(SERENISSIMI PRINCIPES)ad publicas iſtas felicitates priuatam addere,ſed quæ tanta eſt,vt etiã publicas cumulare facilè poſsit: Tot nimirum vtriuſque ſexus liberos, tot Principes Sereniſsimos,ad quantamcumque virtutis & gloriæ amplitudinem feliciſſimè à Natura progenitos, ſtudioſiſsimè à doctrina excultos, perfectiſſimè ab exercitatione confirmatos, quibus nihil dignius fingere Natura potuit, nihil doctrina formare præſtantius, nihil exercitatio ipſa elaborare perfectius, nihil denique noſtra ætas, nec ſi eſſet aurea, vel mirabilius ferre, vel amabilius: vt ſi quis eos Naturæ miracula, & orbis delicias eſſe dixerit,minùs fortaſſe quàm id quod res eſt, dixiſſe videatur. Etſi autem illa vulgi opinio eſt, inter fortuita numerandum, vt quis liberos habeat,vt bonos, & quod omnium ſicuti maximum, ita rariſsimum eſt, vt omnes bonos, & quales optari debuerint: Et contrà vt eum viciſsim patrem filius habeat, cuius gloriari ſe filium iure poſsit: Attamen nec moribus noſtris conuenit credere, cuiquam mortalium, præſertim verò Principibus, iſta contingere abſque diuinæ præſcripto prouidentiæ: nec proinde dubitandum eſt, quin prior pater dignus fuerit eos habere filios, qui tanto patre digni aliquando & ipſi forent. Felix iſta non tam animorum, quàm virtutum contentio, & æmulatio, planè di-

gna, quæ paterni affectus, amorisque lachrimas exprimat ſuauiſſimè, ſi quando ea ſit patris dignitas, ea liberorum claritas, vt non facilè diſcerni poſsit maioríne pater liberis, an liberi ſint patri ornamento. Niſi quod ſi quando liberis tantus debetur honos, deferturque, totus quantus eſt ad patrem recurrit, quoties pater ille eſt, à quo per liberalem educationem liberi habeant non tantùm vt ſint, quod per ſe parum eſt, ſicuti cætera quæ non poſſunt non eſſe; ſed etiam, quod tanto maius eſt, quanto rarius, vt ſint tales. Quæ tamen omnia non idcircò à me dicta videri velim, vt quicquam de aliorum laudibus detraham, quibus addere ſi poſſem cuperem potiùs, & deberem: ſed vt omnes intelligant, Principis mei æmulos, gloriæ ac felicitati eius inuidere potuiſſe; at gloriam ipſius ſuggillare, & felicitatem minuere non potuiſſe.

CVM verò ſapienter ille omnia, & ea ſemper, qua maximum Principem maximè decuit, moderatione, tùm illud ſapientiſsimè, ſi quid mei iudicij eſt, & moderatiſſimè, quod tam multas habens iampridem, támque iuſtas Montisferratenſis Marchionatus, nunc Ducatus nobiliſsimi non ambiendi iam, ſed perſequendi, & repoſcendi cauſas, à quo tempore Dux effectus Sabaudiæ in paterna ſucceſsit, auitaque iura omnia, quibus mors vltimi Marchionis Paleologi, quæ huic controuerſiæ materiam præbuerat, viam quoque aperuiſſet: Nihil tamen per vim tentare, nihil infeſtum moliri voluit; ſed quod vix alius quiſquam poſt læſam per tot annos patientiam facturus fuerat, non niſi de lite, quam auus Carolus

rolus eo nomine inſtituerat, vel peragenda, vel componenda cogitauit: Adhibitis ante omnia in conſilium, vt in tanti momenti negotio fieri oportuit, quod & D. Emanuel Philibertus pater iam fecerat, nobiliſsimis quibuſque Galliæ, & Italiæ Iureconſultis, ex quorum fide, ac eruditione exploraret diligentiſsimè, an rebus per Imperiales pridem delegatos quoquomodo iudicatis ſtandum eſſet: an in ea potiùs ciuili ſupplicatione, quæ ad earum authoritatem ſubuertendam ab eodem Carolo impetrata fuerat, perſiſtendum. Et cùm vnanimi omnium voto comperiſſet, non poſſe illam iure defendi ſententiam, quam à propemodùm inuitis Iudicibus, non error iuris & imperitia, ſed gratia, pro qualitate, & condicione temporum, vt verba illa ſentẽtiæ demonſtrant, [*& qualitati temporum conuenire,*] contra manifeſtiſsimam rationem extorſiſſet (quid enim melius, aut verius dici poſsit, vt de tantorum hominum minùs detrahatur exiſtimatione?) Non tamẽ deſtitit vrgere modis omnibus, vt de totius litis iure, vel iniuria, per arbitros familiari ac priuata diſceptatione cognoſceretur: Præſertim quantum ad eam Montisferrati partem, quæ citra Padum, & vltra Tanagrum conſtituta eſt: de qua Cæſarei delegati nihil in petitorio pronunciare auſi, ſolam poſſeſſorij quæſtionem terminauerant: reliquam de proprietate controuerſiam, quæ, vt noſtrorum verbo vtar, poſſeſſorium abſorbere debuerat, in proximè tùm ſequentem annum iudicandam diſtulerant. Quidni enim ſperaſſet fore, vt faciliores Sereniſſimorum Mantuæ Ducum experiretur voluntates, in reſtituendis interim ijs ſaltem oppidis, caſtris, & locis, quæ ſcirent illi nullo ad ſe iure

pertinere: & de quibus, quod ad proprietatis cauſam ſpectaret, nullum penitùs ne quidem rei perperam iudicatæ prætextum poſſent obtendere? Erubuerant nimirum Iudices, hanc quoque Montisferrati partem Sereniſſimo Duci Carolo eodem iniuriæ impetu euincere; Et iura ipſius tam aperta, quæ ignorare non poterant, diſsimulare rati facilius, & commodius, maluerant nihil hac de re, quàm malè pronunciare: Cùm tamen eos non puderet de cæteris omnibus, non tam aduerſus Ducem Carolum, quàm contra ius pronunciando, tantam vim feciſſe legibus, & iniuriam, abſit veritati inuidia, pro iure reddidiſſe. Atque vtinam idem pudor, qui eorum onerabat conſcientiam, ſic etiam oneraſſet modeſtiam, vt litem totam in meliora tempora, meliore genio, & ingenio dirimendam reliquiſſent. Haberemus hodie Sereniſsimi Ducis mei iura non quidem vel clariora, vel certiora; ſed illæſa tamen, & ea, qua decebat, religione Iuſtitiæ conſeruata: Neque in eo nunc laborandum nobis eſſet, vt aduerſus iniuriam remedium, & auxilium quæreremus; ſed in hoc tantùm, quod facilè poſſemus aſſequi, ne vllo iam vel remedio, vel auxilio, egeremus. Nec ſanè tam mirum eſt, non abſtinuiſſe ab inferenda iniuria eos, qui ſic affecti erant, vt ad dignitatem ſuam pertinere arbitrarētur, maximam temporum, nullam legum habere rationem, quàm illos qui verecundiæ fines ſemel tranſilijſſent, adeò tamen ſibi temperaſſe, vt à grauioribus damnis irrogandis abſtinuerint, quæ per eandem ſiue erroris, ſiue iniuriæ occaſionem irrogare potuiſſent; & fortaſsis, ipſa etiam impellente ratione, quæ ex errore nihil niſi errorem naſci patitur,

debuiſ

debuiſſent. Niſi fortè nouo exemplo teſtatum facere voluerunt, quod vix quiſquam poſsit credere, in media quoque intemperantia temperantiæ laudem aliquam quæri poſſe. Quamquam vel ob hoc ipſum proniores eos eſſe decebat ad ferendam pro nobis de Montisferrati parte ſententiam, vt in cæteris, de quibus contra nos pronunciauerant, nihil aut imperitè, aut iniuſtè; ſed omnia ex arte, & conſcientia feciſſe crederentur.

QVID autem, obſecro, cauſæ eſſe potuit, vt litis iam tùm inſtructiſsimæ, & ad coronidem perductæ deciſionem, [*ex ijſdem actis faciendam*,] vt verba ſentẽtiæ habent, in annum proximum reſeruarent, niſi vt aſtuto conſilio, & quaſi ſalua, vt ſibi videbantur, exiſtimatione aufferrent nobis honeſtiùs, quod ſine cauſa differrent; indeque ſuſpicandi materiam omnibus darent, fore quod euênit, vt neque pro nobis intra annum illum iudicaturi eſſent, quia nollent; neque contra nos, quia non auderent, in tanta licèt malè iudicandi licentia, & impunitate? Aut cur non hoc etiã ad publicam vtilitatem pertinere crediderunt, vti ne per tot annos, quod ab ijs factum eſt, rem indeciſam relinquerent, nec tam litium, quàm bellorum ingentem materiam creſcere paterentur, qui per definitionem totius negotij, vel iniquiſsimam, omnes longioris diſsidij cauſas profligare iuſtiùs, & præſcindere potuiſſent? Excuſationem iuſtam, ſcilicet, præbere illis potuit, quod Sereniſs. Dux Carolus ſub idem ferè temporis vniuerſo Ducatu Sabaudiæ ſpoliatus, & pro tuenda Subalpina prouincia bellis iactatus perpetuis, quòd in Caroli Quinti Cæſaris ſororij ſui partibus, conſtanter

ſtanter magis & honeſtè, quàm feliciter perſtitiſſet, exinde cogitandum altiùs,& laborandum habuerat de ſuæ dominationis ſtatu partim conſeruando,partim recuperando,quàm de proſequenda lite. Nec melior, aut commodior D.Emanueli Philiberto,poſt patris mortem litigandi opportunitas,quem iuſtius multo fuit,&dignius, totis animi ac ingenij neruis in eam duntaxat curam incumbere, vt,quod feliciſsimè tandem aſſecutus eſt, omnia quæ per iniuriam pater amiſerat,non minore virtutis bellicæ gloria,quàm ſingulari quadam animi fortitudine recuperaret:verúmque eſſe oſtenderet, quod peculiari iactare ſolebat prouerbio, [*Etiã ſpoliatis arma tamen ſupereſſe.*] A quo tẽpore totius receptæ dominationis,quid non egit ille per literas,primùm ad Guillielmum Ducem Mantuæ, vt hæc tota controuerſia, vel tranſactione, vel iudicio,quàm primùm dirimeretur?Deindè ad Maximilianum Imperatorem, vt quæ delegati Iudices intra annum ſe facturos receperant, poſt quadraginta ſaltem annos præſtarentur. Quibus tamen & literis, & interpellationibus, quid aliud aſſecutus eſt, niſi vt per longioris occaſionem patientiæ, tanto iuſtioris querelæ cauſam ſibi, ſuiſque compararet? Néue iuris ſui perſecutionem, aut omninò neglexiſſe, aut diuturniore ſilentio deteriorem feciſſe videretur? Patientia fuit illa, & meliorum temporum expectatio, non ſilentium,non negligentia. Pudebat credo tantum Principem pacis otia,quibus pleniſsimè fruebatur, proprijs litibus tractãdis terere, quem eximiæ & ſingularis prudentiæ fama percelebris,alienarum, quæ tùm inter Chriſtianos Principes verſabantur, arbitrum ferè vnicum fecerat, & conciliatorem. Poſtquàm

quam autem vita functus ille est, relicto iurium suorum, virtutúmque omnium successore Carolo Emanuele, vix tùm adhuc pubertatem plenam ingresso, fuit is quoque à suscipienda litis prosequendæ solicitudine tanto alienior, quanto pluribus, & grauioribus curis, ac ferè semper bellicis irretitus, ne ad leuiores istas animum adpelleret, prohibitus fuit, & necessitate temporum, & maiorum expediendarum rerum, quas in manibus habebat, dignitate. Ac quoniam ab ineunte propemodùm dominatione susceptis pro Fidei nostræ, siue tuitione, siue propagatione, nunc in hos, nũc in illos bellis quamplurimis, eam sibi iam tùm dixisse legem videbatur, vt neque aliud vnquam bellum, quàm pro Religione susciperet, neque Religionis salute antiquius quicquam haberet, quis miretur suas illum vtilitates tandiu deseruisse, maiorémque boni publici, quàm priuati sui compendij rationem habuisse?

NEQVE tamen adeò neglexisse litem videri potest, vt non sæpiùs cum Sereniss. Ducibus Mantuæ, tam per literas, quàm per legatos egerit, quantum in ipso fuit, vt vel iudicati disceptatione; vel, quod erat facilius, & optabilius, bonis & æquis condicionibus à lite discederetur. Quàm sæpè ob hanc causam hinc inde missi, qui ea quæ ad componendum negotium conuenientiora videbantur, proponerent, discuterent, terminarent? Quàm multi etiam tractatus habiti? Quàm variæ vtrimque expositæ pacis condiciones? sed in quas neque Nostri, neque Mantuani conuenire vnquam potuerunt, dum illi res iudicandas ex iudicatis, quibus superbiunt, metiun-

tur; noſtri è contrariò, malè iudicatas ex meliùs iudicandis. Tandem fruſtrà, diuq; tentatis cæteris omnibus præclarè ac feliciter, nec ſine ſumma Dei Opt. Max. prouidentia cecidiſſe videbatur, vt contrahendi inter Sereniſſimas familias matrimonij præberetur occaſio, conſilium caperetur, ipſa etiam res ſequeretur. Quid enim felicius vel ſperari, vel optari poterat, quàm vt hoc veluti remedio, tantorum Principum diſſitæ voluntates, quod inter Principes maximè fieri ſolet, decétque, arctiſsimo neceſsitudinis & adfinitatis vinculo coniungerentur: vtque ex conuentionibus nouis dotalibus finem lis acciperet, cui pacta æquè dotalia prę cipuam dederant, primámque cauſam? Quod ſi indeciſum aliquid manere neceſſe eſſet, vtique tanto facilior inter amiciſsimos & coniunctiſsimos Principes futura ſperari poterat tranſactio, quanto difficilius eſt, vt qui animis, & vtilitatibus omninò diſſident, in tale quid conſentiant, quod vni, quàm alteri commodius fore videatur. Sed proh dolor! vix per quinquennium ſteterat matrimonium, cùm Sereniſs. Ducis morte, filia vnica, maſculo nullo ſuperſtite, diremptum eſt. Hinc noua diſcordiarum materia, nouarúmque iniuriarum ad veteres facta non mediocris acceſsio, dum neque dos filiæ, at vix filia ipſa patri redditur; neque matri filia, neque neptis auo, ad quem ſanè pupillæ ſaltem educatio pertinebat. Tantùm abfuit, vt de Ducatu reſtituendo, aut de componenda lite tractari quicquam, aut ſperari ampliùs poſſet.

HIC VERÒ quid faceret Sereniſsimus Dux Sabaudiæ? Aut quid facere debuiſſet, obſecro, ſi, vt aduerſarij

ſarij criminantur, belli, quàm pacis vota ſequi maluiſſet? Quid enim fuiſſet ei facilius, aut honorificentius, quàm pacatis iam proſperè cæteris omnibus, conſilia, & arma omnia ad Montisferrati reſtitutionem extorquendam conuertere, totque iniurias non tam ſibi, quàm legibus factas, armis proprijs ſemper victricibus vindicare? Neque tamen vt id faceret, quod ratio ſuadebat, iubebat vtilitas, neceſsitas ipſa premebat iam ferè, cogebatque, perſuaderi priùs potuit, quàm nouis, ijſque grauiſsimis affectus iniurijs, & fruſtrà propoſitis iterum, atque iterum, ac deſperatis condicionibus pacis, in eas ſe coniectum vidit anguſtias, vt nec deliberationi locus ferè vllus relictus videretur, an mouendum eſſet bellum, quod nemo non videret, etiam ſalua lite, litiſque reuerentia, iam eſſe neceſſarium: Statimque primo impetu Tridinum, Albam, Montemcaluum munitiſſimas Montisferrati arces, vt cæteras taceam, adgreſſus, non citiùs ferè oppugnauit, quàm expugnauit: ne poſſent dubitare aduerſarij, quàm facilè idem de reliquis, & quàm breui facturus fuiſſet, niſi potentiſsimorum Regum authoritas interpoſita, maioribus, & præſentiſsimis eius conatibus obſtitiſſet, eique iam partæ victoriæ, non quidem gloriam, ſed pleniorem tamen fructum ademiſſet: Aut niſi potiùs in media concitatione victoriæ, eam ſibi legem ac moderationem dixiſſet, vt ab armis continuò diſcederet, ne Italiæ, &, quod fermè conſequens erat, totius propemodùm Europæ tranquillitatem turbaſſe crederetur, ſi quàm facile fuerat illi vincere, tam celeriter, & incunctanter, quod vtique pro ſuo iure facere poterat, vti victoria voluiſſet. Cúmque ſibi ad pleniſsi-

mam victoriæ gloriam ſatis eſſe crederet, non tam quòd hoſtem ita cœpiſſet vincere, vt conclamatum iam videretur, quàm quòd ſe ipſum viciſſet cumulatiſſimè; O miram, rarámque victoriam! Adeò procliuis fuit ille ad audiendas iterũ pacis condiciones, quas propoſitum iri iactabatur, vt priùs etiam, quàm vllæ proponerentur, pedem retulerit, arma proiecerit: Quid prẹterea? Ipſarum quoque arcium, quas & ciuili & gentium iure ſuas poterat dicere, poſſeſsione ceſſerit, eáque vltrò ſe abdicarit; nudam vnius hominis fidem ſecutus, qui receptis ijs velut in depoſitum, & tanquam belli paciſq; futurus arbiter, ſpoponderat ſe res depoſitas & religioſè conſeruaturum, & fideliter reſtituturum, ni curaret, vt breuiſsimo quoque tempore de Montisferrati Ducatu cognoſceretur, & ei qui potiora iura oſtenderet, poſſeſsionis quoque commodum, nec manu militari, nec per apparitorem, ſed ab ipſo confeſtim depoſitario redderetur: denique non alijs aut melioribus legibus, quàm quas pro iuſtis habere is dẹmùm debuiſſet, qui minùs vti victoria, quàm vincere didiciſſet. Præclaro certè, nec vnquam ſatis laudato conſilio, ſi eum ſiue publica, ſiue priuata depoſitarij fides minimè fefelliſſet. Quid enim aliud fuit, quod primo ſtatim poſt depoſitum ſuſceptum die, eas ipſas arces Sereniſs. Duci Mantuæ tradidit, vt reddidiſſe potiùs, quàm prodidiſſe videretur? Vtque non ſibi tantùm liberandæ fidei, ac reſtituendi depoſiti facultatem præriperet, ſed ipſi quoque Duci Mantuæ de pace cogitandi, deque ipſa etiam lite tranſigendi neceſsitatem?

ETSI

ETSI verò non ignorabat Princeps meus Sereniſsimus, idemque prudentiſsimus, quod prudenti cuilibet compertiſsimum eſt, Ignotam hominis fidem tentare periculoſum eſſe; cognitam autem perfidiam iterum experiri non eſſe ſapientis: cùm tamen ijdem illi qui tam perfidè egerant, adfirmarent id ſe geſtire maximè, & curare velle, quod receperant, vt tot diſcordiarum finis tandem aliquis inueniretur: miſſis etiam ad Sereniſs. Ducem meum literis, quaſi iam conueniſſent Mantuani de Arbitris,& de arbitrio Mediolani reddendo, itémque de Legatis eò mittendis, ſi modò non deeſſent ex parte Sereniſsimi Ducis mei,qui iura eius,partéſque tuerentur. Non credebat Dux prudentiſsimus, ſuam decere tam conſtantem erga potentiſsimum Hiſpaniarum Regem obſeruantiam, vt vel ſuſpectam videretur habere fidem eorum, quorũ tam inſignem iam expertus eſſet perfidiam: quam præſertim admiſſam eſſe ſciret, ſi non aduerſus tanti Regis imperia, certè præter eius voluntatem, cui nihil eſt,vnquámve fuit antiquius, aut ſolemnius, quàm, quod vnum inter cætera regia magis regium,vt datam à ſe fidem ſeruet,impleátque religioſiſsimè,nec à ſuis violari eam,aut negligi patiatur: Sed quaſi agerentur omnia ex fide bona, continuò ille me Taurinum euocare, vt illorum explerem numerum, quos Mediolanum mittere deſtinabat, vbi parata dicebantur omnia. Verùm hæc quoque ſpes ſtatim eluſa: Vix enim Taurinum veneram, cùm Mediolano allatum eſt, Mantuanos ſuſpectum dicere locum arbitrij, ſuſpecta tempora, ſuſpectos arbitros, ſuſpecta denique omnia; niſi quòd, vt loqui ſoleo, ſuſpectas

quoque ipſas leges dicere potiùs debuiſſent. Ita factum eſt, vt dum per trimeſtre integrũ, quo Taurini ſubſiſto, meliora in dies ſperantur,& promittuntur,hæc quoque ſpes & expectatio Sereniſſimũ Ducem meum fefellerit. Quo nomine indignatus ille iuſtiſſimè, quidni exinde credere debuit, nullum ſibi ampliùs, extra litis cauſam, quam ſemper ſaluam eſſe voluit, niſi rurſum in armis ſupereſſe præſidium?

NEQVE ideò tamen duriorem ſe, ac difficiliorem prębuit,cùm à Chriſtianiſſimi Regis Oratore rogaretur, vt pacis conſilia necdum reſpueret; ſed propoſitum, quod abieciſſe videbatur, tentandi denuò quid per arbitros fieri poſſet, renouaret. Nec mora: poſt menſes aliquot miſsi Mediolanum illi ipſi clariſſimi viri,quos ego partim collegas fueram habiturus, niſi me domum reuocaſſet neceſſitas obeundæ, fungendæque dignitatis, quæ ſuprema iam tùm in ſupremo Sabaudiæ Senatu mihi demandata erat: ſed nihilo feliciùs illi re infecta propter Mantuanorũ contumaciam redire coacti, aliud nihil retulerunt, niſi quod referre certè pudet, meliora eſſe adhuc expectãda tempora. Vbinam verò gentium, Deus bone! aut quando, inquam, meliora? An quæ fortaſſis præclariores ferant Iureconſultos, qui pro ſingulari ſua,ſiue probitate, ſiue iuris ſcientia, iuſtum ab iniuſto, æquum ab iniquo meliùs poſſint, velintque diſcernere? An verò non habet,tulitque ætas noſtra, tam multos, & ingenij acumine, & eruditionis magnitudine adeò præſtantes viros,vt ſi neque plures,neque præſtantiores vllos à Papiniani temporibus floruiſſe dixero, nullam

nullam tamen aut Accurſio, aut Bartolo, at ne ipſi quidem Triboniano, vel Theophilo iniuriam videar illaturus? An ergo meliores fortè Principes expectamus, & iuris aut æquitatis obſeruantiores? Hîc ego vos teſtes appello,(SERENISSIMI QVOTQVOT VBIQVE TERRARVM CHRISTIANAM REMP. SAPIENTER GERITIS AC REGITIS PRINCIPES, ET MODERATORES,) & fidem veſtram imploro, an ij fortaſſe ſitis, quos ſuſpicari liceat vnquam paſſuros in quantacumque iſta temporum infelicitate, iniuriæ iura cedere, rationem inſaniæ, honeſtum vtili, leges licentiæ, ipſam denique iuſtitiam effrenatæ potentiorum temeritati, & audaciæ? An non potiùs ad veſtram omnium non modò dignitatem, ſed etiam ſalutem pertinere putabitis, vt quibus omnibus fieri poterit modis proſpiciatur, ne tanti Principis tam iuſta cauſa deſeratur infeliciſsimè, opprimatur iniquiſsimè, obruatur iniurioſiſsimè, quam poſsitis veſtro conſilio, veſtráque authoritate deſertam vindicare, oppreſſam erigere, obrutam reſtaurare? Quid igitur cauſæ eſſe poteſt, cur alia, & meliora debeamus expectare tempora, ad illam dumtaxat arcédam iniuriam; quæ tamen non vna, ſed duplex eſſet, ſi & de iure ſuo iure experiri ei non daretur, & nihilominus ad vim, & arma decurrere vi maiore prohiberetur.

AT VERÒ ſi iuſtum erat futurum bellum aduerſus Mantuanos, qui poſt tot nouas vltrò illatas iniurias, pacis condiciones, neque vllas ſatis iuſtas offerre, neque oblatas iuſtiores agnoſcere voluiſſent: An non multo illud iuſtius, quod non tam motum, quàm exceptum

fuit

fuit aduerſus iſtos, qui ne iuſtum moueretur, tam iniuſtè prohibere voluerunt? Nimia certè, nimíſque crudelis imperioſitas iſta eſt, per quam fiat, vt qui ſola ratione deberet, nec armis poſsit vincere. Fuit itaque tandem, non ob litem veterem, ſed ob nouas iniurias bello decertandum: At nouo, & quod nemo præuidere potuiſſet exemplo, non contra Mantuanos, cum quibus tam multę, iuſtæque, non minùs bellandi, quàm litigandi cauſæ intercedebant, & quos iam bis apparuit facillimè, nulloque propemodùm negotio vinci potuiſſe; ſed aduerſus eos, cum quibus tam arctæ anteà & animorum & ſanguinis coniunctiones perpetuam firmaſſe concordiam credebantur, & à quibus tanta potentia ſuperbientibus, tantoque exercitu, quantum alibi terrarum ætas noſtra nunquam viderat, intumeſcentibus, vinci Ducem meum non potuiſſe, quid aliud, rogo, quàm viciſſe eſt? Nam ſi ad Quinti Fabij gloriam, & vt Maximi cognomen mereretur, ſatis fuit Romanis, quibus vix quicquam ſatis eſſe poterat, quod in bello Punico poſt tot ab Hannibale illatas clades primus oſtendiſſet, non equidem vinci Romanos non poſſe, ſed tamen poſſe non vinci: quanto glorioſius Principi meo apud vos eſſe debet, eritque proculdubiò apud poſteros, vinci eum non potuiſſe à tam potentibus aduerſarijs, qui vt certè ſunt vereque bellicoſiſsimi, totidem ſibi videntur eſſe non dicam Carhtaginẽſes, quod admitti facilius poſſet, ſed Hannibales, & quibus credere ſi quis velit, non ſit ex ijs gregarius miles vel vnus, qui non ſe Hannibale potiorem credat, iactitet, glorietur. Quãquam nec eo contentus fuit Dux generoſiſſimus, quod vinci non potuerit,

rit, quæ prima & tutiſſima pars eſt victoriæ; ſed felici præliorum omnium ſucceſſu, non ferè pugnauit ſæpiùs, quàm vicit: Aut ſi neque volent hoc illi concedere; fateantur tamen neceſſe eſt, quod vniuerſa vidit Europa, nec tacebunt Hiſtoriæ, potuiſſe illum in ipſo etiam belli exordio vincere, niſi, quod ante ipſum alius fortaſſis nemo vnquam fecerat, bello neceſſario miſcere vltrò, & obſequium, & reuerentiam voluiſſet: vt cùm vincere inciperet, iam deſinere videretur velle vincere. Qua ratione, nec enim alia melior, aut verior quærenda eſt, illud etiam effectum fuit, vt cùm à Sacroſancto Pontifice Maximo, & à Rege Chriſtianiſſimo, itémque à Sereniſſima Venetorum Republica, interueniente tandem per Legatum, etiam authoritate officioſiſſima, eadémq; efficaciſſima Regis magnæ Britanniæ, quàm plurimis & precibus, & officiis ad pacem vrgeretur, oblatas ab ijs conditiones, etiam quibus meliores ſperare poterat, ſi vel tantiſper diſtuliſſet, non reſpuerit: Hoc tantùm addito, vt de præſtandis bona fide ijs omnibus, quæ aduerſarij ſe facturos rurſum reciperent, alij fideiuſſores darentur, quàm qui iam ſemel, atque iterum fidem datam fefelliſſent. Tanti apud eum fuit, vel ab inuitis extorſiſſe, quod ante omnia & præcipuo quodam ſtudio ſemper ambierat, vt de ſuis in Montisferrati Ducatum iuribus iure agi, cognoſciique tandem paterentur.

AC SANE nihil eſt, quod ad Sereniſſimi Principis mei dignitatem, & exiſtimationem magis pertineat, quàm vt publicè teſtatum fiat omnibus, quàm multis, quamq; iuſtis rationibus poſſit ille non modò eam Montisferrati partem, quæ citra Padum, & vltra Tanagrum eſt, ſed to-

tum etiam Ducatum ipſum ſuum dicere. Inde namque apparebit quàm iniqua fuerit, quæ contra eum per Delegatos Cæſareos lata ſententia eſt: quàm iniuſtè illa etiam, quæ ferri debuerat, fuerit dilata: Inde rurſum, quàm validas & ingentes belli pro Ducatu iſto iampridem gerendi cauſas habuiſſet, niſi pro ea, quam Cæſareæ Majeſtati, legibusq; debet reuerentia, euentum litis putaſſet expectandum, & honeſtiora pacis ſtudia victoriæ vtilitatibus prætuliſſet. Inde denique, quod totius rei caput eſt, quanta vos (SERMI. PRINCIPES, & MODERATORES) propenſione animi, & contẽtione iuſtiſſimas ipſius petitiones amplecti, fouere, & validiſſimis ſtudiis proſequi debeatis: non vt ſtatim, & vnanimi omniũ conſpiratione ad arma conuoletur (nec enim is ego ſum, qui vos ad bellum hortari aut poſsim, aut velim, aut debeam, quos ſcio, & gaudeo religioſiſſimos pacis cultores eſſe, qualẽ optimum quemque Principem eſſe ſemper decet;) ſed vt potiùs authoritate veſtra fiat, ne ad arma decurri neceſſe ſit. Quod aſſequi nec longum erit, nec difficile, ſi, quod vnũ à vobis totius ferè Europæ nomine poſtulo, per vos fiet, vt de tota hac lite & controuerſia Montiſferrati feliciter dirimenda tractetur ſeriò, & quàm citiſſimè; nec longiore, vt hactenus, mora, quæ à denegatione parum diſtat, tanta res differatur.

ETSI verò Sereniſſimi Principis mei iura tam per ſe clara, certa, & explorata ſunt, vt, meo quidem iudicio, nihil poſsit dici clarius, nihil certius; quęrenti tamen mihi, cur non id æquè omnibus iampridem perſuaſum ſit, niſi ijs qui acta, & inſtrumenta litis pertractarunt, duæ potiſſimùm occurrunt cauſæ: Altera illa, quòd non facilè credi poſſit,

possit, vel debeat, Iudices istos à tanto Imperatore, quantus fuit Carolus V. post Carolum Magnum fortasis inter Cæsares primus, Delegatos, præcipuæ, vt verisimile est, probitatis, integritatis, & eruditionis viros, aut per imperitiam; aut per sordes, quod esset turpius; aut per gratiam, quod liberalius, & aulicis familiarius; aut denique vllo alio malo more, aliter iudicasse, quàm & iuris ferret ratio, & Cæsar ipse fuisset iudicaturus, cuius vice, & partibus hac parte fungebantur. Nec ego sanè possem credere, qui sat scio quàm probè, benignéque de Iudicibus, ac Magistratibus omnibus; præsertim verò de tantis viris suspicandum sit, nisi verbis ipsis sententiæ præfati essent, eam se in iudicando secutos esse opinionem, quæ temporibus illis maximè conueniret, id est, vt iam interpretati sumus, nec negare quisquam possit, magis pro qualitate, & condicione temporum, quàm ex rationis & conscientiæ præscripto id pronunciasse, quod alio tempore pronunciare vtique puduisset. Quãquam nec probatio illa est, quæ obijcitur, sed præsumptio tantùm innocentiæ, quam nihil prohibet, etiam in rebus perperam iudicatis, integrã, & saluam esse. Neque verò recusamus, vt non tantùm innocenter; sed etiam, quod difficilius est, peritè, iustéq; iudicasse præsumantur, quoad vsque probatũ à nobis sit, & euictum innumeris rerum, iurisque argumentis, nihil peius, nihil iniquius, quod cum bona omnium venia dictum sit, iudicari ab ijs potuisse. Quod si perfecerimus, quis tam iniquus scriptorum nostrorũ æstimator futurus est, vt leuiores istas præsumptiones certissimis probationibus nolit cedere? Altera causa est, quod primo illo institutæ litis tempore, qui Mantuanas res procurabant, vafro planè, callidoque

consilio id egerant,vt nobilissimos quosque occuparent Iureconsultos,quibus iam tùm abundabat Italia,eorúmque vota quouis precio redimerent, vt illis etiam, quos conscientia respondere pro Ducibus Mantuæ prohiberet,non esset exinde integrum,pro nobis scribere,etiam si rogarentur: Ita fore rati, quod euênit, vt Iudicum oculos,quasi obiecta,& circumfusa luce nimia perstringerent, vt nec deliberandum haberent an pro illis iudicandum esset, qui tam multa pro se, ac tot Prudentum responsa præseferrẽt.Quasi verò apud probos,& graues Iudices tantæ authoritatis esse debeant Consulentium istorum opiniones, vt eas pro rebus præiudicatis haberi semper oporteat,quos vtique nemo nescit,vt plurimùm sic esse comparatos, vti ne pudeat eos ad nutum & voluntatem interrogantis, plerumque aduersus scientiam, quàm sæpe aduersus conscientiam quoque respondere: Nisi cùm tam magnis,validisque mouentur rationibus, vt respõsum ad ius accommodatum fuisse appareat, non ius ad responsum. Nec tamen defuerunt tam ex Italis, quàm ex nostris, qui etiam post Cæsarem latam sententiam, & contra eam pro nobis scripserint. Habemus ex nostris Pobellos, Portenses: ex Italis Balbos, Purpuratos, Cacheranos, Menochios, Bagnisaccos, qui si cum Parisijs, Gozadinis, Socinis,Simonetis,Rolandis, & alijs certè quàm maximis viris conferantur,neque dignitate nominis, neque authoritate inferiores videri debeant: rationum verò ponderibus & momentis ita superiores, vt quisquis iudicio & scientia iuris adprimè præditus, Consultationes omniũ leget,ac cõferet,facilè perspecturus sit nostros pro veritate, illos pro amico, quod aiunt, ne dicam,quod esset sordidius,pro pecunia respondisse.

Quo

QVO MAGIS mirandum est, Sereniſſimum Ducem meum, poſt tot, tantorumque clariſſimorum virorum ſcripta, quæ in totidem penè volumina excreuerunt, & quibus nihil addi poſſe videbatur, operam tamen exegiſſe hac in re meam; niſi eo fortaſſis conſilio, vt ſiue litigandum diutiùs, ſiue per arbitros definiendum eſſet negotium, haberent Iudices, haberent Arbitri Conſultationem, quæ inſtar omnium eſſe poſſet, ne in tam multis legendis oculos & tempus terere cogerentur. Magnum certè opus, & cuius ſiue dignitas, ſiue difficultas tanto iudicio clarũ & conſpicuũ Principem mouere potiùs debuerat, vt non alij munus hoc demãdaret, quàm ei qui vnus inter ætatis noſtræ Iurecõſultos omnes, & eruditionis, & ingenij gloria præſtaret, ac in quo eſſent ſumma omnia, quæ ſentio quàm ſint exigua in me ſingula. Sed quid facerem? An quia tanto oneri ferendo longè impar eſſet paries meus, hoc vnum Principi meo denegarem, cui omnia debere me intelligerem, illa etiã, quæ præſtare nunquam poſſim? An vſque adeò ſorti meæ inuidendum, vt obſequij gloriam, quæ ſola mihi ab ijs relicta eſt, qui ante ſcripſerunt, mihi ego præriperem, cui iam illi ſcriptorum ſuorum ſubtilitate, ac elegantia omnem ingenij præripuiſſent laudem, & induſtriæ? Itaque parui continuò, & alacriter, vt debui, feciſque quantum in me fuit: Primùm, vt nihil eorum prætermiſerim, quæ ab alijs in hanc vel in illam partem diſputata ſunt, ſi talia fuerunt, vt diſputari debuerint; ne quid omninò aut neglexiſſe viderer, aut non vidiſſe: Deinde, vt de meo rationes multas addiderim, quantum ingenij mei tenuitas ferre potuit, quas priores illi, aut nullo modo viderant, aut incurioſiùs tractarant: quarum tamen authori-

tas ad cauſæ noſtræ iuſtitiam teſtandam, tutandamque, non modò lucem magnã, ſed etiam vim maximam, nec leue momentum mihi adferre viſa eſt poſſe. Erit hæc, vt ſpero, & cupio, apud probos, & beneuolos quoſque lectores, ſi non ingenij mei laus, certè laboris tamen, & diligentiæ: Ne dubitent tantã à me præſtitã fuiſſe operam, quanta in re tãti ponderis præſtari potuit, & debuit, per totum illud tempus, quod ex quotidianis meæ dignitatis functionibus, ne vno quidẽ die intermiſſis, inter alia tot publicarum, & priuatarum cogitationum impedimenta ſubtrahi potuit, vt in hanc vnam maximè curam impenderetur. Sed quid & quantũ vigiliis ac lucubrationibus meis præſtitero, veſtrum (SERMI. PRINCIPES) & eorum omnium, qui hęc noſtra legent, non meũ eſto iudicium.

ILLVD planè nec tacere poſſum, nec diſſimulare, ſi quid eſt quod his ſcriptis minorem fortaſſe, quàm aliis quæ ante hunc diem à me nec pauca, nec vulgaria prodierunt, gloriam allaturũ ſit, hoc vnum fore, quod tota hæc controuerſia nullam penitùs habere dubitationem mihi vnquam viſa eſt, nec apud eos habitura, qui iuris, & æquitatis peritia vel mediocri cenſeantur. Quid enim eſt, quod magno ingenio in tam aperto iure præſtari poſsit? Acuunt ingenium ſubtiles difficultates; nec tantùm acuunt, ſed etiam augent, formant, præbent. Contrà verò ludere eſt, ne dicã nugari, ſi quis in re facili laborem fingere ſibi velit, vt ingenioſus aliis videatur. Facit certè controuerſiam percelebrem, & illuſtrem amplitudo & dignitas perſonarum; nobilitas feudi quo de contẽditur; celebritas ipſa Doctorũ, qui de quæſtione propoſita tam multi, tamq; multa reſpõderunt: ſed aliud prætereà nihil.

Nec

Nec puto quemquã ex antiquis illis Prudẽtibus noſtris, ſi de fundo Capenate ad eãdem facti ſpeciem interrogati fuiſſent, aliud quicquam reſpõſurum, quàm quod olim Domitio Labeoni Iubentius Celſus, *Stultam eſſe conſultationem, quæ fiat de iure nimis aperto, & indubitabili.* Neq; aliter ſenſuros vos eſſe mihi perſuadeo, (SERENISSIMI PRINCIPES) ſi à vobis impetrare poterit Principis mei fauor, & gratia, vt ſcripta hæc mea, qualia tandem cumq; ſint, non tam ex ingenij mei imbecillitate, quàm ex rationũ, quibus redundant, ponderibus, id eſt, ex æquitatis, ac iuſtitiæ legibus, & momentis æſtimẽtur. Hoc ipſum à vobis, vel ſola ipſa cauſæ magnitudo, etiam ſi nõ peterem, vltrò impetrare, ni fallor, deberet: & quæ tam multos tenet curioſa, nec reprehendenda cupiditas intelligendi quid de eo Ducatu iuris ſit, qui tantas iam excitauit tragœdias, maioreſque, ſine dubio, ac longè periculoſiores breui excitabit, ni veſtrûm omnium conſilijs, & vnanimi conſpiratione, tot malis, belliſque, ex ea cauſa imminentibus, occurratur, prouideatur. Sed impetrare multo facilius debebit ſola Principis mei Celſitudo, quem inter tot Italiæ Principes ſaluum, & incolumem ſeruari, non ſolùm Italiæ totius intereſt, præcipuo quodam iure, ſed vniuerſæ etiam Chriſtianæ Reipublicæ: Non ideo tantùm, ne per potentiorum opprimatur iniuriam, quos verisimile ſit vbi hoc eſſent aſſecuti, vix ab opprimendis cæteris ſibi temperaturos; ſed etiam vt veſtro conſequatur beneficio, ne & iure ſuo cogatur per vim cedere, & prohibitæ iudicialis diſceptationis, quod grauius eſſet, quàm denegatæ iuſtitiæ iniuriã vltricibus armis vindicare, bellóque iuſtiſsimo, ſi iure non liceat, ſuũ ius exequi prohibeatur. Ad veſtrã certè non ſolùm gloriã, ſed etiam

vtili

vtilitatē omninò pertinet (SERENISSIMI QVOTQVOT VBIQVE TERRARVM CHRISTIANAM REMP. SAPIENTER GERITIS, AC REGITIS PRINCIPES, ET MODERATORES) prospicere modis omnibus, quod à plerisque iam vestrūm tētatum, nequedum tamen peractū est, vt de totius litis, & controuersiæ huius iure, vel iniuria, non armis, quod nec hucusque, sed rationibus & legibus disputetur: tantæque contētiones, siue per Cæsareos Iudices, siue per arbitros hinc inde eligendos, ad optatum, felicemq; pacis exitum tandem perducantur. Quod vnum certè est, semperque fuit, nec vobis aut incognitū, aut suspectū Serenis. Principis mei votum, pro singulari ea, qua affectus est erga quietem Italiæ & Reip. Christianæ salutē, voluntate. Id vestra authoritas, si se interponet, facilè ab aduersariis nostris, vel euincet pro suo iure, si velle volēt; vel si reluctari pergent, etiā ab inuitis extorquebit: Nisi fortè certissimo existimationis sue detrimēto, exitiōq; promptissimo experiri malent, quàm difficile ipsis futurū sit, non dicam inuictissimū Principē vincere, quod ἀδύνατον prorsus & extra omnem spei, metusq; aleam positum est: sed ab eo non vinci, cuius fortissimos, iustissimosq; conatus non tantùm spe bona, votisq; faustissimis prosequendos suscipiatis; sed etiam consiliis, copiis, & viribus vestris, si, quod abominor, ad debellandā istam potentiorum superbam audaciam erunt necessariæ, adiuuandos. Valete, (SERENISSIMI PRINCIPES, SAPIENTISSIMI MODERATORES:) Valete, Viuite: Fauete, Vincite. Dat. Camberij, Calend. Quintilib. CIↃ. DC. XVI.

LEC

LECTORI MEO.

HIC te tantisper, (mi Lector.) *Consultatio ex meis vna hæc est, & quidem prima: non quòd ante alias scripta, sed quoniam prima in lucem edita. Hoc primùm: Deinde quia pro eo, qui mihi sicut Princeps, ita omnium primus: Postremò quòd pro Dynastia, nõ equidem primo, sed tamen nobilissimo, de quo lis inter Europæas omnes nobilissima, ac sine dubio prima, & vetustate temporis, & dignitate contentionis. Quidni ergo, & doctior, inquies, & elegantior? Mirus es, penè dixi, Malè affectus & iniuriosus, si antequàm legas, inscitiam mihi obiicis, aut sermonis rusticitatem. Legere te oportet, aut legisse, vt ille sis quo cum mihi nunc sermo. At certè Papinianea non est. Hoc verò facilè patior, vltrò te, priùs etiam quàm legas, vel diuinare, vel coniicere ex sola voluminis superficie, cui nihil commune, vt vides, cum Papinianea breuitate. Sed heus tu? an nescis nostræ ætatis Consultores, & quotquot à Papiniano fuerunt, Papinianos nullos esse, Papinianeos perpaucos? Inter quos si me numeras, planè blandiris, fallisque, si non ipse falleris. Si instas, nec pateris me contendere tecum diutiùs, expedio. Habeo gratiam: Is enim ego sum, si quis vsquam alius, qui præcipuo ac singulari quodam studio Papinianum prosequor, amo, veneror, colo; vel ob hoc ipsum, quòd sentio non posse me ad ipsius elegantiã & subtilitatem vnquam pertingere. Nec sanè magis quicquam possis vlli Iureconsultorum tribuere, nisi te nimis effrænata, impudensque adulatio eò permoueret, vt Papinianum ipsum esse aliquem diceres. Quod non facilè ferrem, nec si, vt in magno mendacio, diceres te vidisse, qui scio non magis parem esse Papiniano vllum*

posse, quàm superiorem. Quid si addam, nec tamen boni Consultoris nomen his temporibus habiturum Papinianum ipsum, si in tam concisa illa & eleganti sua breuitate adeò sibi placeret: fortassis nec in Prudentum numero eum fore, si barbaris nostris credimus, qui Alciatum, Duarenum, Goueanum, Connanum, Cujacium, aliósque politioris literaturæ Jureconsultos non meliore honestant nota, quàm vt Grammaticos vocent. Cur verò Cujacianas ipsas consultationes, tanta licèt elegantia, doctrináque redundantes, & ad exemplum veterum efformatas, apud plerosque nihili esse credis, nisi ob hoc solùm quod & elegantiores sunt & breuiores? Ea nimirum iam condicio temporum est, vt nec ipsius Papiniani, nec iuris authoritas sufficiat, sed passim emendicanda sint Doctorum barbarorum suffragia, nec tantùm veterum, quod esset tolerabilius, sed etiam recentiorum, qui eruditione, si mihi credis, (de vulgaribus intelligo) non minùs distant à veteribus, quàm veteres illi à Papiniano. Quis verò tam stultus, maléque feriatus, vt sibi laborandum putet in Accursio, Bartolo, Baldo, ne alios addam magis barbaros, Ciceroniana Latinitate donandis? Meliora nobis studia, & ad majora. Taceo quod nec Consultationes istæ ad praxim nostram accõmodari aliter possunt, quàm si pragmaticorum verbis: quæ porrò si quis Ciceroniana facere velit, ἀδύνατον: si Apuleiana, vel Budæana, quod à quibusdam satis infeliciter tentatum est, nimis certè importunum id fuerit, nec legenti minùs, quàm scribenti. Alius ergo hîc nobis & nouus stylus quærendus fuit: Alius in Coniecturis, Chiliade, Jurisprudentia, & Rationalibus: Alius denique in Codice, pro rerum quas tractamus, tractandique varietate: nec puto dubitabis potuisse nos hæc scribere paullò majore elegantia, si aptius id & acceptius fore credidissemus. Quamquam si nostram cum alienis conferes, videbis fortasse alienas elegantiores non esse, nostram aut esse, aut, quod minùs inuidiosum, esse potuisse. Satis mihi ad gloriam, si quæ prima inter meas, inter cæteras non postrema tibi videbitur, siue sermonis dignitate (nec enim barbariem affectare ambitionis vnquam fuit meæ:) siue, quod malo, & numero & pondere non orationis, sed rationum. At si hæc

prima,

prima, inquies, vbinam ergo aliæ? Jam enim te audio. Quasi verò nescias in iure nostro, primam posse dici etiam, quam alia sequatur nulla: itémque vltimam, quam nulla præcedat. Tam igitur possim vltimam, quàm primam dicere: Sed primam malo, ne quid te fallam. Alias enim habere me si negem, mentiar. Habeo, nec paucas, & iusto volumini iam pares; quas si expectas, facis pro tuo iure: si petis, promitto: si iam vrges, vide sis ne nimis importunè, qui eodem tempore, & vixdum absoluta, editáque Chiliade, vrges etiam Rationalia & Iurisprudentiam. Facis tamen aliorum multorum exemplo, qui vrgent pariter Consultationes. Jdeò fortassis quòd me videant præstare huc vsque solitum plura, quàm possim. Sed non eadem nunc ætas; licèt idem animus: quem tamen etiam illud aliquantulum remoratur, quòd quæ mihi in manibus, si paucas excipio, sunt omnes Gallicæ. Pudet enim Papinianum Gallico sermone de Jurisprudentia loquentem exhibere. Non quòd Gallis maximè nolim scribere: sed quia etiam alijs velim. Jtem ne quam Jurisprudentiæ iniuriam facere videar, si tantæ secreta scientiæ vulgari sermone vulgata, faciam hoc ipso vulgaria; vel ipsi potiùs Papiniano, cuius Latinam eloquentiam inimitabilem, si quis Gallica velit adumbrare, nunquam meo iudicio sit assecutus, si magnum illum virum, Verúmque excipis, (nec enim alia certiore demonstratione indiges, vt intelligas quem dico,) qui tanta scriptorum suorum elegantia iam obtinuit, vt non desint, quibus Gallica huius seculi eloquentia Latinæ, Græcáque anteponenda videatur. Quod si ita est, nec despero fore vt Papinianum elegantiorem habeat tandem aliquando Gallia, quàm Roma. Sed non ego certè is sum, qui rem tantam adgredi, nedum præstare possim, cui nec omnino materna politior illa lingua Gallica, nec ab exercitatione, vsúque tantopere exculta: neque rursum ad tot Consultationes Latinitate decorãdas, vix etiam ad relegendas, mihi satis otij; quod quantulumcunque suppetit, mallem absoluendis Rationalibus, aut Jurisprudentiæ Papinianeæ impendere. An ergo tot perire patiar & intercidere lucubrationes? Neque hoc velim: Prodesse illas publicè mallem, quæ tam multis priuatim profuerunt: &

quas auſim dicere magna ex parte rerum in ſupremis pleriſque Tribunalibus iudicatarum authoritate confirmatas eſſe : ne dolendum amplius habeam, quòd otia tam ſæpè mea, id eſt, ſcriptionem nunc Chiliadis, nunc Rationalium interpellarunt. Eas itaque expectare te patior non illibenter, ne quid tibi, mihi ve pereat : ſupplebũt quod per eas factum erit, quominùs ſit in Rationalibus. Adeò mihi fixum illud, firmumque, vt mea omnia velim eſſe tua. Meum tamen accendet deſiderium, ſi tuum ex primæ huius lectione inflammari ſenſero. Nec te huius prolixitas terreat. An ignoras quod ante nos Plinius, in tot Ciceronis orationibus, optimam credi eam, quæ omnium lõgiſſima? Erunt aliæ breuiores, eóque, ſi aliud nihil exigis, fortaſſe oratiores : ſed nullæ, ne deceptum te poſſis conqueri, meliores. Hoc vnum (Veni Lector) quod te volebam. Nihilne præterea? Illud etiam quod Facti compendium poſt Conſultationem ſcriptam ad me tranſmiſſum præpoſui, nõ vt volumini maiorem pulchritudinem adijceret magnitudo ; ſed vt ex Facti ſpecie, quæ planiſſimè, ac optima metodo, vt videbis, expoſita eſt, ſi velles legere, planior quoque & lucidior eſſet Conſultatio: ſi nolles, tanto magis vera eſſe crederes, quæ circa Facti quæſtionem Conſultatio ſupponit pro veris. Nam quod ad iuris quæſtiones attinet, ipſa tibi Conſultationis lectio ſatisfaciet : nec vllum, vt ſpero, apud te, ſi & doctus & beneuolus es, qualem eſſe te ideo, dubitationi locum relinquet. Benè vale, mi Beneuole, & cui benè vis, benè faue.

APPROBATIO, ET PERMISSIO.

CONSVLTISSIMVM hoc Reſponſum Prudentis D. FABRI, jam inde ſcriptis pluribus, necnon dignitatum pondere clareſcentis, Ego IACOBVS DAVEYNE, Regis Procurator typis mandari non renuo.

DAVEYNE.

VT typis mandetur luculentum opus hoc, concedimus. Lugduni, die prima Aprilis, M. DC. XVII.

SEVE, Locumtenens generalis.

GENEALOGIA MARCHIONVM MONTISFERRATI.



COMPENDIVM

FACTI IN CAVSA MONTISFERRATI,

Pro Sereniſſimo DVCE SABAVDIÆ.

PRO FACTI intelligentia, vt ſecundum temporum ordinem procedatur, ſciẽdum eſt: antiquiſſimam ſcripturam, quæ in hac cauſa Montisferrati à Saluciarum Marchione primùm producta, deinde à Duce Sabaudiæ reproducta eſt, adeóque in punctis, vt aiunt, vtilibus acceptata per Duces Mantuæ, eſſe conceſſionem Ottonis Imperatoris factam Aledramo Principi Saxonico, die 23. Martij, anno 967. cuius tenor talis eſt:

OTTO diuina ordinante prouidentia Imperator Auguſtus. Oportet Imperialem Excellentiam aurem Serenitatis ſuæ, honeſtis fidelium ſuorũ petitionibus inclinare: quatenus promptiores, & deuotiores eos in ſuum efficiat famulatum; Quapropter nouerit omnium fidelium Sanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorúmque, præſentium, ſcilicet, ac futurorum vniuerſitas, Aledram Marchionem, interuentu, ac petitione Adhelegidæ noſtræ coniugis atq; Imperij noſtri participis, noſtræ adijſſe ſublimitatis culmen, humiliter poſtulando, vt quaſdam cortes abſas hactenus regni noſtri iuri de beati noſtri præcepti pagina illi concederemus; Necnon omnes res, & proprietates ſuas ad vtriuſq; ſexus familias, quæ illi aduenerunt, tàm de hereditate parentum, quàm de ſuo adqueſtu, ſimiliter autoritate noſtri præcepti, eidẽ confirmaremus, & penitùs corroboraremus. Cuius petitionibus annuentes,

& ipſius fidelitatem conſiderantes, per hoc noſtrum præceptum, prout iuſtè, & legaliter poſſumus, concedimus, donamus, atq; largimur, præfato Aledramo Marchioni, omnes illas cortes in deſertis locis conſiſtentes, à flumine Tanard, vſque ad flumen Vrbam, & ad littus maris, quorum nomina hæc ſunt: de Gobangiaſco, Balangio, Salaſcedo, Leceſi, Cahole, Miolia, Pulcione, Gruaza, Prunetto, Altriſmo, Cortemiglia, Monteneſi, Noſcetto, Maſſonti, Arche, & quicquid ibidem hactenus Iuris Regni Italici pertinuit, vt ſicut hucuſq; Iuri Regni noſtri, & dominio ſubdi viſæ ſunt; ita amodò inantea præfati Aledrami Marchionis dominio ſubdantur, & in eius ius delegentur, & omninò transfundantur. Inſuper etiam confirmamus, & corroboramus prædicto Aledramo Marchioni omnes res, & proprietates ſuas, ad vtriuſq; ſexus familias, tam de hereditate parentum, quàm de adquæſtu illi aduenientes per diuerſa loca infrà Italicum Regnum coniacentes videlicet in Comitatu Aquenſi, Saonenſi, nec-non Aſtenſi, & Montisferrati, Taurin[illegible] & Vercellenſi, Parmenſi, & Cremonenſi, ſeu Pargamenſi, cũ omnibus eorum pertin[illegible] & adiacẽtijs, ſeu etiam quicquid habere, vel poßidere videtur, in diuerſis locis, in toto Italico Regno, vel inantea adquirere poterit, ſine aliqua minoratione per huiuſmodi noſtri præcepti cõfirmationẽ habeat, & teneat, firmitérque poßideat, tam ipſe, quàmq; ſui heredes, vnà cum terris, vineis, campis, pratis, paſcuis, cultis, & incultis, diuiſis, & indiuiſis, mobilibus, & immobilibus, vtriuſque ſexus familiis, ſiluis, ſalicetis, montibus, & vallibus, planiciebus, aquis, aquarúmque decurſibus, molendinis, piſcationibus, venationibus, pedagiis, telon[illegible]s, omnibuſq; publicis functionibus, vel etiam quæ dici, vel nominari poſſunt, ad eaſdem res, & proprietates, ſeu cortes, vel caſtella pertinentibus, vel adſpicientibus: habeantq; poteſtatem tenendi, vendendi, commutandi, alienandi, pro anima iudicandi, & quicquid eorum decreuerit animus faciendi, omnium hominum contradictione remota. Interea per huius noſtræ donationis, & confirmationis autoritatem iubemus, & omninò ſtatuimus, vt nulla Italici Regni perſona præfatum Aledram, ſuoſq; heredes de omnibus quæ ſuprà, vel inantea adquirere poterit diſueſtire præſumat. Quod ſi aliquis contentionem de huiuſmodi ſupradictis omnibus, cum eodem, ſuiſq; heredibus habuerit, volens illi obijcere, quòd inueſtituram inde præterito tempore non habuerint, liceat eidem Aledramo, ſuiſq; heredibus per noſtram datam licentiam, & huius noſtri præcepti conſtitutionem, aut per ſacramentum, aut pugnam declarare. Præterea recipimus eundem Marchionem Aledram, cum filiis, & heredibus ſuis, & omnibus rebus mobilibus, & immobilibus,

bilibus, iustè & legaliter ad eum pertinentibus, sub nostri mundburditione; ita videlicet, vt nullus Dux, nullúsque Marchio, nullus Comes, nullus Iudex, nullus Gastaldus, nullúsque publicæ partis Procurator, nulla maior, vel minor persona eum absque legali iudicio inquietare, aut molestare præsumat. Siquis igitur huius nostri præcepti, aut mundburdi violator extiterit culpabilis, soluere cogatur auri optimi libras centum, medietatem Cameræ nostræ, & medietatem præfato Aledramo Marchioni, suísque heredibus. Quod vt verius credatur, diligentiúsque obseruetur, manu propria roborãte, annuli nostri impressione inferiùs affigi præcepimus, Signũ Domini Ottonis Serenissimi Imperatoris. Ambrosius Cancellarius, ad vicem Humberti Episcopi, & Archicancellarij recognoui, & scripsi. Dat. decimo kal. Aprilis, anno Dominicæ incarnationis dcccc. lxvij. Imperij verò Domini Ottonis pijssimi Cæsaris vj. Indictione decima. Actum Rauennæ, in Dei nomine feliciter: Amen.

SCRIPTVRA originalis huius concessionis quam in lite fuit producta, sed tantùm descripta, aut vt vocant, extracta quædam. Quæ res Doctoribus, qui in causa scripserunt, altercãdi materiam tribuit circa eorum fidem probatoriam; sed ab annis aliquot accidit, vt ea scriptura originalis in manus suæ Celsitudinis peruenerit; ita vt nullus hodie altercationibus eiusmodi locus superstit. Et quemadmodum descripta illa diuersis temporibus facta sunt, & à diuersis Notariis, itémq; ad varios fines; ita vix duo reperiuntur, quæ ijsdem omnino verbis concepta sint: Præsertim verò vbi in dispositiuis verbis legitur, [*ad vtriusque sexus familias,*] pro [*ad*] scriptum reperitur, [*ac*]: Et ita legi debere defendunt mordicùs, qui pro Marchione Saluciarum scripserunt, & quidam ex iis quoque, qui pro Duce Mantuæ, referẽtes verba illa, [*ac vtriusque sexus familias,*] ad res concessas: Quasi mens Imperatoris fuerit concedere masculos & fœminas, atque ita familias, nõ etiam ad personas, in quarum fauorem fiebat concessio. Id enim agebãt qui pro Marchione Saluciarum scribebant, vt effugerent obiectionem, quæ à nostris fiebat, Vocatas ea concessione etiam fœminas; tametsi iis quoque verbis circumscriptis appareat satis vocatas eas fuisse per clausulam, quæ tam latam ac liberam alienandi facultatem verbis tam amplis concessit: Sed vtvt sit, constat in dicta originali scriptura legi [*ad*:] nec potuisse legi aliter. Cùm debuerit concessio esse conformis petitioni Aledrami, qui

in præcedentibus ſupplicauerat concedi ſibi, [*ad vtriuſque ſexus familias.*] Præterid quod in ſequentibus reperiuntur poſiti maſculi, & fœminæ inter cæteras res conceſſas: fuiſſétque ſuperuacuum eadem verba repetere ad eundem finem.

POST conceſſionem Ottonis, alia legitur facta per Federicũ I. Imperatorẽ Guillielmo Saxonico, ex linea Aledrami, anno 1164. ad 5. Octobr. nouem & triginta locorum in ea deſignatorum, additis his verbis: [*Per rectum feudum pro ſe & ſuis heredibus, ſalua fidelitate noſtra:*] & hæc ex parte Mantuæ fuit producta. Contra quam, ex parte Ducis Sabaudiæ multa opponuntur. Ac primùm ei ſcripturæ fidem non conſtare, cùm nihil aliud ſit quàm deſcriptum quoddam: cuius originali nullum inerat ſigillum Imperatoris, vt ille ipſe atteſtatur, qui deſcripſit, & extraxit. Item quòd in eadem [illegible]ta inueſtitura continentur loca permulta, quæ Montisferrati Marchiones nunquam poſſederũt: cuiuſmodi ſunt Coconatum, Robella, Aramengum, Crauilia, Paſſaranũ, Prumelium Schiaranum, quæ omnia loca ſemper poſſeſſa ſunt à Comitibus Coconati, & per eos immediatè ab Imperatore recognita: nunc verò à Duce Sabaudiæ, quamuis ex Imperiali conceſſione: ſicut & loca Baldiſſei, Montis belli de Fraſca, Marentini, & Ripæ pendentis à mandamento Cherij, ſub dominatione Ducis Sabaudiæ: Riualbæ verò & Pauarelli de dominio directo Archiepiſcopi Taurinenſis; ſub ſuperioritate tamen ſuæ Celſitudinis. Montanarum verò eſt ex Abbatia ſancti Benigni. Vtcunque ſit, nulla in hac inueſtitura mentio ſit Mõtisferrati, & ad ſupradicta loca ſingula ſpecialiter reſtricta eſt.

ALIA quoque inueſtitura eſt ab Henrico VI. Imperatore facta Bonifacio filio dicti Guillielmi, anno 1190. die 8. Decemb. ſimiliter producta ex parte Mantuæ, in qua dicit Imperator, [*Volens feudum tuum ad Imperij honorem augere, tibi Bonifacio dilecto fideli Principi noſtro Marchioni Montisferrati, tuiſq; ſucceſſoribus in perpetuum loca Gamundi, & Marenghi, cum omnibus hominibus, & omni iure, & omnibus diſtrictis, & vniuerſis regalibus, &c. in feudum concedimus, reſtituimus, & confirmamus: locum etiam Fori, cum omnibus pertinentiis ſuis, & hominibus, cunctisque diſtrictis; omnia etiam caſtra, villas, poſſeſſiones, honores, iuriſdictiones, & iura, & vniuerſa regalia, quæ tu tenes, aut poſſides, aut pater tuus tenuit, aut poſſedit, & inſuper omnia,*

omnia, quæ in priuilegijs tuis continentur tibi liberè, plenariè, hac Imperiali pagina concedimus, & confirmamus, &c.]

CONTRA hanc inueſtiturã opponitur ex parte Ducis Sabaudiæ, Nõ eſſe illam munitam ſigillo Imperatoris, vel ex ipſius, qui deſcripſit & extraxit, confeſſione: Ac præterea nullibi gentium reperiri loca illa Gamundi & Marẽghi, quæ in ea inueſtitura nominantur: nec poſſe dici, in qua Marchionatus parte ſita ſint. Itẽ quòd etiãſi ex ea inueſtitura probaretur, reliquum quod à Marchione tenetur, eſſe feudum, cùm illa conceſſio Imperialis ſit in augmentum feudi; eſt nihilominùs feudum illud alienabile ex illis verbis, [*liberè, plenariè,*] quia ſi non eſſet feudum alienabile, non eſſet libera & plenaria conceſſio.

SEQVITVR alia inueſtitura Federici II. Imperatoris, anno 1245. nullo expreſſo die, ſed tantùm mẽſe Iulij, facta Marchioni Bonifacio, in qua dicit Imperator ſe, in gratiam ſuã illum recipere & reſtituere, eíque remittere indignationem omnem & iniuriam ab eo factam Imperatori & Imperio. Tùm ſubiungit: [*Inueſtimus ipſum de rectis feudis ſuis, quæ tenet ab Imperio, à quorum iure per offenſas contra nos, & Imperium perpetratas iuſtè cecidiſſe hactenus videbatur, vt ea tàm ipſe, quàm heredes ſui à nobis, & Imperio ſemper immediatè teneant, & recognoſcant.*] Ex qua inueſtitura prætendit Dux Mantuæ probare Marchionatum eſſe feudum rectum & inalienabile, cùm ſemper immediatè debeat teneri ab Imperio.

AD quod replicatur ex parte Ducis Sabaudiæ: Primò, Non conſtare legitimè de dicta inueſtitura, cùm ſit extractum & deſcriptum ex alio extracto & deſcripto ſumptum. Secundò eſſe illam ſine die. Tertiò, Dictum Imperatorem Federicum nullam eo tempore poteſtatem habuiſſe faciendæ eiuſmodi inueſtituræ, quòd tùm eſſet excommunicatus & declaratus hæreticus, priuatúſque Imperio à Gregorio IX. anno 1238. Et ab Innocentio IV. in Concilio Lugdunenſi, anno 1244. & 1245. De quo eſt textus clarus in cap. 2. De ſentent. & re iudic. in 6. Prætereà, Quia nullus ex iis qui de Montisferrati Marchionatu ſcripſerunt, vnquam ſcripſit dictum Bonifacium tentaſſe quicquam, aut molitum eſſe contra dictum Imperatorẽ, aut cõtra Imperium. Neque huius conceſſionis vllo modo meminit Beneuenutus in ea, quam conſcripſit de Montisferrati rebus hiſtoria, qua potiſſimùm in

aliis pleriſque niti ſolent Mantuani, eamque ideò in actis produxerunt. Et quamuis Beneuenutus meminerit cuiuſdam priuilegij, aut inueſtituræ à dicto Federico conceſſæ dicto Bonifacio, anno 1239. in qua teſtatur Federicus, fuiſſe ſibi & ſuis progenitoribus fidelem Bonifacium, eumque inueſtit [*De omnibus his, quæ tam ipſe, quàm prædeceſſores ab Imperatoribus tenuerunt, adepti & vſi ſunt quolibet iuſto titulo; videlicet, quæ de domanio tenebant in domanium, quæ de ſeruitio in ſeruitium, & ſpecialiter de caſtris Paciliani, Torcelli, & Cunioli, cum omnibus iuribus, quæ Imperium habet.*] Ex ea tamen inueſtitura non poteſt inferri, quod Bonifacius tenuerit bona ſua in rectum feudum: Et conſequenter alia illa inueſtitura ſubſecuta, tametſi obiectiones ſupradictas non pateretur, non poſſet tamen feudum rectum facere, quod rectum non erat. Denique dicta inueſtitura ſpecialis eſt feudorum rectorum, quæ [illegible] Bonifacius ab Imperio tenebat. Et quòd Bonifacius haberet bona ſua [illegible] feudo recto, probatur apertiſſimè ex teſtamentaria ipſius diſpoſitione, de qua mox dicemus.

IDEM dicitur de inueſtitura per Conradum Imperatorem facta eidem Bonifacio 4. Maij, anno 1253. quæ inſerta eſt in inueſtitura Caroli IV. Imperatoris. De qua etiam paullò inferiùs tractabitur, cùm ſit illa etiam ſpecialis & certorum locorum, & eius tãtum partis, quæ ad Imperatorem deuoluta erat ex cauſa criminis læſæ Majeſtatis, quod admiſerat Manfredus Lanza, rebellionis erga Imperium & perduellionis reus.

VTCVMQVE ſit de dictis priuilegijs, & inueſtituris, certũ eſt, ſiue prima conceſſio Ottoniana fuerit mera donatio, facta in allodium, ſiue feudum alienabile, non potuiſſe reſtringi, & immutari naturã iſtorũ bonorũ in feudũ rectum & proprium, in quantum vltimæ iſtæ inueſtituræ non eſſent ſpeciales, ſed vniuerſum Marchionatum complecterentur, niſi conſtaret, inueſtitos, ex certa ſua ſcientia, quod exprimendum neceſſariò fuerat, dictam primam conceſſionem alterare voluiſſe.

ET quod dictus Marchionatus ſemper fuerit alienabilis, probatur ex quamplurimis diſpoſitionibus tam vniuerſalibus, quàm ſpecialibus per Marchiones ſucceſſiuè factis, tã in vltimis voluntatibus, quàm in contractibus inter viuos: inter quas, Bonifacius III. Rex Theſſaliæ, & Marchio Montisferrati, vt recitat Beneuenutus

uenutus in ſua hiſtoria, fol. 65. teſtamentum condidit, ex quo ſucceſſit in regno Theſſaliæ Demetrius filius eius primogenitus; & in Marchionatu Montisferrati Guillielmus eius filius ſecundogenitus: quod factum non eſſet, ſi Marchionatus feudum rectum & proprium fuiſſet. Quandoquidem in eo ſucceſſiſſet omnimodò primogenitus, tanquam in feudo Regia dignitate inſignito, aut ſaltem in eo vterque filius pariter ſucceſſiſſet, nec valuiſſet paterna diſpoſitio contraria.

BONIFACIVS IV. Marchio Montisferrati, vt idem Beneuenutus refert fol. 86. cùm ſuprema ordinaret, die 12. Iunij, 1253. inſtituit heredem in Marchionatu, Guillielmum filium ſuum, eiq; ſubſtituit Alaſinam eiuſdem teſtatoris filiam, in caſum, quo moriente dicto Guillielmo, non inueniretur nupta. Quòd ſi tùm iam nupta eſſet, ſubſtituit ei Thomam de Saluciis: Quæ tamen ſubſtitutio dictæ Alaſinæ fieri non potuiſſet, ſi feudum rectum & proprium fuiſſet.

GVILLELMVS V. Marchio Montisferrati, cognomine Magnus, ſuo ſimiliter teſtamento relato in hiſtoria Theodori primi Marchionis ex familia Paleologa, cuius etiam meminit Beneuenutus fol. 160. heredem ſcripſit in dicto Marchionatu Ioannem filium ſuum, qui fuit vltimus maſculus ex linea Saxonica: eiq; ſi ſine liberis moreretur, ſubſtituit Violandam, ipſius Guillielmi filiam.

IOANNES Marchio, filius dicti Guillelmi, teſtamento ſuo facto die 18. Ianuarij, 1305. & in actis cauſæ producto ex parte Mantuæ, rogato & recepto per Facium Dericobono Notarium, inſtituit heredes in dicto Marchionatu poſthumos, aut poſthumas, ſeu poſthumum, vel poſthumam, qui vel quæ, naſcerentur ex Margareta à Sabaudia, coniuge ſua: & in defectum eorum, ſubſtituit Violandam ſupradictam ſororem ſuam, & vxorem Andronici Paleologi Græcorum Imperatoris, & ipſius filios: & caſu, quo non eſſent ipſi heredes, aut ad hereditatem ſuam venire nollent, ſubſtituit filium alterius Margaretæ ſororis ſuæ, eiuſdémque vxoris Ioannis filij Alphonſi Regis Caſtilliæ: & vltimo loco ſubſtituit Manfredum Marchionem Saluciarum. Quæ tamen omnes ſubſtitutiones fieri non poterant, ſi feudum rectum fuiſſet, & proprium, vt iam ſæpiùs dictum eſt.

QVOD

QVOD verò pertinet ad disposiciones per Cõtractum factas, & inter viuos in linea Saxonica, constat dictum Bonifacium III. vendidisse ciuitati Vercellarum, locum & territorium Tridini, & Burgi Noui, precio septem milium librarum, monetæ argenteæ, cum pacto de retrouendendo illi ipsi, aut eius filio, eodem precio, & ita, vt si nollet filius redimere, teneretur dicta ciuitas retrouendere vxori Alberti Malaspinæ, aut Alaxinæ vxori Manfredi de Salucijs filiabus dicti Bonifacij, aut Agneti ipsius sorori, vt duobus instrumentis continetur, de anno 1202. die 22. Iulij, & memorat Beneuenutus in sua historia fol. 59. & 60.

ANNO 1207. die 15. Augusti, Guillielmus filius dicti Bonifacij, pignorauit Girardo Faræ stipulanti nomine Vniuersitatis Papiensis, oppidum Valentiæ, pro summa 40000. librarum, vt refert Beneuenut. fol. 70. Et idem Guillielmus anno 1220. die 24. Martij, vt succurreret fratri Demetrio pulsoè Regno Thessaliæ, accepit ab Imperatore Federico mutua nouem millia marcharum argenti, & pro restitutione obligauit multa loca Montisferrati, vt per instrumentum registratum in Chronicis Beneuenuti, fol. 75. & seq.

ANNO 1235. 9. Decembris, Bonifacius IV. in augmentum dotis Margaretæ vxoris suæ, filiæ Amedei III. Comitis Sabaudiæ dedit & cessit ei iura omnia realia, & personalia, vtilia & directa, ad eum pertinentia, in locis Planetiæ, Ciriaci, Caselarum, & in valle Mattensi: & quia locus Casellarum restitui eo tempore liberè non poterat, remittit ei in vicem ipsius Virolengum, cum pacto de restituendo dicto loco de Virolengo, quoties redderetur locus Casellarum, vt per instrumentum authenticum, rogatum & receptum à Georgio de Caluso Notario, in quo tamen obseruandum est, Margaretam istam à nonnullis Historicis nominatam per errorem, Constantiam.

GVILLELMVS V. cognominatus Magnus, filius dicti Bonifacij IV. cùm anno 1257. die 18. Martij sponsalia contraheret cum Isabella filia Comitis Gloastri; & Hareforti, promisit ei titulo donationis, propter nuptias dictæ Isabellæ, locum Chiuasij cum suis pertinentiis; hoc tamen pacto addito, vt post ipsius Isabellæ mortẽ reuerti deberet liberè ad heredes dicti Marchionis, & vt dos in tuto collocaretur, obligata fuerunt castella

Montis

Montisbelli, Camini, Pontisturæ, Montiscalui, Verolengi, Castagnei, & S. Raphaëlis, vt legitur in dicta historia Beneuenuti, fol. 89. & 90.

IDEM Guillielmus anno 1271. die 18. Octobris, conuenit cum Alphonso Rege Castiliæ, vt si quando contingeret mori dictum Guillielmum sine liberis masculis, Marchionatus Montisferrati perueniret in dotem, & dotis nomine, ad Margaretã filiam suam, vxorem futuram Ioannis dicti Regis Alphonsi: reseruato tamen per pactum, vt posset Marchio, durante vita sua, disponere de Marchionatu, vt erat solitus, exceptis tantùm castris Montiscalui & Vignalis, quæ erant obligata pro dote Beatricis vxoris suæ. Et in casum, quo filiæ ex Marchione supereſſent, dotari eas voluit, vt in instrumento per Beneuenutum relato, fol. 91.

ANNO 1294. die 10. Decembris, Arbitri electi ab Amedeo Comite Sabaudiæ, ex vna parte: & Philippo Petri & aliis dicti Comitis nepotibus, ex altera, super negotiis eorum litibus & quæstionibus, pronunciarunt laudum, per quod assignarunt dictis nepotibus, loca & bona in eodem laudo designata, subiunctis mox his verbis: [*Exceptis, & reseruatis eidem domino Comiti, & heredibus feudis, & fidelitatibus Illustrium dominorum Marchionum Montisferrati, & Saluciarum,*] sicuti per instrumentum à Petro Franciſci Notario rogatum, & quatuor sigillis signatum.

IOANNES vltimus Marchio ex familia Saxonica, anno 1296. 23. Martij, accepit in vxorẽ Margaretam filiam Amedei IV. Comitis Sabaudiæ, & pro securitate dotis, obligauit ei specialiter, loca Lancei, Citiaci, & Casellarum, mandando, vt in casum restitutionis dictæ dotis, homines eorum locorum tenerentur præstare iuramentum fidelitatis, & eam pro domina recognoscere, vt per instrumentum in bona forma rogatum à dicto Petro Franciſci Notario.

MORITVR subinde Ioannes sine liberis, nona Martij, 1305. facto priùs testamento, vt suprà, die 18. Ianuarij præcedentis, propter quod cõuocatis generaliter vasallis omnibus, & iis maximè, qui electi fuerant à Communitatibus Montisferrati, ex iussu & imperio Manfredi Marchionis Saluciarum, & electis ab Vniuersitate Papiæ, & à Richardino Langosco, nomine Philipponis Langosci, Comite Palatino, Lumelli Gubernatoribus, & defenso-

ribus dicti Marchionatus, in Ioannis teſtamento nominatis: In qua conuocatione & congregatione, electi & deputati fuerunt nonnulli, qui in Græciam irent ad Violandam Imperatricẽ Græcorum, ſororem dicti Ioannis vltimi Marchionis, denunciatum ei, quòd à fratre ſuo fuiſſet heres inſtituta, cũ ſuis filiis, & ad eam, eiúſque filios dictus Marchionatus ſpectaret, ob ídque dignaretur illa venire ad Marchionatum Montisferrati, ſi commodè facere poterat; Sin minùs mitteret ſaltem duos, aut vnum ex ſuis filiis, ad acceptandam & agnoſcendam hereditatem, ad poſſeſſionem apprehendendam dicti Marchionatus, & recipiendam fidelitatem, quæ à vaſallis, vniuerſitatibus, & hominibus dicti Marchionatus offerebatur, vt per inſtrumentum rogatum à Iacobino de Labora.

EODEM anno 1305. 14. Martij, Marchio Manfredus de Saluciis, cum [illegible] Gubernatoribus Montisferrati, remittunt & cedunt Margaretæ à Sacoudia, viduæ dicti Ioannis Marchionis, ſupradicta loca Lancei, Ciriaci, & Caſellarum, pro reſtitutione ſuæ dotis, cum pacto tamen ea redhibendi, mediãte ſolutione ſortis, pro qua fuerant obligata, vt conſtat ex inſtrumento recepto per Iacobum de Villars, productum in cauſa ex parte Mantuæ.

SVPRADICTI electi & deputati, cùm ſe in Græciam tranſtulliſſent, impetrauerunt ab Imperatrice Violanda, vt ex tribus filiis quos habebat, Ioannem, ſcilicet, Theodorũ, & Demetrium, mitteret Theodorum ſecundogenitum, collata in eum donatione dicti Marchionatus, per inſtrumentum quod inſertum eſt in hiſtoria Beneuenuti, fol. 118.

IS Theodorus vbi in Marchionatum venit, eiúſque poſſeſſeſſionem accepit, die 19. Nouembris, obtinuit in ciuitate Aſtenſi ab Imp. Hentico VII. inueſtituram, qua confitetur primò, & recognoſcit Marchionatum Montisferrati, cum ſuis pertinentiis, fuiſſe, & eſſe feudum nobile, & antiquum ſacri Romani Imperij. Deinde petit ſe de eo inueſtiri illo modo & forma, quibus prædeceſſores dicti Marchionis ſoliti fuerunt eundem Marchionatum tenere in feudum, à prædeceſſoribus dicti Imperatoris, prout de facto inueſtitus fuit ab eodem Imperatore, [*in nobile, rectum, gentile, antiquum, auitum, & proauitum feudum, pro ſe, & heredibus ſuis,*] remiſſa illi etiã omni caducitate. Tùm ſubiungit: [*Ita quòd amodò*

amodò idem Marchio pro se, & suis heredibus, dictum feudum teneat, & habeat, sicut, eo modo, & forma, quo & qua prædecessores, & successores Montisferrati habere, & tenere consueuerunt.]

ANNO 1311. cùm orta esset controuersia inter dictum Theodorum, & Manfredum Marchionem Saluciarum, qui successionem Montisferrati prætendebat, compromiserunt ipsi, in Bonifacium de Salucijs & Oppecinum Spinolam arbitros & arbitratores electos, à quibus prolatum fuit laudum, acceptatum, & executioni mandatum hinc inde, quo declararunt debere Theodorum dare, & remittere dicto Marchioni Saluciarum castella & terras Monharcheri & Cameranæ, iuraque omnia, quæ habebat Theodorus in castello & villa Cortemilliæ, & in locis Carserolæ, Cagniæ, Loësi, Holmi & Salegri: Præterea iura omnia, quæ habebat in castellis Montisclari & Buggij. Item quæ habebat idem Theodorus, & soliti erant habere in suis antecessores in quolibet feudo existente inter ciuitatem Albam, versus Hormeam, & à Cortemillia, & suprà, versus dictam Hormeam, vt docent instrumenta producta in lite ex parte Mantuæ, aduersus Marchionem Saluciarum.

EODEM anno 1311. 23. Iulij, dictus Theodorus vendidit tertiam partem Spigni & Rupeculæ domino Ponzoni, vt in instrumento per Albertum de Quinta rogato.

ANNO 1325. prima Martij, supradictus Theodorus, & Philippus à Sabaudia Princeps Achaiæ, duobus instrumentis conuenerunt, vt Ioannes, & Violanda, quando ad legitimam ætatem peruenissent, matrimonium contraherent cum filio & filia respectiuè dicti Principis Achaiæ, ita vt moriente dicto Ioanne sine legitimis liberis masculis, aut in casu quo in partes vltramarinas proficisceretur, ibi perpetuò cõmoraturus, nec ad partes nostras rediturus, in tali casu dictus Marchionatus pertinere deberet ad ipsã Violandã & eius successores, prout iam ex tunc dictus Marchio donatum ei volebat in dictum casum, inter viuos.

Eo ipso anno & die, conuenerunt dicti Marchio Theodorus & Princeps Achaiæ, vt dotem Margaretæ à Sabaudia, viduæ Ioannis vltimi Marchionis Saxonici, restitui oporteret intra annum: & in defectum solutionis, promisit Theodorus terram Lancei, cum sua Castellania, & locum Chiuasij, cum suis pertri-

nentiis,& pacto addito, vt quandocumque reſtitutis nummis,viciſſim reſtituerentur: De quo præter inſtrumenta iam deſcripta, adeſt prothocollum Franciſci Naſaporis.

ANNO 1326. die 17. Iulij, accidit,vt Syndici,& alij viri dictæ Communitatis Chiuaſij, cùm interpellati eſſent tanquam fideiuſſores dicti Theodori, qui in Græciam profectus tùm erat, vt multas pecuniæ quantitates, diuerſis creditoribus ſoluerent, ad Argentinã vxorem Theodori recurrerunt, petentes, vt ipſorum indemnitati prouideret; quibus reſpondit illa, Neſcire ſe qua demùm ratione prouideri poſſet,niſi quòd cùm Theodorus antè ſuam profectionem commendaſſet eam dicto Principi Achaiæ: poterant ipſi ad dictum Principem recurrere, prout tandem fecerunt, & ab eo impetrarunt, vt ſe obligaret ſoluere quod ipſi debebant:Et è contrario,dicti homines Chiuaſij ſpecialiter obligarunt dicto Principi, pro ſua indemnitate, locum & pertinentias dicti Chiuaſij, cum ſuis reditibus:Promittentes,ſe inducturos illum in poſſeſſionem,vt per inſtrumentum rogatum à dicto Naſaporis:fuitque dictum inſtrumentum ratificatum, die 3. Auguſti ſequentis à Conſilio publico Vniuerſitatis dicti loci.

IDEM ille Theodorus,anno 1329. & die 5. Auguſti,vendidit Thomæ Scarampo Aſtenſi, caſtellũ, villam & territorium Pontiſturæ, precio triginta millium florenorum, fuitque de eo rogatum inſtrumentum à Bonifacio Morello Notario Hyporediæ, quod refert Beneuenutus in ſua hiſtoria fol. 67.

ANNO 1330. & die prima Maij,dictus Marchio Theodorus, & Aymo Comes Sabaudiæ,conuenerunt de contrahendo matrimonio inter dictum Comitem & Violandam ſuprà dictam,cuius matrimonij fauore, dictus Theodorus dedit, & ceſſit dicto Comiti,iura omnia quæ habebat in caſtris & oppidis Lancei,Ciriaci, Caſellarum,& mandamenti ipſorum, ſaluis rationibus Margaretæ à Sabaudia, vxoris quondam dicti Ioannis vltimi Marchionis Saxonici:eíque Violandæ, dictus Comes augmẽtum conſtituit,ſeu donationem propter nuptias triginta millium ſcutorum auri,quæ impoſuit ſuper Prouincia Maurianæ. Ac præterea dictus Theodorus promiſit,& conuenit,vt in defectum deſcendẽtium maſculorum, deberet Violanda,& eius ſucceſſores habere Marchionatum Montisferrati in augmentum dotis (quod fundamen

damentum est vnius exprætensionibus sereniſſimi Ducis Sabaudiæ,) in hac ipſiſſima verba : [*Item conuenit, & promiſit dictus dominus Marchio prædicto D. Comiti, quòd ſi contingeret dictum dominum Marchionem, vel eius liberos maſculos ex legitimo matrimonio procreatos decedere, quoquo tempore abſque liberis maſculis, ex ſuis corporibus, & legitimis matrimoniis procreatis, quòd in illo caſu Marchionatus Montisferrati cum ipſius hominibus, vaſſallis, iuriſdictionibus, meris mixtis imperijs, & vniuerſaliter cum ipſius iuribus, ſint, & eſſe debeant pleno iure dictæ dominæ Violandæ, & ſucceſſorum ſuorum in augmentum, & ex cauſa dotis dictæ D. Violandæ, expreſsim hoc pacto appoſito, Quòd ſi aliquæ filiæ remanerent, & extarent ex dicto domino Marchione, & filijs ſuis legitimis, ex legitimis matrimonijs procreatis, quòd eis prouideatur ſecundùm dignitatem Marchionatus per dictam D. Violandam, heredes, & ſucceſſores eius de congrua, & ſufficienti dote, pro matrimonijs copulandis, vel per aliam viam caſtitatis, ſeu religionis, ſi ipſas magis eligerent.* Deinde ſequitur aliud pactum: *Item dictus D. Comes contemplatione dicti matrimonij quittat, cedit, remittit, atque donat dicto Domino Marchioni præſenti, & recipienti, omnia, & ſingula iura ſua, obligationes, priuilegia, ſeu inueſtituras acquiſitorum hinc retrò in Clauaſio, Verolengo, Montebello, ſeu in alia parte Marchionatus Montisferrati per inclytæ recordationis dominos Amedeum, & Edoardum Comites Sabaudiæ, per ipſum dominum Aymonem nunc Comitem, vel per dictam D. Margaretam, ſaluis, & exceptuatis ſpecialiter iuribus acquiſitis hactenus per dictos dominos Comites, & dictam D Margaretam, vel per alterum ipſorum in dictis caſtris Lancei, Ciriaci, & Caſellarum: quæ quidem omnia iura acquiſita in dictis caſtris Lancei, Ciriaci, & Caſellarum in prædicta renunciatione, ſeu quittatione non intelligantur incluſa,* vt per inſtrumentum rogatum & receptum per Ioannem Raynaudi.

ANNO 1337. die 4. Februarij contractum fuit matrimonium inter Ioannē filiū Marchionis Theodori, & Ceciliam Commingiam Comitiſſam Aſtiriaci, dotatam quadraginta millibus florenorum auri, eáque dos ſpecialiter aſſignata à dicto Ioanne, cum Marchionis patris ſui conſenſu, ſuper locis Chiuaſij, Montiſcalui, & Montisbelli, vt ſcribit Beneuenutus in ſua hiſtoria fol. 170.

IDEM Marchio Theodorus anno 1338. die 24. Februarij, fecit

teſtamentum, in quo Ioannem filium ſuum inſtituit, ſubſtituta ei dicta Violanda; & ipſa deficiente, ſubſtituit Demetrium fratrem dicti Marchionis, & poſt eum proximiores ſuos Hiſpanos, & tandem cognatos ſuos de Brunſvich in Germania, ſeruato ſemper ordine primogenituræ. Quam ſuam diſpoſitionem voluit valere iure teſtamenti, aut iure codicillorum, ſecundùm formam, & tenorem priuilegij ab Ottone, & alijs Imperatoribus conceſſi Aledramo & ſuis ſucceſſoribus, vt per inſtrumẽtum receptum à Gabriele de Riccobono.

MORTVO Marchione Theodoro, dicto anno 1338. die prima Aprilis, ſucceſſit in Marchionatu Ioannes eius filius, qui fuit inueſtitus à Carolo IV. Imperatore, anno 1355. die 10. Maij, In cuius inueſtituræ narratione dicitur & præſupponitur ita rem ſe habere, vt tam dictus Ioannes, quàm Aledramus, & alij eius anteceſſores, multas obtinuerint gratias, priuilegia, & conceſſiones, tam ſuper Marchionatu Montisferrati, quàm aliis terris & caſtellis à diuerſis Imperatoribus prędeceſſoribus dicti Caroli IV. Qui volens magis ac magis fauere dicto Ioanni, dicit in verbis diſpoſitiuis, [*ſe, vltrà prædicta*] donare, concedere, & conferre dicto Ioanni Marchioni, ac ſuis heredibus & ſucceſſoribus maſculis, & fœminis, multa loca ibi ſpecialiter nominata, quæ maiore ex parte tenentur ab aliis Principibus. Mox ſubiungit: [*Item omnes illas cortes in deſertis locis conſiſtentes, à flumine Tanagri, vſque ad flumen Vibæ, & ad litus maris.*] Quæ clauſula legitur in conceſſione Aledrami: & inde nominat præterea multa alia loca, quæ ſimiliter maiore ex parte, ab aliis Principibus tenẽtur. Tùm inferiùs ſubiicit, ſe illi donare, & cõcedere pro ſe, & ſuis heredibus & ſucceſſoribus, [*Omnia, & ſingula loca, caſtra, terras, & burgos exiſtentes, & exiſtentia in finibus, & circuitibus, ac pertinentijs Montisferrati: & cum hoc omnia, & ſingula loca, caſtra, terras, & homines, quas, & quæ habent, tenent, & poſſident, aut de iure habere, tenere, & poſſidere debẽt, & poſſidẽt omnes, & ſinguli nati, & deſcẽdentes ex progenie dicti quondam Aledrami primi Marchionis, vt præmittitur, necnon fidelitates, & fidelitatis vaſſallatus, ſuperioritates, & ſuperioritatis, dominia omnium, & ſingulorum prædictorum, & eorum qui de eadem progenie ſunt, in quibuſcunque locis ſint, conſiſtant, & potiſſimùm Marchionum de Carreto, de Ceua, de Crauesana, de Boſco, de Ponzo-*

no,

no, de Buſca, de Garreſſio, de Inciſa, omnium de progenie prædicta, & aliorum omnium ſi qui forent. Deinde ſequitur, *ita videlicet, quòd omnia, & ſingula cæſtra, bona, terræ, res, & iura, & dominia ex prædictis, & quolibet eorumdem, quæ ſunt de proprietate, & dominio noſtro immediato, & Sacri Romani Imperij ipſi Marchioni, heredibus, & ſucceſſoribus ſuis, vt ſuprà, in proprietatem: quicquid verò in feudum eſt, vel eſſe debet, aut etiam in retrofeudum in præmiſſis, hoc in rectum, & nobile feudum de nouo, vt ſuprà, damus, concedimus, & largimur.*

ANNO 1359. die 29. Ianuarij, Ioannes Marchio accepit à Republica Genuenſi ſeptem millia ducatorum Florentinorum, vltrà decem alia millia, iam tùm recepta, pro quorum reſtitutione obligauit ſpecialiter caſtellum & villam Nouæ, vt ſcribit Beneuenutus fol. 266. Et idem Marchio Ioannes in ineunda pace cum Galleaceo Duce Mediolani, remiſit ei ciuitatem Albæ, & certa alia caſtella, vt refert idem ille Beneuenutus, fol. 237.

ANNO 1369. 8. Martij, dictus Carolus IV. Imperator confirmat omnes conceſſiones Imperiales, dicto Marchioni Ioanni factas, tanquam ſi de verbo ad verbum fuiſſent ibi inſertæ, [*& ſicut in talium poſſeſſione legitima tempore tranſacto fuit, & adhuc eſſe dignoſcitur, & prout vſu ſunt vtentium approbata.*

DICTVS Marchio Ioannes die 9. Maij, ſuum condidit teſtamentum, in eóque confirmauit donationem factam Duci de Brunſvich terrarum Verolengi, S. Raphaëlis, Caſtanetti, Volpiani, & Brondicij. Et cùm haberet quatuor filios, inſtituit heredes ſingulares, Ioannem, Theodorum, & Guillielmum, in quibuſdam caſtellis Montisferrati aſſignandis per Papam Gregorium XI. & Ottonem Ducem de Brunſvich, tanquam qui meliùs inſtructi eſſent, quàm alius quiſquam de terris, & facultatibus dicti Marchionis: conſtituendo tutorem & curatorem dictorum filiorum ſuorum Ducem de Brunſvich, cũ facultate ampliſſima vendendi, infeudandi, inueſtiendi, reueſtiendi, & donandi eorum bona, quomodo vellet, & ad libitum ſuæ voluntatis. In reliquis autem bonis fecit heredem Secundotũ, aut, vt alij vocant, Secundum Ottonem, primogenitum ſuum: cui ſimiliter conſtituit tutorem Ducem de Brunſvich, cum ampla poteſtate, vt ſuprà. Subiungendo, quòd quãdiu Amedeus Comes Sabaudiæ nepos ſuus

foret

foret in Longobardia, esset etiam ipse si vellet tutor dicti Secundotti, simul cum Duce de Brunsvich; substituendo dictos tres filios ex ordine dicto Secundotto, vt constat ex dicto testamento, inserto in historia Beneuenuti, folio 296. & seq.

MORTVO paullò post dicto Marchione Ioãne, qui dum viueret, bellum gerebat cum Galleaceo Vicecomite, Comite Virtutũ pro ciuitate Albæ, dictus Dux de Brunsvich tutor dicti Marchionis Secundotti, sattegit per aliquot dies de tractanda pace cum dicto Galleaceo: quã cùm perficere nõ potuisset, misit Legatos ad Amedeum Comitem Sabaudiæ, cum quo, die 17. Iunij 1372. confœderationem inijt multa continentem pacta: inter quæ illud vnum est, vt dictus Marchio dare debeat ducenta millia florenorum auri, dando eidem ex tunc in solutum castellum & oppidum Chiuasij, cum suis pertinentijs, & totum territorium Canapicij intra Padum, cum omnibus iuribus, & vassalagijs dicti Canapicij, exceptis terris & vasallagijs à dicto Duce de Brunsvich possessis: cum pacto tamen redimendi infra certa tempora. Et quod interim à dictis vassallis & Communitatibus præstaretur iuramentum fidelitatis dicto Comiti Amedeo, & is perciperet reditus, & obuentiones dictorum locorum, vt per instrumẽtum authenticum & solemne, & legitur præterea in historia supradicta, fol. 315. & seq.

EODEM anno, & die 7. Iulij, dictus Comes Amedeus, & Papa Gregorius XI. qui tùm Auenione sedebat, tam suo, quàm Secundotti Marchionis Montisferrati nomine, fœdus inierunt, pro defensione ditionis Ecclesiasticæ in Italia, & Prouinciæ Pedemontanæ, ac Montisferrati, vt per instrumentum publicum, apparet.

IDEM Comes Amedeus anno 1372. tenuit à Marchione Mõtisferrati locum Poirini precio viginti duorum millium florenorum auri, vt refert Beneuenutus fol. 318.

ANNO 1374. 21. Aprilis, cùm orta esset cõtrouersia inter dictum Amedeum, Marchionem Secundottum, ob non secutam obseruationem pactorum, de quibus in suprà dicto fœdere conuenerant, nouas fecerunt conuentiones, immutatis quibusdam capitibus primæ confœderationis. Et inter cætera dictus Comes prorogat tempus redemptionis locorum ei remissorum, scilicèt Chiuasij,

Chiuasij, in annum vnum, à die conuentionis numerandum: aliorum verò locorum, in quadriennium, remittendo summam quadraginta millium florenorum, ex quãtitate ducentorum millium, pro qua fuerant supradicta loca anteà in solutum data, vt constat ex instrumenti desumpto & extracto authentico.

DICTVS Marchio Secundottus anno 1377. 2. Iulij, confirmauit testamentum Ioannis patris sui, maximè in ea parte, qua Ioannes confirmauerat donationem factam Duci de Brunsvich, dando ei ex integro, possessionem bonorum donatorum, cũ clausula constituti & iuramento.

POSTEA tractatu per dictum Papam Gregorium habito, secuta fuit pax, inter dictum Marchionem Secũdottum & Galleaceum Vicecomitem, accepta per dictum Secũdottum in vxorem, ex dispensatione Papæ, Violanda filia dicti Galleacei, ex qua tamen nullos suscepit liberos. Eóque mortuo anno, 1378. 16. Decẽbris, successit in Marchionatu Ioannes ipsius frater. Inter quem & dictum Galeaceum, noua rursum exorta bella, tùm pactis induciis in duos annos, & tres menses, compromiserunt in Papam Clementem VII. & in dictum Amedeum, vt refert Beneuenutus fol. 320. & 328. & seq.

OCCISO deinde prædicto Ioanne, die 25. Augusti. 1381. in bello Neapolitano, in quo pariter captus fuit Dux de Brunsvich à Carolo de Duracio, successit in Marchionatu Theodorus frater dicti Ioannis, & à Vinceslao Imperatore obtinuit confirmationem omnium priuilegiorum, & concessionum ab Imperatoribus, præsertim verò à Carolo IV. patre suo factarum, cum declaratione quòd quidquid à tutore, curatore, vel administratore dictorum Secundotti, & Ioannis fratrum suorum, contra formam dictorum priuilegiorum, & concessionem factam reperiretur, nullum esset & irritum; reseruata sibi tamen superioritate, & hoc anno 1384. die 17. Martij.

DICTVS Theodorus anno 1393. die 8. Septembris, accepta in vxorem Ioanna, filia Roberti Ducis Barri, suscepit ex ea, Ioannem Iacobum, natum anno 1395. die 23. Maij: & mortua dicta Ioanna, anno 1403. secundã vxorẽ duxit Margaretã à Sabaudia, filiam Ludouici Principis Achaiæ, ex qua nullos habuit liberos.

ANNO 1407. 2. Aprilis contracta fuerunt sponsalia inter dictum Ioannem Iacobum filium Marchionis Theodori, & Ioannam sororem Amedei, qui subinde fuit primus Dux Sabaudiæ: postea celebratæ nuptiæ anno 1410. mense Aprili, & conuentum inter eos fuit, vt dictus Theodorus deberet post mortem suam relinquere Marchionatum dicto Ioanni Iacobo, nisi fortè contingeret, vt alios susciperet liberos, & hoc casu liberũ ei esset ipsis relinquere, vt Ioannes fecerat, pater dicti Theodori, liberis suis.

Anno 1409. 1. Februarij, dictus Marchio Theodorus cessit supradicto Comiti Amedeo loca Turris dictæ *Del recetto di Vico*, Rupis Baldi, Sancti Albani, Putei, Baptistæ, Carasonis, & Trinitatis, cum ipsorum iuribus & pertinentiis: Et posteà omnium iurium ei competentium in ciuitate Montisregalis, & in ipsius pertinentiis, exceptis locis Cigliari, & Rupis Cigliari. Itémque iurium omnium, quæ habebat in locis Bouesij, Peueragni, Brusaporcelli, Margaritæ, & Venarum: in quorum vicem remisit dictus Comes, & cessit eidem Marchioni quædam alia loca, de quibus in instrumento per Vittonium Rauoriam, & Simoncellum de Cicolelis receptum.

ANNO 1414. die 26. Martij, Sigismundus Imperator erexit in Comitatum, Aquosanam, eíque adiunxit omnes terras & loca, quæ dictus Marchio Theodorus habebat, [*in toto territorio citrà Tanagrum, versus mare, & etiam citrà Tanagrum, versus Pedemontium, & Ast, cum omnibus quæ continentur in priuilegiis antecedentium Imperatorum, & specialiter Caroli quarti.*] Et de dicto Comitatu, cui præterea vnitas voluit omnes terras Canapicij, inuestiuit Ioannem Iacobum, [*ac heredes, & successores suos legitimos, & naturales masculos,*] reseruata superioritate dicti Comitatus, post iura Imperij, dicto Theodoro & eius successoribus in Marchionatu; & ita vt non posset dictus Comitatus in alium alienari, quàm in eum qui post mortem dicti Theodori esset in eo Marchionatu successurus. Nec ab eo tempore fuit vnquam renouata inuestitura, in fauorem cuiusquam ex descendentibus dicti Ioannis Iacobi; nec subsecuto vllo vsu approbata. Immò verò dictus Ioannes Iacobus, tanquam primus acquisitor ex noua qualitate data feudo de terris dicti Comitatus, maximè Canapicij, contraxit pro arbitrio, vt latiùs infrà dicetur.

DECES

DECESSIT Marchio Theodorus, anno 1418. relicta Margareta à Sabaudia, secunda sua vxore suprà nominata, quæ Monasterium ingressa sanctæ Magdalenæ, ciuitatis Albæ, reliquam vitam totam transegit, tanta pietate, & sanctitate in annum vsque 1464. vt inter Beatas meritò connumeretur, quemadmodũ scribit Beneuenut. fol. 422. & Philibertus Pingonius in arbore Gentilitiæ domus Sabaudiæ, fol. 51. Et ita successit in dicto Marchionatu, dictus Ioannes Iacobus, filius dicti Theodori, ex quo & ex dicta Ioanna à Sabaudia eius vxore nati sunt Ioannes, Guillielmus, Bonifacius & Theodorus: itemque filiæ duæ Isabella & Amedea.

DICTVS Marchio Ioannes Iacobus, & Amedeus primus Dux Sabaudiæ, frater dicti Ioannis, anno 1425. fœdus inierunt cum Venetis aduersus Philippum Mariam Vicecomitem, Ducem Mediolani, qui anno deinde sequenti pacem pactus est cum dicto Duce Sabaudiæ: In cujus capitulis inter cætera promisit vxorem ducere Mariam filiam dicti Ducis Sabaudiæ, eique donare ciuitatem Vercellarum, cum toto suo territorio & districtu intrà flumen Seziæ, vt scribit Beneuenut. fol. 423. & seq. Vbi refert præterea nouam confœderationem inter dictos Amedeum, Ioannem Iacobum, & Philippum Mariam, anno 1428. & scribit Pingonius in arbore sua Gentilitia fol. 56. contractum fuisse matrimonium inter dictam Mariam & Ducem Mediolani: eodemque anno donatam fuisse ciuitatem Vercellarum dicto Amedeo. Verius tamẽ est donata fuisse per Procuratores dicti Ducis Mediolani dicto Amedeo, 2. Decembris 1427. vt per instrumentum receptum à Ioanne Francisco filio quondam Petri Gallinæ: in quo tamen instrumento, nulla fit mentio quòd dictus Philippus Maria iam tùm fuisset gener dicti Comitis Amedei; fuitque ratificata donatio ab eodem Duce Mediolani, die 8. eiusdem mensis, vt per instrumentum ab eodem Gallina rogatum.

ANNO eodem 1427. & die 2. Decembris, dictus Amedeus Dux Sabaudiæ, & Philippus Maria. Dux Mediolani confœderationem aliam inierunt, eámque se facere dixerunt, [*Ex mandato sereniſsimi Romanorum Regis Sigiſmundi,*] reseruatis in ea Venetis & Florentinis, vt per instrumentum ab eodem Gallina receptum.

SIGISMVNDVS Imperator ſuis literis ſcriptis ſub die 20. Aprilis, 1431. ad Amedeum, imperat ei, vt à dicta confœderatione recedat, ſi quam fortè feciſſet cum Venetis, & eorum confœderatis: hoc quoque addito, vt ad arma proſiliat pro recuperandis aduerſus Venetos, ciuitatibus, & terris Imperij, ab ipſis occupatis, & iuxta dictarum literarum tenorem, qui talis eſt:

SIGISMVNDVS Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, ac Hungariæ, Boëmiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex. Illuſtri Amedeo Duci Sabaudiæ, &c. Principi, & conſanguineo noſtro cariſſimo: Gratiam regiam, & omne bonum. Illuſtris Princeps, & conſanguinee cariſſime; Notorium eſt, & manifeſtum, nec poteſt aliqua tergiuerſatione celari, qualiter Venети, noſtri, & Imperij ſacri antiqui hoſtes, & rebelles, tracti cupidine dominationis iniuſtæ, funiculos ſuos ampliùs extendèntes quàm debent, & ſe ſupra ſe extollentes, à longis temporibus vſque huc, ſacro Romano Imperio innumera contra Deum, & iuſtitiam abſtulerunt; & præſertim per ſuam tyrannidem terras, & ciuitates noſtras, & ſacri Romani Imperij Paduæ, Vincētiæ, Veronæ, Brixiæ, Pargami, Forumjulij & Patriarchatum, pluréſq; terras, alia quoq; dominia ad Imperiū ſacrum ſpectantia pro ſe indebitè vſurparunt: vtrumque Statum, ſpiritualem, videlicet, & ſecularem Comitum, Baronum, & totius ingenuitatis totaliter extinguendo. Et quamquàm nos cupientes euitare effuſionem ſanguinis Chriſtiani, ipſos Venetos præter morem regium ſæpenumerò benevolè moneri fecimus; imò cum Oratoribus ipſorum ad nos aliquoties miſſis tractauerimus, quòd prædictas terras, & dominia ad Imperium ſacrum ſpectantia, nobis vti Romanorum Regi reſtituere, & expedire vellent; tamen ipſi illud facere non tantummodò recuſarunt, ſed potiùs mala malis cumulando, terras alias, ciuitates, & dominia ad ipſum Imperium ſpectātia, & in Lombardia exiſtentia ſuis tyrannicis niſibus tam per vim, tractatúsque, & alijs multisfarijs modis vſurpare, & ſibi appropriare conantur. Nos quoque hucuſque manſuetudine ſolita has illatas iniurias quadam patientia tranſeuntes, vt ipſi Veneti quandoque ad cor reuerſi erga nos, & Imperium, facerent, vt debent, amplius tolerare non poſſumus, ad hoc effectualiter intendentes, vt id quod in ipſis pietatis mollire nequiuimus, potenti brachio aufferamus diſpoſiti ſumus, prout tuæ Dilectioni prius crebrò deſcripſimus, indubiè incontinenti perſonaliter intrare Italiam, & omni potentia fidelium noſtrorum ad hoc peragere, vt abſtracta, & ſuppreſſa de manibus æmulorum, Deo adiuuante, qui iuſtas cauſas fouentibus ſuam

dat

dat gratiã, recuperare valeamus. Idcircò Dilectioni tuæ firmissimè præcipiẽdo mandamus, requirentes, & admonẽtes te autoritate Regia, sub ea fide qua nobis, & Imperio Sacro existis obnoxius, quatenus non obstan. quibuscumque confœderationibus cum præfatis Venetis, & eorum colligatis fortassis initis, & nedùm absque scitu, & consensu nostro, tanquam Romanorum Regis domini tui veri, & ordinarij, verumetiam in dispendium, & damnum sacri Romani Imperij factis, quæ de iure nullatenus possunt subsistere, ab ipsorum Venetorum adhærentia mox resipiscas, & progenitorum tuorum, qui apud Imperium sacrum multa glorioſa fecerunt, & proindè sibi non modicos honores, & commoda cumularunt, sectando vestigia, tanquam fidelis vasallus, & Princeps Imperij, qui à nobis etiam non modica beneficia recepisti, te incontinenti pares, & disponas, actualitérque procedas cum qua maiori potentia poteris, ad seruiendum Maiestati nostræ in recuperationem iurium Imperij, & suorũ fidelium tuitionem, vnà cum alijs Principibus, & fidelibus eiusdẽ Imperij, qui ad hoc per nos sunt, & fuerunt ordinati, quemadmodum de Dilectione tua summè confidimus, & tu à nobis, & Imperio pro te, & filiis tuis vberiora bona expectas: secus non facturus sub pœna indignationis nostræ grauissima, & priuatione quorumque iurium, libertatũ, gratiarum, & bonorum, de quibus nobis, & Imperio variis respectibus obligatus existis: quam quidem priuationem, ex nunc, prout ex tunc te incurrisse intelligas, si statim receptis literis nostris eas executioni non mandaueris. Auisantes tuam Dilectionem, si te in hoc voto nostro inobedientem cognouerimus, quòd ad exterminium tuum tanquam rebellis nostri, & in hunc qui per inobedientiam crimen læsæ maiestatis incurrit, sic efficaciter procedemus, quòd alijs meritò poterit cedere ad exemplum: Confidimus tamen, quod tibi in hac facto aliter consules, & debito, ac honori tuo salubriùs prouidebis. Dat. Nurembergæ, anno Domini 1431. die vigesima mensis Aprilis, Regnorum nostrorum anno, Hungariæ quadragesimo quinto, Romanorum vigesimo primo, & Bohemiæ vndecimo.

Eo ipso anno 1431. secunda Iunij, idem ipse Imperator Sigismundus alias literas scribit ad dictum Ducem Amedeum, eius, qui sequitur, tenoris:

SIGISMVNDVS Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariæ, Bohemiæ, &c. Rex. Illustris Princeps consanguinee cariſsime; Quamquam Maiestatem nostram satis commouerit liga, & con-

fœderatio, quas cum Venetis & Florentinis tempore litis præteritæ iniisti, cùm ille non mediocriter contra nos, & sacrum Romanum Imperium tendebant, & tendunt; tamen illud mansuetudine Regia transeuntes, tibi pro eo hucusque nil mali intulimus; quin potius te requisiuimus, vt huiusmodi adhærentiis prætermissis nobiscum contra præfatos Venetos nostros insurgeres, prout tam ex scriptis, quàm nuntiis nostris ad te creberrimè missis clarius collegisti. Et ecce singulis negotiis nostris dispositis, & familia Curiæ nostræ ad Mediolanum præmissa, in procinctu eramus eorum vestigia quantotius subsequendi; sed Hæretici Bohemiæ ad nos miserunt; petentes nos instanter pro conuentione mutua sub spe bonæ concordiæ: ad quos, vt nil, quod ad bonum fidei, & reductionem ipsorum conferre posset per nos intentatum maneret, non parcendo laboribus, & fatigis, cum ipsis conuenimus, feruenti solicitudine laborantes, vt hanc pestem aliqualiter possemus compescere per quod cædes vitarentur & tolleretur effusio sanguinis Christiani. Sed quia cum Principibus, Doctoribus, & aliis peritissimis viris ipsos ad nullam honestam viam deflectere, nec eos aliqua potuimus mansuetudine, & pietate mollire, sine conclusione ab inuicem discessimus, & requisitis de nouo Principibus, Nobilibus, & Communitatibus sacri Imperij, vt cum exercitu suo iuxta determinationē in Norembergā factā ad Bohemiam accellerent, huc applicuimus, & sine intermissione, omni qua poterimus festinantia, die, nocteque ad Italiam continuabimus gressus nostros, dispositi omninò procedere, & à quibuscunque fidelibus nostris procedi facere armata manu contra Venetos antiquos hostes, & rebelles Imperij, qui multa detinent ex bonis Maiestati nostræ, & Imperio sacro, tàm extra Italiam, quàm etiam in Italiæ spectantibus: & ita per Dei gratiam procedendo, & procedi faciendo, vt occupata, & abstracta recuperentur, & ipsi Veneti, qui funiculos suos in aliena minus iustè extendunt, & se supra se extollunt, debitè compescantur. Et quemadmodum, vt præmisimus, Dilectioni tuæ plerisque vicibus mandauimus, vt cum potentia tua nobiscum deberes insurgere: illud idem etiam nouissimè per magnificum Conradum de Vensperg h Camerarium nostrum, & fidelem dilectum nunciando, ita denuò, & ex superabundanti eidem tuæ Dilectioni firmissimè præcipiendo mandamus, requirentes, & monentes te autoritate Regia, sub ea fide, qua nobis, & Imperio Sacro existis obnoxius, quatenus non obstantibus huiusmodi illicitis, & indebitis confœderationibus cum præfatis Venetis, & eorum colligatis, nedum absque scitu,

&

& conſenſu noſtro, tanquam Romanorum Regis domini tui veri, & ordinarij, verumetiam in diſpendium, & damnum ſacri Romani Imperij, initiſq; de iure nullatenus poſſunt ſubſiſtere, ab ipſorum Venetorum adhæxentia mox reſipiſcas, & progenitorum tuorum, qui apud Imperium ſacrum multa glorioſa fecerunt, & proindè ſibi non modicos honores, & commoda cumularunt, lenando veſtigia, tanquam fidelis vaſſallus, & Princeps Imperij, qui à nobis etiam non modica beneficia recepiſti, ſtatim aduerſus dictos Venetos, eorúmque colligatos vndecunque, & quomodocunque validiùs, & fortiùs poteris inſurgas, guerram eis, & colligatis ſuis faciendo, ac ad omnes offenſiones eorum velut hoſtium, & rebellium Imperij totis tuis viribus intendendo, quemadmodum etiam tuæ Dilectioni per præfatum Conradum de Venſpergh ſatis clarè ſignificauimus: ſecus nõ facturum ſub pœna indignationis noſtræ grauiſſima, & priuatione quorumcunque iurium, libertatum, gratiarum, & bonorum, de quibus nobis, & Imperio reſpectibus obligatus exiſtis. Quam quidem priuationem ex nunc, prout ex tunc te incurriſſe intelligas, ſi ſtatim receptis his literis noſtris, eas executioni non mandaueris; certificantes tuam Dilectionem, ſi te in hoc voto noſtro inobedientem cognouerimus, quod ad finale exterminium tuum, tanquam rebellem, & hunc qui per inobedientiam crimen Leſæ Maieſtatis incurrit, ſic efficaciter procedemus, quod aliis meritò poteris cedere ad exemplum: Confidimus tamen quòd tibi in hoc facto aliter conſules, & debito, ac honori tuo ſalubriùs prouidebis. Dat. Bambergæ, ſecunda die Iunij, Regnorum noſtrorum anno, Hungariæ, &c. xlv. Romanorum xxi. & Bohemiæ xi.

ANNO 1431. 13. Octobris, Mediolani Dux, ſcribit ad Ducem Sabaudiæ ſocerum ſuum, Venetos duos per Germaniam tranſeuntes, & qui à Marchionatu Montisferrati venerãt, captos fuiſſe à vaſallo quodam Imperatoris, & cum iis interceptam ſcripturam, quam à Marchione Montisferrati perferendam acceperant, continentem multa capita, quæ dicti Veneti referre ad Rempublicam debebant, ex mandato dicti Marchionis; cuius ſcripturæ exemplum ad ipſum Mediolani Ducẽ miſerat Legatus in Cæſareæ Maieſtatis curia degens. Et quia in eiuſmodi ſcriptura multa erant ab eodem Marchione dicta in præiudiciũ Ducis Sabaudiæ, & ditionis eius, conſtituit ad eum tranſmittere illud ipſum exemplum, ex cuius inſpectione poſſet, quaſi ea quæ oculis cernuntur

nuntur videre, quàm mala mente, malóque animo dictus Marchio affectus esset. Et habebat dicta scriptura inter cætera capita hoc quod sequitur: [*Tertiò, quod præfatus Dominus misit quemdam eius familiarem ad D. Thesaurarium Præpositum Parisiis, & dominum Præsidentem Parisijs, qui alias se obtulerunt paratos se velle intelligere ad offensas contra præfatum D. Ducem Sabaudiæ, ac etiam ad Rodericum: & quod ab ipsis nullum habuit responsum, & multum dubitat ne dictus famulus captus sit: quicquid tamen sit, non est spes ponenda in ipsis, in conseruatione Status præfati D. Marchionis, quia ad ipsius succursum nequaquam venire possent: si quid tamen ab ipsis habebitur, notificabitur præfato domino.*]

ET subiungit, expectare se à Republica, vt ad eum mitteret pecunias, cùm literæ in eam rem anteà Genuam missæ, nullum effectum habuissent. Itémque vt Respublica prouideret de equitatu mille ad minus equitum, ac præterea de mille peditibus per mare transmittendis, quod aliter non posset ille tantam equitum copiam sibi parare, nec si paratos haberet nummos.

INTEREA gerebatur bellum inter Ducem Mediolani ex vna parte: & Venetos & Florentinos ex altera: & Marchio Montisferrati tanquam pacto cum ipsis fœdere, partes eorum sequebatur, contra dictum Ducem Mediolani, qui missa ob eam causam ingenti armatorum hominum manu in Montemferratum, multas arces expugnauit, multaque oppida, quorum nomina exprimit Beneuenutus fol. 427.

ANNO 1431. 14. Decembris, Ioannes Iacobus Marchio scribit ad Ducem Amedeum, conqueritur aduersam sibi fortunam esse, suásque res quotidie in peius ruere, ob inuasionem factam, motúmque sibi bellum à Duce Mediolani: ac scripsisse quidem se iam anteà, & Legatos misisse ad dictum Ducem Sabaudiæ, neque tamen rescriptum quicquam fuisse à Manfredo de Saluciis Mareschalo dicti Ducis, nec à Præside Marchiādo, qui Pedemontanæ Prouinciæ præerat; indéq; valdè se dubitare, ne Legati nihil egissent: petens idcircò quanta poterat animi cōtentione, vt eum Excellentia dicti Ducis salutari aliquo remedio iuuare vellet.

DVX Sabaudiæ, cui fuerat comminatus Imperator, vt suprà dictum est, cùm Marchionis inconstantiā, & mutantis consilij incertitudinē videret, antequā supradictas literas acciperet, miserat

iam

iam Legatos & Procuratores Mediolanum, qui ad diem 18. eiusdem mẽsis Decembris fœdus inierunt cum Legatis & Procuratoribus, in eam rem à Duce Mediolani contra dictum Marchionem Montisferrati, cuius confœderationis instrumentum in actis productum fuit ex parte Mantuæ, & continet narratiuam sequentis tenoris:

QVOD cùm Illustris Ioan. Iacobus Marchio Montisferrati, præter & contra voluntatem Serenissimi Principis, & domini nostri Dom. Sigismundi, Dei gratia Romanorum Regis semper Augusti, inhibitionesq;, & mandata eidem per literas, & solemnes Ambasciatores authoritate Regia sæpissimè factas, inhærendo voluntati dominij Venetorum manifestorum rebellium sacri Romani Imperij, cum ipsis conspirationem, & ligam fecerit, & in guerram proruperit aduersus ipsius sacri Romani Imperij terras, feuda, & vasallos, signanter contra Illustriss. Principem, & Excellentissimum D.D. Philippum Mariam Anglum Ducem Mediolani, & Papiæ, Angleriæq; Comitem, ac Ianuæ Dominũ, Serenissimi D.D. nostri Romanorum Regis filium, & fidelem, temptando tam vi armorum, quàm diuersarum seditionum tractatibus operam præstans, & auxilium dicto Venetorum dominio, Statum ipsius Illustriss. D.D. Ducis Mediolani subuertere? terrasq;, & oppida, quæ ab Imperiali Majestate in feudum possidet, vsurpare: fueritq; necessarium, & expediens ipsi Dom. Duci Mediolani, tam pro defensione sui Status, quàm etiam propter requisitiones, & mandata Serenissimi Dom. nostri D. Romanorum Regis, non solùm ipsi D. Marchioni resistere, sed etiam sibi tanquam colligato ipsius Dominij Venetorum sacri Imperij rebellium, & inimicorum, guerram inferre, vt ita esse, & fuisse veritatẽ dixit, & protestatus fuit prælibatus D. Dux Mediolani, per medium personæ egregij vtriusque iuris Doctoris D. Nicolai de Arcimboldis de Parma, nuntij, & procuratoris sui in præsentia nostrũm Notariorum infrascriptorum. Cumq; Illustriss. Princeps, & D.D. Amedeus Dux Sabaudiæ, Chablaysij, & Augustæ, &c. similiter Imperialis feudatarius, & fidelis, tam per ipsum Serenissimum D. nostrum Regem Romanorum, quàm dictum D. Ducem Mediolani, velut fidelem Imperialem multipliciter, & instantissimè requisitus fuerit, & debitè interpellatus; imò etiam per ipsum Sereniss. D. nostrum Romanorum Regem sub grauissimis pœnarum arctationibus & sub vinculo fidelitatis comminatus, vt ad defensionem fidelium Imperij, & maximè ipsius D. Ducis Mediolani, ci-

uitatúmque, villarum, caſtrorum, & aliorum territoriorum, quæ ſub Imperiali feudo poſsidebat; necnon propulſationem, & offenſam ſibi guerram inferentem, cum toto ſuo exercitu proſiliret. Ipſeque Illuſtriſsim. D. Dux attendens affinitatem, qua tam ipſe Dominus Dux Mediolani, quàm dictus D. Marchio Montisferrati erga eum coniuncti ſunt, mitiùs agere volens, prædictum D. Marchionem per literas, & ſolemnes Ambaſciatores fraternè requiſiuerit, vt præfati D. noſtri Romanorũ Regis iuſsibus obtemperaret, & ab vlterioribus offenſis vaſallorũ, & feudorum Imperialium ſe vellet abſtinere. Quod tamen minimè facere curauit; imò, quod deterius eſt, multos Capitaneos, & alios ſtrenuos per magnarum rerum pollicitationes aduerſus ipſum D. Ducem Sabaudiæ incitauit; propter quod ipſe D. Dux Sabaudiæ videns rerum notorietate euidente ipſum D. Marchionem in contemptum Imperialis Maieſtatis manſuetire nolle, ſed totis conatibus peiora prioribus irrefrenabiliter tam contra dictum D. Ducem Mediolani, quàm etiam ipſum D. Ducem Sabaudiæ palàm, & clandeſtinè conſpirare: non volens etiam ipſe D. Dux Sabaudiæ, debito ſuæ fidelitatis exigente, vlteriùs differre, prædictis Imperialibus mandatis continuè ſuperemergentibus, pro poſſe obtemperare: nec etiam dicto Illuſtriſs. D. Duci Mediolani eius genero, & proximiori ſubuentionem denegare; imò nec prætermittere ſuiipsius propriæ D. Ducis Sabaudiæ ſaluti prouidere, & conſpiratis verſutiis ipsius Marchionis obuiare, vt ita eſſe, & fuiſſe veritatem in præſentia noſtrorum infraſcriptorum Notariorum dixerunt, & proteſtati fuerunt Illuſt. Dom. Manfredus Marchio Saluciarum, Mareſcallus Sabaudiæ, & ſpectabilis miles, & doctor D. Petrus Marchiandi Præſidens conſilij præfati D. Ducis Sabaudiæ citra montes reſidentis Oratores, Nũtij, & Procuratores præfati Illuſtriſs. & Excellentiſs. D. Ducis Sabaudiæ, ſponte, & ex certa animi ſcientia deliberauerunt præfati D. Ducis contra, & aduerſus ipſum D. Marchionem vnionem, ligam, & confœderationem facere, &c.

Tùm deueniunt ad pacta inter ipſos celebrata, in quibus cùm loquuntur de bello inter Ducem Mediolani & dictum Marchionem, vocant, [*Bellum motum*:] & cùm de bello inter Ducem Sabaudiæ, & dictum Marchionem, vocant, [*Bellum mouendum*:] & inter cætera pacta hoc vnum eſt:

[*Quòd ex tunc in antea nõ liceret cuiquam dominorũ Ducum Sabaudiæ, & Mediolani, aut aliis interpoſitis perſonis pacem, neque treguam cum dicto D. Marchione, terris, aut ſubditis ſuis facere; nec aliquo modo ipſam*

ſam pacem concludere, ſine expreſsis ſcitu pariter & conſenſu vtriuſque ipſorum dominorum Ducum; liceat tamen per vtrumque ipſorum dominorum, aut tractari facere; abſque tamen aliqua concluſione facienda, niſi de communi conſenſu vtriuſque dominorum Ducum prædictorum.

VBI vidit Marchio malè res ſuas cedere, & iam à Duce Mediolani obſeſſam ciuitatem Caſallis, nec ſibi expectanda amplius auxilia, & ſubſidia à Venetis, aliiſque cõfœderatis, cœpit cogitare de ſe in Ducis Amedei ſoceri ſui manum & protectionem prorsùs transferendo; confiſus fore, vt propter affinitatem & arctiſſimam coniunctionem, quæ inter ipſum Amedeum & Ducem Mediolani intercedebat, poſſet facilè dictum Ducem Mediolani ad pacis conſilia, & conditiones permouere, ab eoque impetrare, vt oppida & loca omnia quæ occupauerat, reſtitueret: In eamque rem miſſis ad Amedeum Legatis, pepigit cum eo, & cõuenit, vt paullò pòſt dicetur: Maximè verò de cedendis & remittendis ei in cuſtodiam reliquis oppidis, & caſtellis omnibus, quæ dictus Dux Mediolani nondum occupauerat: Imperans publico Diplomate dato Tridini, ad diem penultimam Decẽbris, vaſallis, & communitatibus omnibus, vt dicto Duci Amedeo obedirent. In cuius mandati executionem, collocata ſunt à Duce vbique præſidia, vt conſtat ex multis inſtrumentis à die 7. vſque ad 15. Ianuarij ſequentis 1432. confectis à Franciſco Pettenati, & Nicolino Garrone de Liuorno Notariis. Atque ita ſecundùm id quod tractatum & conuentum fuerat, dictus Marchio Ioannes Iacobus, & Ioannes eius filius primogenitus, ſe in Sabaudiam & ciuitatem Tononi tranſtulerunt, ad Ducem Amedeum: ibique die 13. Februarij. 1432. ſcripta ſunt & ſubſcripta manu propria dicti Ducis Amedei & Principis Ludouici ex vna parte, & dicti Ioannis Iacobi, & Ioannis ipſius filij ex altera, eadem illa pacta, quæ paullò antè cum dictis Legatis tractata & concluſa fuerant: Nec ab ipſis tantùm ſcripta fuêre, ſed ab ipſorum quoque Secretariis, in præſentia Ioannis Bellifortis, & Henrietti Nattæ, & ſigillis dictorum Principum munita. In quibus pactis, & capitulis, conuentum fuit, Vt ſecuta pace inter dictum Ducem Mediolani, & Marchionem, donaret ipſe Marchio dicto Duci Amedeo & ipſius ſucceſſoribus in bona & valida forma, terras, loca, & caſtella Cluaſij, Septimi, Volpiani, Tridini, & Liuornij, & cæteras omnes ci-

tra Padum existentes, quamuis iam affectas, & pignori obligatas pro dote Marchionissæ vxoris suæ. Promittens eam se dotem alibi collocaturum. Et vicissim Dux promisit ei infeudare, & remittere dictas terras, loca & castella Ioanni filio Marchionis, & successori futuro in Marchionatu, pro se & ipsius ascendentibus, descendẽtibus, & collateralibus agnatis Marchionibus Mõtisferrati in feudum ligium, nobile, antiquum, & paternum, & sub homagio nobili, & ligio præstando per dictum Ioannem ex consensu patris, pro se & suis successoribus, dicto Duci Amedeo & eius successoribus in Ducatu: Ita vt dictum feudum maneat inseparabile à Marchionatu, & semper ad eũ pertineat, qui in dicto Marchionatu sit successurus. Additis etiam aliis conuentionibus, de quibus in dictis articulis & capitulis: & specialiter, vt per eam homagij ligij præstationem non intelligatur præiudicatum fidelitati debitæ Imperatori pro dignitate illa Marchionali. Et vicissim dictus Amedeus pro se & suis successoribus promisit dictum feudum eidem Ioanni & eius successoribus tueri & adserere contra quamlibet personam, communitatem, collegium, & vniuersitatem, tam ratione possessionis, quàm proprietatis. Itémque factis & adimpletis supradictis omnibus, dimittere eidem Marchioni, & tradere terras, castella & loca, quæ dictus Dux Sabaudiæ per occasionem dicti belli occupasset inter Padum & Tanagrum existẽtia, pro quibus idem Marchio pro se & suis successoribus perpetuam adhærentiã dicto Duci promisit, & suis, aduersus omnes, excepto Imperatore; quemadmodum & pro omnibus terris, & locis occupatis à Duce Mediolani statim atq; recuperata essent. Itémque promisit dictus Marchio ea se loca omnia dicto Duci traditurum, qui subinde Ioanni, & eius successoribus concedere deberet pariter in feudum, & sub homagio, prout suprà, omnes terras, castella, & loca vltra Tanagrum constituta, cum facultate de illis disponendi in vasallagium inter fratres suos, & alios quoslibet; salua semper iure homagij & superioritatis dicto Duci Sabaudiæ. Et quantùm ad ciuitatem Albæ, Dianum, & alia loca vltra Tanagrum existentia, quæ per occasionem eius belli fuerant in depositum tradita dicto Duci, conuenit, vt quamdiu viueret dictus Marchio, manerent sub adhærentia dicti Ducis, vt suprà. Et post ipsius mortem pertinerent ad Ioannem, eiúsque successores

in

in feudum, vt suprà. Et ibi inter cætera capita vnum est, in hæc verba conceptum: [*Item ad maiorem præmissorum obseruantiam, teneantur, & debeant ipse Illustris Ioannes, & eius prædicti successores huiusmodi homagium, cum suis promissionibus, & cæteris clausulis in mutatione cuiuslibet domini, & vasalli facere, & solemniter præstare dicto domino Duci Sabaudiæ, & suis infra terminum iuris, aut post, incontinẽti, sine quacunque morosa dilatione: Et vlterius quamprimùm requirentur facere, & cum effectu procurare, quod ex nunc, & semper in ipsa mutatione cuiuslibet domini, & vasalli, omnes vasalli, communitates, subditi, adhærentes, & recommendati eiusdem feudi præsentes, & futuri solemniter promittent, iurabunt, & se efficaciter obligabunt de seruando, & nunquam contrà faciendo, præmissis per ipsum Illustrem Ioannem, & eius prædictos successores promissis. Quinimò si contingeret, (quod absit) quandocunque in futurum dictum Illustrem Ioannem, vel eius prædictos successores guerram facere contra dictum dominum Ducem, vel suos; aut sibi debitam obedientiam non præstare, his casibus, & in quolibet eorundẽ, vt & quando suprà, promittent, iurabunt, & se efficaciter obligabunt dicti vasalli, communitates, subditi, adhærentes, & recommendati eiusdem feudi totis viribus assistere, & auxiliari dicto domino Duci, & suis prædictis contra dictum Illustrem Ioannem, & suos prædictos successores, bona fide, præcisè, sineque exceptione, aut alia requisitione quacunque.*] Et in fine dictorum pactorum leguntur verba sequentia: [*quæ præmissa omnia capitula prolocuta fuerunt, & vnanimiter concordata inter ipsos dominos Ducem Sabaudiæ, Marchionem Montisferrati, & Ioannem eius primogenitum, adeò quòd facta prius pace inter ipsum dominum nostrum Ducem, ac Illustriss. D. Ducem Mediolani eius generum ex vna; ac dictum D. Marchionem partibus ex altera, illa omnia & singula sine quacunque mora, & dispendio firmentur.*

DIE 15. Februarij, Manfredus Marchiandus scribit ad Ducem Amedeum, quòd quamuis dictus Dux imperasset solui militantibus in Marchionatu, mensis vnius stipendia; debebantur tamen duorum mensium: Nec fieri poterat, vt in posterum sumi posset ex reditibus Marchionatus, quantum ad eos retinendos necesse esset. Ideóque nondum concluſa pace cum Duce Mediolani, necessariò quærenda alia subsidia, id est, de proprio ipsius Ducis ærario haurienda: subiungens nullam inde iacturam metui posse, cum indemnitatis pignus haberet ille in manibus, iuréque

licito dictam impensam posset repetere: propterea quòd cùm milites in præsidia Marchionis Montisferrati mitteret, significauerat ipsi Marchioni fore id oneri, & sumptibus ipsius, eique denũciationi & significationi Marchio consenserat. Scribit præterea misisse se & curasse, vt quidam ex iis, qui à Mediolani Duce capti fuerant, liberarentur.

DVX Amedeus tractata & concluſa pace ſcripſit continuò ad Ducem Mediolani, miſſis etiam ad eum Legatis, cum iis quos Marchio delegauerat, ad pacem cum dicto Marchione ineũdam, rogandúmque Ducem Mediolani, ne quam ampliùs moleſtiam dicto Marchioni inferret, attenta remiſſione & depoſito quod in manibus dicti Amedei Marchio fecerat terrarum, caſtellorum, & locorum dicti Marchionatus. Ad quas literas dictus Dux Mediolani reſpondit die 29. Februarij ſupradictæ, in hæc ipſa quæ ſequuntur verba:

ILLVSTRIS Princeps, & Excellentiſs. Domine, ac Pater mi chariſſime: Quemadmodum aliàs dixi, & ſæpius replicaui, ego filialem erga vos diſpoſitionem habeo, & ſemper habebo, nec minus res veſtras charipendo quàm meas, potiúſq; in me ipſum agerem, quàm aduerſus aliqua loca veſtra; ſed non habet Celſitudo veſtra admirationis aut querelæ cauſam, ſi ad acquirenda loca procedo Marchionis Montisferrati hoſtis mei, ex conuentionibus quas ſimul habuimus mihi ſpectantia. Non ago rem nouam, Pater Illuſtris, ſed proſequor quod inceperam; Nec ſcio, aut video qua debeam ratione deſiſtere ab acquirendis locis ex ipsis conuentionibus mihi ſpectantibus. Non intelligo etiam quare pacificè mihi viuendum ſit cum illo Marchione, inimico meo; quandoquidem nullam adhuc pacem cum ipſo firmaui, & inter eum ac me publicum bellum eſt. Non proceditur contra loca Marchionis, Paternitati veſtræ, ex factis conuentionibus pertinentia; ſed ad acquiſitionem tantùm eorum, quæ debitè mihi ſpectant. Eſſet à me de Officialibus veſtris habenda querela, qui ea cæperunt, & detinent loca, quæ vigore conuentionum inſimul initarum mihi dari debuiſſent; requiſiui tamen illa, ſed hucuſque nullus eſt ſequutus effectus: neque poſſum credere quod ex mente veſtra procedat, vt per veſtros occupentur quouis colore, vel modo aliqua mihi ſpectantia. Et quamquam ego legitimam occaſionẽ conquerendi habeam, nihil tamen conqueror, & mihi ſufficit proſequi iura mea, in quo ſiquidem pactiones factas non excedo. Non puto Excell. Veſtræ diſciplicere; imò ea ſpe, & fiducia viuo, vt

Pater

ternitati veſtræ gratum eſſe non debeat, quod Officiales veſtri occupauerint, & occupata detineant loca mihi ſpectantia. Adſunt conuentiones, adſunt ratificationes earum authenticæ, quarum fides diligentiſſimè obſeruãda eſt. Videatur ſubtiliter quicquid continent, & clarè patebit, quod ego indebitè non procedo: ſiq; reperiatur oppoſitum, emendationi debitæ ſtare offero; ſed certus reddor, quòd Officiales veſtri iudicabuntur debitum exceſſiſſe, quamquã Paternitati veſtræ forſan aliter perſuadeant, vt errorẽ ſuũ palient, transferantq; in alios. Non admiretur igitur Celſitudo veſtra, ſi à perſequutione iuris mei non deſiſto, quia deſiſtendo viderer ab ipſo iure decidere. Venientibus tamen Oratoribus veſtris, ſicut ſcribitis, paratus ero facere quicquid debeo; certum habens, quod etiam erga me fieri debeat illud idem, ſicut meritò fieri debet inter patrem & filium. Dat. Mediolani, die 29. Februarij 1432. Filius veſter Dux Mediolan. &c. Papiæ, Angleríumque Comes, ac Ianuæ Dominus, Franciſcus.

ET ſanè ita erat, nec ceſſabat Dux Mediolani inſtitutum bellum proſequi, maiora in dies damna Marchioni inferendo, vt cõſtat ex variis literis ſcriptis per Legatos dicti Ducis Sabaudiæ & alios: itémque per epiſtolam quandam Marchioniſſæ Montisferrati ad diem 18. Februarij, per quam ſcribit illa ad Marchionem maritum ſuum, captum eſſe & direptum à militibus Ducis Mediolani locum Corſionis, quam epiſtolam Marchio poſtea miſit ad Ducem Sabaudiæ, cum aliis ſuis literis ad diem 24. eiuſdem Februarij datis: rurſúmque per alias literas die 18. eiuſdẽ Februarij ſcriptas ad Ducem, ab vno ex ipſius officiariis, qui Ditto dicebatur, traductas primùm è lingua Gallica in Italianam, ſequentis tenoris:

METVENDISSIME mi Domine: Præmiſſis humiliſſimis ſalutationibus, ſciat V. E. Balliuum Chablasij & me nunc primùm Mediolano rediiſſe & cum Duce Mediolani tractaſſe iuxta voluntatem E. V. & mandata nobis data vt referet ipſe Balliuus, ne in ſcribendo longiores ſimus. Cras ille rectà ad E. V. profecturus eſt. Sciat rurſum, Domine mi metuendiſſime, non potuiſſe nos vlla ratione à Duce Mediolani obtinere vt abſtinere voluerit ab iniurijs contra multas terras Marchionatus inferẽdis, in quibus præſidia tenet E. V. dicens loca illa ad ſe pertinere, ex cauſa Comitatus Papienſis, & quòd finito bello vergeret ea res in præiudiciũ ſuum: & in ſumma tandem conceſſit nobis & contentus fuit abſtinere à dictorum locorum & caſtellorum obſidione, cùm iam alioqui bombardas & tormenta

menta bellica pro obſidendo Pomario & Burgo S. Martini præparaſſet, multúmque conqueritur quòd non ſint ei remiſſæ terræ & arces, quas ad ſe pertinere contendit, iuxta formam pactorum & conuentionũ cum Oratoribus veſtris factarum. Nos ei ad omnia reſpondimus prout nobis conuenire viſum eſt, ſimulq; loca dicti Marchionatus, quæ habet E. V. in manibus, per eam teneri tam pro ſecuritate dicti D. Ducis, quàm pro ſua propria. Multaq; alia ſubiunximus, quæ Balliuus referet. Optimum erit Legatos quamprimùm mittere, vt huius negotij exitus & concluſio aliqua inueniatur: erit enim dicto D. Duci pergratum vt illud fiat. Recordetur etiam E. V. metuendiſſime mi Domine, & proſpiciat vt militaria ſtipendia ſoluantur: quandoquidem tanta milites premuntur egeſtate, vt diutiùs ſubſiſtere non poſſint: quæ me res cogit vt ipſo quoque die vaſa quædam argentea mittam oppignoratum ad ſubleuandum ipſorum inopiam, donec ſtipẽdia perſoluantur. Metuendiſſime mi Domine, Benedictum Dei Filium precor, vt ſua gratia ampliores E. V. honores in dies, longamq; ac proſperam vitam largiatur. Scripſi manu mea propria apud Sauliacum, die 18. Februarij, 1432. ſubſcripta, *ſeruus Ditto*, & ſupraſcripta, *Ad Excellentiſſimum Ducem Sabaudiæ Dominum meum metuendiſſimum*. Et per alias eodem anno 1432. & die 3. Martij ſcriptas à Manfredo & Petro Marchiandi ad dictum Ducem Sabaudiæ, & traductas, vt ſuprà; quarum tenor ſequitur:

METVENDISSIME mi Domine, poſt dictam tibi ſalutem plurimam, & commẽdationem humilimam: Dignabitur ſcire quòd inſequendo ſua mandata, aperuimus literas hîc incluſas, & vidimus quidquid in ijs continetur, atque ita noſtrum iter peragimus ad Mediolani Ducem, ad quem citiùs ire non potuimus, cùm is ſtipendia militum vrgeret, quæ ad hunc vſque diem habere non potuimus. Cæterùm hîc noui nihil eſt, niſi quod, metuẽdiſſime Domine, milites ducis Mediolani non ceſſant offendere Montemferratum. Inueniunt tamen, qui ex parte noſtra reſpondeat, repulſis & fugatis iam multis, qui ad excurſiones venerant, vt nos offenderẽt; ita vt ab eorum partibus iam multi capti ſint, & ſimiliter mortui multo plures, quàm ex noſtris: & noſtri ſemper rectiùs ſe gerunt quantùm fieri poteſt, per Dei Opt. Max. gratiam, quem precor vt vobis & honorem & vitam diutiſſimè proroget. Dat. Vercellis, 3. Martij, ſubſcripta, *Humilimi, & obedientiſſimi ſerui & ſubditi, Manfredus & Petrus Marchiandi*, ſuperſcripta, *Duci Sabaudiæ domino noſtro metuendiſſimo*.

MARCHIO Montisferrati publicis ſuis literis Tononi datis, prima

prima Maij, confirmat, & de nouo poteſtatem dat Duci Sabaudiæ tranſigendi pro arbitrio, & prout vellet, cum Duce Mediolani; Atque ita profectus Sabaudia, cùm fingeret ſe in Montemferratum redire velle, Bernam iuerat, inde profecturus Venetias, celato Duce Amedeo, vt probatur ex epiſtola dicti Marchionis è Berna ad dictum Ducem miſſa, die 4. Maij, tenoris ſequentis:

ILLVSTRISS. & Excellentiſs. domine frater honorande: Moleſtum nobis foret cum vlla mundi perſona genere aliquo diſceptationis, & rixæ contendere; naturaliter etenim pacem appetimus, ſemperque nobis cura fuit omnia agere, & pati, quibus omnis obiurgandi materia amoueri deberet. Verùm longè moleſtius nobis eſt, ſemperq; fuit voluntati noſtræ permaximè contrarium armis, & bello decertare cum Illuſtriſs. Fraternitate veſtra, & Illuſtriſs. & Excellentiſs. Domino Duce Mediolani, cùm ſanguine, & affinitate mutuo iungamur. Cùm autem fatis laxatibus nequaquam adimplere potuerimus hoc tam ardens votum noſtrum, imò deuentum fuerit ad ea de quibus Excellentia veſtra plenariè informata eſt, omne noſtrum ſtudium conuertimus ad ea quærenda, & facienda, quæ illa omninò ſedare poſſent. Ea ex re perſonaliter ad conſpectum veſtræ Excellentiæ venimus, miſimus & inſuper Oratores noſtros Mediolanum, vt vnà cum Oratoribus veſtris, & deputandis per præfatũ Ducem Mediolani, ea quæ pacis ſunt quærerent. Conſideratis autem ſingulis ex practicatis hinc inde reſultantibus, ac confœderationibus, quibus colligamur Illuſtriſs. Ducali dominio Venetiarum, & Magnificæ Communitati Florentiæ, opus, & neceſſarium eſt, vt ſuper huiuſmodi rebus aliqua dari poſſit forma, & concluſio, quòd perſonaliter nos transferamus ad dictam ciuitatem Venetiarum; melius enim, & celerius nos ipſi agendis, & incumbentibus nobis cum præfato Illuſt. dominio Venetiarum, & Magnifica Communitate Florentiæ formam dare poterimus, ſaluo honore, & indemnitate noſtris, quàm valeat nomine noſtro alia quæque perſona. Greſſus itaque noſtros ob hæc ad partes illas dirigimus, quæ nunciare decreuimus iam dictæ veſtræ Fraternitati, ne admirationem vllam capiat de huiuſmodi acceſſu noſtro, nec opinetur, quòd ob hoc ab inceptis practicis concordiæ, & pacis reſilire velimus. Diſpoſiti etenim ſumus in eis firmiter intendere, ordinauimúsque, quod Oratores noſtri prædicti ad omne veſtri beneplacitum materiam hanc proſequantur. Et nos hoc medio omni diligentia agemus, & perquiremus, quæ nobis neceſſaria ſunt pro dicta cõcluſione honorificè firmanda; conſtanter namque tenemus, quòd gratiſſimum vobis

erit, & præfato D. Duci Mediolani, vt potius illæso honore nostro, & cum beneplacito horum, quorum consocij sumus, hæc firmemus, quàm quod cum vlla honoris nostri macula prædicta concludamus; adhæc etenim tota nostra laborat intentio, hac de causa hunc laborem itineris sustinemus. Nos itaque, & facta nostra iam dictæ vestræ Illustr. Fraternitati ex corde recõmittimus, precamurque eam, quatenus practicam prædictam reconciliationis prosequatur, nec vllatenus illam rumpi permittat. Nos verò de ijs, quæ egerimus, curabimus confestim eam reddere certiorem, ad cuius beneplacita quæque parati semper sumus. Dat. Bernæ, die quarta Maij, 1432.

ET ex alia eiusdem epistola ad Comitem Gebennensem, scripta Venetiis, die 2. Iunij, tenoris sequentis:

COMITI Genuæ honorandissimo meo nepoti: Honorandissime nepos, Ego me tibi commendo quantùm possum: & tibi notum facio me magnã teneri desiderio sciendi boni aliquid de Domino fratre meo, de te, de mea Domina, & de meo nepote Philippo, supplicando Deum Opt. Max. vt talia sint noua quæ expecto, qualia cor meum desiderat. Et si cupis scire rerum mearum historiam, sto sanus corpore, Dei gratia. Honorandissime nepos nolim te in malam partem accipere, quòd ante discessum meum, nihil tibi dixerim de itinere quod meditabar, cùm isthinc excederem. Testor enim Deum, me id feciſſe ex legitima causa. Quòd si in eo tibi displicui, peto, ignoscas. Et quãdocumque placebit tibi paratum me experieris ad iussa tua omnia capessenda. Est enim rationi maximè consentaneum, nepos honorandissime, si quid sit quod à me fieri possit, hoc vt faciam: & precor Deum vt te conseruet. Gratissimum mihi est à te habere literas, ex quibus videam tibi à me satisfactum. Quòd si meæ literæ non ea ortographia scriptæ sunt, qua deceret, ignosce scribenti qui melius nescit. Placeat tibi commendare me fratri meo. Scripta Venetiis, 2. Iunij.

ET iterum ex alia epistola ad dictum Ducem scripta per Ioannem filium Marchionis, die 29. Iunij, tenoris qui sequitur:

ILLVSTRISSIMO, & Excellentissimo Domino, & auunculo honorando Domino Duci Sabaudiæ. Illustriss. Princeps, & Excellentiss. Domine, & auuncule honorande: Quia nobilis Magnificus Ioannes de Trufort pridie dum hîc fuit mihi dixit, sicut vestræ Excellentiæ relatum fuerat, quòd ego dixisse debueram, quòd Illustr. & Excel. Dominus genitor meus honorandus Dominus Marchio iuerat Venetias cum consensu, & licentia præfatæ vestræ Excellentiæ: Ideò deliberani cum omnimoda reuerentia de hoc iuxta meram veritatem Celsitudinem vestram claram reddere;

reddere; videlicet ſicut ſalua gratia illius, qui ita retulit non in veritate protulit illa verba. Eſt benè verum, quòd dixi præfatum Illuſtrem Dominum genitorem meum receſsiſſe à vobis cum veſtri beneplacito, & bona licentia; ſed de eundo Venetias nunquam protuli verbum, nec proferre potuiſſem tanquam de hoc ignarus; & ita deuotißimè precor, vt huiuſmodi veridicam reſponſionem meam acceptare dignetur memorata veſtra Excellentia, cui me deuotißimè, & humiliter recommendo. Dat. Clauaxij, die 29. Iunij, 1432. Nepos veſter Ioannes de Monteferrato.

TANDEM Dux Mediolani, ad inſtantiam & preces Ducis Amedei, de pace cum dicto Marchione ineunda tractari paſſus eſt, & literis ſuis patentibus datis die 4. & 11. Maij, Procuratores ſuos fecit Candidum Decembrem Secretarium ſuum, & Lancelottum Crottum Conſiliarium, vt interuentu Ducis Amedei pacem tractarent & concluderent.

SED conſilium, quod cæperat Marchio eundi Venetias, nec concludendi pacem cum dicto Duce Mediolani, abſque conſenſu Venetorum & Florentinorum, in cauſa fuit ne tractatus ille pacis, per Amedeum Ducem concluſus ad effectum perduci potuerit: propterea quòd neque Veneti, neque Florentini, qui non ſolùm inimicitias, ſed etiam bellum cum Duce Mediolani gerebant, vnquam conſenſiſſent, aut permiſiſſent, vt eorum confœderatus Marchio pacem iniret, quin ipſi quoque iiſdem pactis continerentur.

DICTVS Marchio miſit à Treuiſio Secundinum Nattam Conſiliarium ſuum Legatum ad Ducem Amedeum, cum literis fiduciarijs, aut vt vocant, confidentiæ, datis die vltima Iunij, & prima Julij, commendans ei ſeipſum, vxorem, filios, & ſtatum. Idemque repetit per alias literas 29. Auguſti, à Treuiſio rurſum ſcriptas: & rurſum per alias literas Venetijs datas, die 2. Iunij, ſcribens de ſuo ad Venetos aduentu, & quantos illi ad bellum facerent apparatus, paratis iam 11. millibus equitum, 8. millibus peditum, & 12. millibus copiarum auxiliarium: hoc etiam addito, quòd triremes 36. iam è Corcyra ſoluerant, Genuam versùs, præter 4. alias Florentinas, & alias 5. iam anteà profectas: & quòd dicta Reſpublica Venetorum magnas iam habebat copias, & de magnis rebus audēdis & perficiēdis cogitabat: ita vt belli exitus non poſſet non eſſe dubius. Subiungitque, locutum ſe cum ple-

risque ex dominis Gubernatoribus Reipublicæ, pro negotio Lausannæ & Abbatiæ Sancti Stephani Vercellensis, iuxta id quod à Duce habuerat in mandatis; qui omnes responderant paratos se adimplere omnia quæ possent, in eamque rem miserant Romam ad Reipublicæ Oratorem, vt rem totam diligentissimè procuraret.

AD diem 10. Octobris, eiusdem anni 1432. dictus Marchio, cùm adhuc esset Venetiis, scribit ad Ducem Amedeum, quòd in Ciuitate Ferrariæ de pace tractabatur, ibique erant Legati confœderatorum omnium: Itemq; Ducis Mediolani: nec tamen sciri poterat, quis colloquij exitus futurus esset: & die 16. Nouembris scribit rursum iniri secretos tractatus de pace; sed de quibus nihil possit apertiùs scribere, breui tamen fore vt ad Ducem mittat virum aliquem grauissimum, ex quo ille sit omnia sigillatim intellecturus, quæ Marchio ipse sciret: rursumque eidem commendat seipsum, vxorem, filios, & statum.

INTERIM cùm esset Marchio Venetijs, Dux Amedeus seruabat terras, castella, & loca, quæ ei Marchio in custodiam dederat: & cùm de futura pace mentem suam insinuasset Dux Mediolani, qui interim ab omnibus iniuriis contra dictum Marchionem & ipsius statum inferendis abstinebat, videbatur sibi dictus Marchio rebus suis sat benè prouidisse, cùm in Monteferrato, per interceſſionem & diligentiam Ducis Amedei, nihil hostiliter fieret à Duce Mediolani: & Ferrariæ tractaretur de componendo negotio, & firmanda pace inter dictum Ducem Mediolani, Venetos, & Florentinos. In quo tractatu non poterat ipse non comprehendi, tanquam adhærens & confœderatus dictis Venetis & Florentinis. Ideóque parum curabat adimplere ea, quæ pactis Tononensibus continebantur.

TRACTATVM tandem fuit per Nicolaum Astensem Marchionem Ferrariæ, & Ludouicum Marchionem Saluciarum arbitros electos, & concluſa pax Ferrariæ inter dictos Venetos, & Florentinos ex vna parte; & Ducem Mediolani ex altera, & pronunciata per eos fuit sententia arbitramentalis, & laudum pacis die 26. Aprilis, 1433. Et quantùm ad dictum Marchionem Montisferrati fuit dictum & declaratum in hæc verba:

[*Item, quòd præfatus Illustr. D. Dux Mediolani teneatur, & debeat*

infra

infra terminum vnius mensis, à die latæ præsentis nostræ sententiæ computandi, liberè, & expeditè restituere, & relaxare, ac relaxari, & restitui facere omnes terras, castra, fortalitia, & loca, quæ per eum, seu eius colligatos, adhærentes, recommendatos, complices, & sequaces, ac gentes, & subditos suos fuerunt præfato D. Marchioni adhærentibus, recommendatis, feudatarijs, complicibus, & subditis suis ablatæ, & ablata à principio huius guerræ citra, vsque in diem præsentis latæ nostræ sententiæ. Pro terris autem, & locis eiusdem D. Marchionis Montisferrati, quæ tenentur per Illustriss. D. Ducem Sabaudiæ, vel subditos feudatarios, aut complices suos, prædictus Illustriss. D. Dux Mediolani ad earum restitutionem minimè teneatur; sed teneatur, & obligatus sit omni possibili prece, & affectione idem D. Dux Mediolani intercedere, & rogare prædictum Illustrissimum Ducem Sabaudiæ, vt debeat restituere, & liberè relaxare ipsi D. Marchioni Montisferrati omnes ipsas terras, & loca eiusdem D. Marchionis Montisferrati, & quæ olim per eum possidebantur, seu eius adhærentes, recommendatos, feudatarios, complices, & subditos suos à principio huius guerræ citra, remanente ipso D. Marchione Montisferrati colligato ligæ, & in aliquo non obligato Domino Duci Mediolani aliqua ratione, vel causa.]

Ex quo apparet Marchionem Montisferrati tùm animo agitasse, vt tentaret, an per interceſſionem Ducis Mediolani posset impetrare restitutionem terrarum & locorum, quæ, vt suprà dictum est, tradiderat, & remiserat Duci Sabaudiæ, citra obseruationem pactorum, quæ Tononi cum ipso stabilierat. Idémque rursum per Venetos tentabat, qui hanc in rem miserant Legatos ad Ducem Sabaudiæ, & ipse viciſſim ad Venetos, paratum se dicens restituere, dummodò prior Marchio ex sua parte obseruaret & adimpleret quidquid in dictis pactis se promiserat facturum. Replicantes Veneti per literas datas die 3. & vltima Augusti, anni 1433. precabantur & vrgebant ardentissimè dictum Ducem, vt earum terrarum ac locorum dicto Marchioni restitutionem faceret. Et quod ad dicti Marchionis promissa pertinebat, pollicebantur daturos se omnem operam, vt perficeret ipse omnia & adimpleret. Et Marchio die 2. eiusdem mensis Augusti, scripsit ad Ducem Amedeum se intellexisse à Guillielmo Rigaudo Consiliario, & ab Andræa Maletti Secretario Legatis missis ad Venetos à dicto Duce, quæ illi ad eum retulerant, & quibus respon-

derat: [*Prout eidem*, inquit, *poterunt referre, & eum de ſincera diſpoſitione ipſius Marchionis pleniùs informare, paratum ſe dicens ad ſingula ſuæ Excellentiæ grata.*] Et ad diem vltimam menſis Auguſti, 1433. ſcribit dictus Marchio ad Ducem Amedeum, ſe omnia intellexiſſe, quæ dictus Amedeus ad Venetorum Ducem ſcripſerat, referens illi eo nomine gratias, & dicens ſe certum eſſe dictum Ducem Amedeum paterno, fraternóque animo ſecum ſemper tractaturum. Subiungens, [*Nos verò reciprocè diſpoſiti ſumus erga eandem debitum adimplere.*]

MARCHIO Ferrariæ, dum Vienna Metropoli Allobrogum rediret, quò profectus erat priuatæ ſuæ erga D. Antoniũ deuotionis gratiâ, diuerterat Geneuã, colloquij cum Amedeo Duce habendi cauſa. Et cùm Mediolanum veniſſet, ſcripſit ad dictũ Ducem ſub die 9. Iulij, 1434. vt in hæc quæ ſequuntur verba:

ILLVSTRIS & Excelſe domine, maior frater noſter honorandiſſime; Libenter intelleximus, quæ ſub literis credentialibus Excell. V. nobis in Vercellis expoſuit vir egregius D. Franciſcus de Tomatis iuris vtriuſque Doctor ſuper factis concernentibus Illuſtr. fratrem noſtrum chariſſimum dominum Marchionem Montis ferrati, quæ effectu continent, quòd dummodò ipſe Illuſt. D. Marchio Excel. V. remittat totum territoriũ ſuum, quod eſt citra Padum, & illud ab ea in feudum recipiat Ioannes eiuſdem D. Marchionis primogenitus, & ipſe D. Marchio de reſiduo totius ſui territorij faciat adhærentiam, contenta eſt liberaliter eireſtituere omnia bona, & loca per eum in manibus Excel. V. repoſita. Miſit ad nos ſpectabilem legum Doctorem D. Henrietum Nattam, cui prædicta notificauimus, vt ea referat præfato D. Marchioni. Conſiderata autem perfecta diſpoſitione Excel. V. erga eum, quam ex prædictis, & ex colloquio, quod in Gebennis cum ea habuimus, perfectè percepimus; ac etiam ſincera beneuolentia, & reuerentia, quam ipſe reciprocè gerit ad eam, cuius teſtes ſumus firmiter ſperamus, quòd his auditis, ipſe nullatenus diſcedat ab hac veſtra intentione. Precamur itaque, & obnixè oramus eam, quatenus ad hanc concluſionem cum eo deuenire velit manu liberali, & ipſum tum reſpectu conſanguinitatis, & affinitatis, & amoris fraterni mutui, quo inuicem iungimini, tùm etiam noſtri contemplatione, dignetur habere commendatum. Recipiemus in hoc ab eadem veſtra Excell. complacentiam ſingularem, & nos paratos inuenerit ad eius quæque beneplacita. Dat. Mediolani, die 9. Iulij 1434.

CON-

CONVENIENTER dictis literis Marchionis Ferrariæ, Marchio Montisferrati ſcripſit ad eundem Ducem Amedeum, Caſalis, die 12. Iulij, eo qui ſequitur tenore:

ILLVSTRISS. Princeps, & Excelſe domine frater honorande. Ex Vercellis nos requiſiuit Illuſtr. frater noſter chariſſimus Marchio Eſtenſis, quatenus ad eum vnum ex noſtris in Mediolanum mitteremus, cui nõnulla explicare poſſet. Miſimus itaque ad eum ſpectabilem legũ Doctorem dominum Henrietum Nattam chariſſimum Conſiliarium noſtrum, qui heri ſerò ad nos rediens, nobis retulit parte præfati Illuſtris D. Marchionis, quòd ſpectabilis iuris vtriuſque Doctor D. Franciſcus de Tomatis nomine Excellentiæ veſtræ ipſi Illuſtr. Dom. Marchioni expoſuit in ſumma, quòd ſi veſtræ Eccellentiæ remiſſionem facimus de territorio noſtro vltra Padũ, & nos, aut Illuſtr. Ioannes primogenitus noſter illud ab ea recipiamus in feudum, & nos de reſiduo territorij noſtri Illuſtr. veſtræ Fraternitati faciemus perpetuam adhærentiam, de nobis contenta reſtabit ſuper his, quæ inuicẽ habemus agere, ac nobis reſtituet, quæ in eius manibus repoſuimus. Multáque alia retulit ſignificantia fraternam beneuolentiam, & paternum amorem, quem Excel. veſtra erga nos gerit, quibus conſideratis Illuſt. frater, ac etiam quæ nobis retulerunt Oratores noſtri, qui ab ea ad nos redierunt, Excellentiæ veſtræ, quas poſſumus, & debemus, pro huiuſmodi ſingulari dilectione ſua erga nos ingentes agimus gratias; quamquam ex his nil noui nunc accepimus, cùm ſemper etiam in teneris annis noſtris de ea ſemper, & benemerito hæc, & potiora ſperauimus. Quãuis autem per Oratores noſtros cum Illuſtr. veſtra Fraternitate aliqua temptari, & tractari fecerimus, noſtra tamen ſemper fuit, & eſt opinio idem velle, quod ſe velle ipſa finaliter profiteretur, neque vllatenus ab ipſius beneplacito reſilire. Hilari itaque animo hanc ſuam oblationem, & concluſionem recipimus, & amplectimur, paratíq; ſumus ſupraſcripta cum ea firmare; pro quorum celeriori executione confidenter rogamus eam, quatenus bailiam neceſſariam in his, & ab eis dependentibus, largam, & amplam concedere dignetur aliquibus ex ſuis, qui ad nos veniant, cum quibus præmiſſa firmare poſſimus: adeo enim noſtra diſpoſitio perfecta, ſinceráq; eſt erga Excellentiã veſtram, quòd non ambigimus, quòd huiuſmodi concluſio, autore Deo, inter nos ipſos firmabitur; omnem enim ordinem, quem pro præmiſſis adimplendis ſtatuerit veſtra Illuſtr. Fraternitas ſequemur indilatè. Super quibus per harum latorem eius reſponſum expectamus, parati ad ipſius quæque beneplacita: facimúsque ei ſolita fraterna, & filiali deuotione nos

recom-

recommissos. Dat. Casalis, die 12. Iulij, 1434.

DICTVS Marchio iterum scripsit alias literas eodē die, cum inclusa cartula ad dominum Castriueteris, sic superscriptas: *Spectabili Militi, domino Castriueteris, amico nostro charissimo,* infrà scripti tenoris:

SPECTABILIS Miles, amice charissime: Considerantes quāta deuotione laborauit amicitia vestra in his, quæ agenda sunt inter Illustriss. & fratrem nostrum honorandum dominum Ducem Sabaudiæ, & nos, tam ex pura fidelitate, quam geritis versus prædictum Dominum, quàm ex sincero amore, quo vestra Curialitas nobis afficitur; Pro vestri consolatione vobis significauimus, sicut per latorem præsentium scribimus præfato Illust. iss. & Excell. fratri nostro, quòd contentamur cum eius Excellen. ad cōclusionem venire, iuxta responsum datum ex parte eius prædictæ Excell. Cust. fratri nostro charissimo domino Marchioni Estēsi: & quòd ob id dignetur ad nos mittere Oratores suos cum plena, & ampla bailia concludēdi: quod quidem vobis pro nostri debito nunciamus: quod ratum tamē habeatur, quòd bonis respectibus hoc penes vos secreta sint, donec, Deo duce, conclusio facta erit: paratos nos offerentes, si quæ possumus vestræ amicitiæ gratuita. Dat. Casalis, die 12. Iulij, 1434. hora 24. Marchio Montisferrati.

TENOR cartulæ repertæ in dictis literis, & eadem manu scriptæ:

PER cedulam noueritis, sicut singularis gratia nobis foret, quòd inter Oratores, quos mittere deliberaret Illust. & Excel. frater noster honor. D. Dux Sabaudiæ, vos essetis vnus ex illis; & quòd spectabilis Bolomerius similiter interesset, tam quia interfuit illis pactis tunc in Sabaudia scriptis, tum quia prædictum Bolomeriū cognoscimus hominem rationabilem, & fidelem, ita quod sicut ambo in his laboraſtis circa principium & medium agendorum, sic, Deo duce, optatæ conclusioni interesse posſitis.

AB eo tempore Marchio Ioannes Iacobus aliam sibi viam engendam esse ratus, recurrendum putauit ad Papam Eugenium, & tacitis pactis ac conuentionibus cum Amedeo Duce Sabaudiæ anteà celebratis, obtinuit ab eo literas ad Amedeum scriptas Florentiæ die 18. Augusti, 1434. sequentis tenoris:

EVGENIVS Episcopus, seruus seruorum Dei; dilecto filio nobili viro Amedeo Duci Sabaudiæ salutem, & Apostolicam benedictionem. Ex iniuncta nobis pastorali solicitudine, qua pacem, & quietem totius

populi

populi Christiani procurare obnoxij sumus, si quando aliqua à nobis postulantur, iusta præsertim, & honesta, pacem, & vnitatem Christianorum concernentia, libenter interponimus partes nostras, & illa ad effectum perducere totis charitatis visceribus procuramus. Dudum siquidem pro parte dilecti filij nobilis viri Marchionis Montisferrati nobis extitit enarratum, quòd cùm olim vrgente bello inter ipsum, ac Ducem Mediolani, ipséque Marchio se longè potētia ipso Duce inferiorem videret, de Nobilitate tua, quæ illi affinitatis vinculo est coniuncta, specialem fiduciam gerens, quasdam terras suas, quas ipse defendere posse dubitabat, præsertim cùm esset illis temporibus Venetias accessurus, tuæ Nobilitati commēdauit. Demùm verò pace inter Dominium Venetorum, ipsumque Ducem Mediolani, & Marchionem præfatos contracta, cùm Dux Mediolani terras omnes, quas ab eodem Marchione abstulerat, diligentissimè restituisset, eidem terras, & loca tuæ fidei commissa nunquam à te repetita, nondum sibi esse restituta affirmat: quæ si vera essent, non possent absque detrimento tuæ hactenus integræ, & illesæ opinionis, & famæ contingere; de quibus, si vera sint, tua Nobilitas proculdubiò informata existit. Itaque Nobilitatem eandem in Domino exhortamur, quatenus respectum habens ad honorem fidei, Euangelij obseruantiam, integritatem, omnem querelarum dissensionisque inter te, ac præfatum Marchionem materiam auferre, & amputare velis, in quo complacentiam singularem facies nobis. Posteà verò quàm præsentes literas scribi mandauimus, venit ad nos dilectus filius Nuncius Nobilitatis tuæ; nobisq; tuam bonam erga præfatum Marchionem cognatum tuum voluntatem, & intētionem enarrauit, quo speramus, quòd benè ad inuicem concordes eritis, ad quod te diligenter dare operam efficaciter exhortamur. Dat. Florentiæ, anno incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo trigesimo quarto, quintodecimo calendas Septembris, Pontificatus nostri anno quarto.

QVA de re certior factus Dux per Oratorem suum, in curia Papæ residentem, misit Legatum ad dictum Papam Eugenium, vt eum de facti veritate instrueret. Cúmque in curiam veniisset antequàm traditæ fuissent literæ summi Pontificis, fecit ea res vt Marchio iis literis iuuare se non potuerit, sed eas penes se retinuerit, vt ex eo cōstat, quod originale ipsarum literarum à Mantuanis in lite productum est.

ET cùm Veneti in quibusdam literis scriptis ad Ducem Amedeum, post rogatum illum, vt Marchionatus terras quas tenebat,

Marchioni restitueret, subiunxissent, [*ne scandala & inconuenientia oriantur, quæ, & vobis & nobis fortasse displicere possent, & esse molesta.*] Dux Amedeus, qui ea verba in malam partem acceperat, de eo conquestus per literas suas ad Venetos scriptas, ab iisdem alias accepit datas die 8 Octobris, 1434. quibus declarabãt non ita se scripsisse, [*ad iniuriam, vel displicentiam ipsius Ducis, sed potiùs fraterna intentione, quoniam sentiebant oriri posse aliqua scandala, non quidem pro ipsismet eorum causa, sed aliunde quæ ipsis displicuissent.*] Ideóque dictum Ducem precantur, [*vt de illis verbis sua Excellentia sincera remaneat.*

POSTREMÒ dictus Marchio Ioannes Iacobus, vtendum sibi credidit opera & interceſſione Ducis Mediolani, tanquam qui per conuentiones pacis obligatus erat, [*omni possibili prece, & affectione intercedere, & rogare ducem Sabaudiæ,*] vt suprà dictum est. Qua de causa dictus Dux Mediolani, misit ad dictum Ducem Sabaudiæ tres Oratores, Guidonem Torrellum Comitem Guastallæ, & Montemclariculum, Capitaneum suum, & Garnerum Castillionem legum Doctorem: itemque Emanuelem Secchium Equitem, ad Ludouicum à Sabaudia Principem Pedemontium filium Amedei primogenitum, eiusque in Subalpina Prouincia Locumtenentem generalem, vt per patentes literas constat, scriptas die 17. Nouembris, 1434. qui tùm erat Taurini. A quibus Oratoribus nomine Ducis Mediolani rogatus fuit Ludouicus, vt totam hanc controuersiam, quæ inter eum, aut potiùs Amedeum patrem eius, & Ioannem Iacobum Marchionem Montisferrati iactabatur, ipsorum decisioni & arbitrio committeret. Quod à Ludouico Principe non denegatum, ipsi etiam Marchioni placuit, postquàm ad eum dicti Oratores ex hac causa redierunt. Subinde, & die 27. Ianuarij, 1435. dicti Oratores sententiam & laudum pronunciarunt Taurini, præsentibus ibidem dictis Principe Ludouico & Marchione Io. Iacobo, eiusque filio Io. itemque Henrico, & Secundino Natta, Marco Carreto ex Marchionibus Sauonæ, Allouisio Tizzono, & I. Bartholomeo Carreto dicti Marchionis Consiliariis adhibitis in testes cũ aliis Nobilib. Mediolanensibus, & aliis Officiariis dicti Principis Ludouici. Quo laudo fuit dictum, quòd Ioannes Iacobus Marchio deberet donare donatione valida, irreuocabili, & in forma

forma ſolemni Duci Amedeo, iuxta formam & tenorem pactorum Tononenſium, terras omnes, caſtella, & loca, de quibus in dictis pactis fit mentio. Et quòd Princeps Ludouicus, tanquam Locumtenens generalis ſuprà dictus, deberet de dictis terris, caſtellis, & locis Ioannem filium primogenitum dicti Marchionis inueſtire in feudum antiquum, auitum, & paternum, cum obligatione homagij & fidelitatis præſtandæ ad formam & mentem dictorum pactorum, exceptis tamen ab infeudatione, locis Cliuaſij, Septimi, Ozegniæ, Azellij, Branditij, & adhærentia Abbatis Sancti Benigni. Itemque quod iuxta formam eorundem pactorum teneretur dictus Marchio facere adhærentiam dicto Duci omnium terrarum & locorum quæ ſuprà dictis pactis expreſsè continebantur: quæ pacta deberent in omnibus & per omnia obſeruari & executioni mandari. Et rurſum quòd poſtquam dictus Princeps accepiſſet poſſeſſionem Cliuaſij & Septimi, deberet ille die ſequenti & ſucceſſiuè aliis ſequentibus diebus ſine vlla intermiſſione reſtitutionem peragere terrarum, caſtellorum, & locorum inter Padum & Tanagrum conſiſtentium, & omnium locorum, quæ adhærentia comprehendebantur, ſiue citra, ſiue vltra Tanagrum & Padum ſita eſſent, vacuámque eorum poſſeſſionem tradere dicto Marchioni, remanentibus Cliuaſio & Septimo liberè & irreuocabiliter dicto Principi acquiſitis, pro expenſis omnibus petitis & quæ peti poſſent. Itemque vt pro ſecuritate, & obſeruatione rerum conuentarum, remaneret penes dictum Principem adhærentia Sancti Benigni, Ozegniæ & Branditij. Et quò magis cautum eſſet de conuentis rebus præſtandis, deberet dictus Marchio facere, vt ad ſuam inſtantiam Dux Mediolani ſcriberet ad Principem Ludouicum, & ex parte dicti Marchionis promitteret obſeruationem omnium rerum ab eo conuentarum. Et quòd in caſum inobſeruantiæ, ipſe Dux Mediolani, contra dictũ Marchionem inſurgeret. Et quatenus nollet dictus Dux Mediolani tale quicquam promittere, dictus Marchio teneretur, prout facturum ſe iam Comiti Guaſtallæ promiſerat, remittere in manibus dicti Comitis duo fortalitia Pontiſturæ & Montiſcalúi, vt ea ſubinde dictus Comes haberet in manũ & poteſtatẽ dicti Principis Ludouici pro ſecuritate & obſeruantia omnium ſuprà dictarũ rerum.

DICTVM laudum & arbitramentum fuit expreſſim acceptatum & ratificatum à dicto Principe Ludouico, & à dicto Ioanne Iacobo Marchione, & à Ioanne eius filio, cum iuramento, renunciationibus, & clauſulis opportunis.

ET in eius executionem eodem die incontinenti dictus Ioannes Iacobus Marchio donationem contulit in Ducem Amedeũ, licet abſentem, præſente tamen Principe Ludouico eius filio, & Locumtenente generali: itemque Notario ſtipulantibus & acceptantibus, ſuarum terrarum, locorum, & caſtellorum exiſtentium citra Padum, & ciuitatis Aquenſis: & omnium præterea terrarum, quæ ſitæ eſſent vltra Tanagrum: Idque cum clauſula conſtituti, iuramẽto, & aliis in ampla forma. Poſtquam donationem incontinenti dictus Princeps Ludouicus, nomine Ducis Amedei patris ſui, dedit & cõceſſit eaſdem ipſas terras, loca, & caſtella, exceptis Cliuaſio, Septimo, Ozegnia, & adhærentia ſancti Benigni, in feudum nobile, antiquum, paternum, & auitum dicto Ioanni, acceptanti pro ſe & ſuis aſcendentibus, deſcendentibus, & collateralibus agnatis Marchionibus Montisferrati, & ſecundùm modum & formam, & ſub condicionibus & declarationibus contẽtis in pactis & capitulis Tononẽſibus. Et iurauit dictus Ioannes dicto Principi Ludouico, homagium pro ſe, & dictis ſuis aſcendentibus, deſcendentibus, & collateralibus agnatis Marchionibus Montisferrati ſucceſſoribus in illo feudo. Et ſimiliter dictus Marchio Ioannes Iacobus iurauit perpetuam adhærentiã dicto Duci, pro terris, caſtellis, & locis ſuis omnibus: & pro toto reliquo Marchionatu conſtituto inter flumina Padi & Tanagri. Itemque pro ciuitate Albæ, & pro locis Diani, Rodi & Rodelli ſitis vltra Tanagrum, quandiu viueret Marchio Ioannes Iacobus, & ita vt, poſt ipſius mortem remanerent compræhenſa dicta loca in infeudatione, ad formam dictorum pactorum Tononenſium. Et pariter in dictis contractibus donationis, infeudationis & adhærentiæ cõuentum fuit, vt vaſalli omnes, & vniuerſitates adhærentes, & à dicto Marchione commendati deberent reſpectiuè promittere, & iurare pro ſe & ſuis heredibus & ſucceſſoribus, Quòd dictus Marchio Ioannes, & eius ſucceſſores obſeruarent in perpetuum quidquid promiſiſſent & conueniſſent, prout legitur diffuſiùs in dictis inſtrumentis receptis per Antonium Bolomerium:

merium:& paullò pòst dicetur specialiùs.

SEQVENTI die,quæ fuit 28.Ianuarij,Ioannes Iacobus Marchio constituit suum Procuratorem specialemLudouicum Tissonum, dominum Desanæ,suum Secretarium,ad dandum & relaxãdum suo nomine realem & actualem possessionem dictorum locorum Cliuasij,& Septimi, Principi Ludouico & eius Procuratoribus. Et die penultima eiusdem mensis Ianuarij, idem Procurator dedit & remisit dictam possessionem Manfredo de Saluciis, Marescallo Sabaudiæ, acceptanti nomine dicti Principis, vt per instrumentum rogatum à Milanino Campanino de Bianzzata, & Philiberto de Cara de S. Ianuario.

EADEM die 28.Ianuarij,Princeps Ludouicus præcipit & imperat omnibus Capitaneis,Gubernatoribus, Castellanis, stipendiarijs & alijs quibus commiserat regimen & custodiam dictorũ castellorum,villarum & locorum Montisferrati,tam citra, quàm vltra Padum & Tanagrum, & alibicumque à dicto Duce Amedeo deputatis,vt sub pœna indignationis perpetuæ dicti Ducis, deberent tradere & laxare dicta castella,villas,& loca, cum omnibus mobilibus,machinis bellicis, victualibus & alijs omnibus in ipsis existentibus dicto Marchioni:deputatis insuper Commissarijs ad exequenda dicta mandata Iacobo de Turre, legum Doctore,suo Consiliario,& Ioanne Mutia suo Secretario & computorum Auditore,sicuti per patẽtes literas eo die sigillatas,& à Bolomerio subscriptas.

CVIVS præcepti vigore facta fuit remissio dictorum castellorum,villarum, & locorum Marco Carretano ex Marchionibus Sauonæ,Commissario in hanc rem deputato à Marchione Ioanne Iacobo,vt constat ex confessione & liberatione per eum facta apud Montemcaluum,die 6. Februarij,1435. & ex ratificatione, cõfessione & liberatione ab ipso Marchione facta Casalis, eodem die.

PRÆTEREA in executionem earũdem conuentionum fuit occupata possessio ex parte Principis Ludouici, & facta ei libera remissio omnium terrarum & locorum, quæ erant citra Padum: & incontinenti subsecuta quoque fuit traditio,& remissio dictorum omnium locorum ipsi Ioanni filio Marchionis in vim infeudationis supradictæ,exceptis locis Cliuasij, Septimi, Branditij,&

Ozegniæ, de quo conſtat diuerſis inſtrumentis rogatis, aliis atque aliis diebus menſium Februarij, & Martij, eiuſdem anni 1435.

SVPRADICTVS Ioãnes die 9. Februarij, ſcripſit ad Ducem Amedeum literas tenoris ſequentis:

ILLVSTRISS. Princeps, & Excelſe D. D. metuen. Præuia humili, & deuota recommendatione. De concluſione, Dei laude, firmata pridie in Taurino inter Illuſtr. & Excellen. Dominum genitorem meum honorandum dominum Marchionem, ac Illuſtr. & Excellent. dominum, & conſanguineum meum honorandum dominum Principem Pedemõtium, aliter pro nunc ſcribere non expedit, quia Excellẽtia veſtra, vti ſum certus, plenè informata eſt, niſi quòd dicta concluſio præfato domino genitori meo gratiſſima fuit, & eſt, & ex ea reſtat contentiſſimus. Ego itaque Celſitudinem veſtram certam reddo, ſicuti omnia promiſſa benè, & fideliter adimplebo, & ſeruabo, totoq; animo ſtudebo circa omnia, quæ augmentum veſtri ſtatus, & honoris concernunt, conſtantiſſimè tenens, quòd Illuſtr. Dom. veſtra me tanquam fidelem ſuum, & filium paterno dulcore tractabit. Verùm Illuſtr. Dom. metuen. deuotiſſimè ſupplico, vt locum Mazadij in feudum mihi conferre dignetur, nec aliam perſonam anteponere pro loco prædicto; quia profectò alium feudatarium meliorem me habere non poteſt, nec qui ita de ipſo feudo fideliter ſeruiat, ſicut ego faciam; hoc enim pro honore meo, & ex ſingulariſſima gratia deuotiſſimè peto à prælibata Excellentia veſtra, quam autore Deo viſitare diſpono, quamprimùm commoditas temporis affuerit, prout meo incumbit debito, pronus omni tempore ad quæque eiuſdem veſtræ Celſitudinis præcolenda mandata. Dat. Caſalis, die 9. Februarij, 1435. ſubſcripta, *fidelis, & humilis nepos veſter Ioannes de Monteferrato.*

MARCHIONISSA Montisferrati die 10. dicti Februarij, ſcribit ad dictum Ducem alias literas infraſcripti tenoris:

ILLVSTRISSIMO Principi, & Excelſo Domino fratri honorandiſſimo Domino Duci Sabaudiæ. Illuſtriſſime Princeps, & Excellentiſs. Domine frater honorande, cum ſolita, & debita reuerentia; Non ceſſat animus meus cõtinuè appetere noua proſpera, & felicia de ſtatu Excellentiæ veſtræ; quæſo igitur, vt pro mea ſpeciali conſolatione, ſæpius dignemini de ipſo veſtro bono ſtatu, certam reddi facere. Significans itaque præfatæ Excellentiæ veſtræ, ſicut ego diuina fauente gratia ex corporis ſanitate benè valeo, & multum conſolata ex bona concluſione aſſumpta per Illuſtr. Dominum conſortem, & natum meum cum Excellentia veſtra,

quam

quam Omnipotens, cum fælici augmẽto longiùs conſeruare dignetur. Dat. Caſalis, die 10. Februarij, 1435.

DIE 12. dicti Februarij, Marchio Ioannes Iacobus, & Ioannes eius filius per patentes literas, Caſalis datas, imperant dominis de Riuara, & Rupis de Corio, ſancti Georgij, Marcenaſchi, de Salugia, & aliis, vt præſtent iuramentum Duci Sabaudiæ in obſeruationem conuentionum. Et quidem Marchionis literæ fuerunt huiuſmodi:

MARCHIO Montisferrati. Cùm pro implemento conuentionum pridie initarum inter Illuſtr. & Excell. nepotem noſtrum domin. Principem Pedemontium, & generalem Locumtenentem Illuſtriſs. & Excell. fratris noſtri honoran. domini Sabaudiæ Ducis, ac eius proprio nomine parte vna; & nos, Illuſtrémque natum noſtrum Ioannem parte altera, præſtari debeat certum iuramentum per vaſallos, adhærentes, & recommendatos noſtros, idcircò tenore præſentium mandamus vobis omnibus, & ſingulis, quatenus dictum iuramentum, ſine vlla exceptione præſtare debeatis, prout egregius Mattheus de Coconato dilectus Conſiliarius noſter, lator præſentium, plenè informatus eſt; credendo ſuper præmiſſis dicto Mattheo tanquam propriæ perſonæ noſtræ, aliquibus in contrarium non obſtantibus. Volentes quòd dictum iuramentum præſtare debeatis omninò, ac omni prorſus contradictione ceſſante, in quantum diſplicentiam noſtram, diſpendiúmq; noſtrũ vitare deſideratis. Dat. Caſalis, die 12. Februarij, 1435.

Egregijs viris Condominis Ripariæ.
Egregiis viris Condominis Rochæ, & Corij.
Egregiis viris D. Ioannis ex Comitib. Valpergiæ, & nepotib.
Egregiis viris Gottofredo Guidetto, & Secondino, ac heredib. quondam Guillielmi Alberti, & Nicolai, ſiue eorum tutoribus Condominis S. Georgij, & pertinentiarum.
Nobilib. Condominis Fabricæ.
Nobilibus Condominis Candiæ, & Caſtellioni.
Nobilibus Manfredo de Orio, & conſortibus.
Nobilibus Marcenaſchi.
Nobilibus de Montillio Condominis Salugiarum.
Egregio Antonio de Ripis.

Sigillatæ.

IOANNIS verò literæ infrà ſcripti tenoris:

Ioannes de Monteferrato. Cùm pro implemento conuẽtionũ pridie initarum

tarum inter Illuſt.& Excell.D. genitorem noſtrum metuendum D. Marchionem Montisferrati, nóſque parte vna: & Illuſtrem, & Excellentem Dominum,& conſanguineum noſtrum honorandiſs. dominum Principem Pedemontium generalem Locumtenentem ex parte altera;teneantur vaſalli,adhærentes,& recommendati in Canapicio,& vltra Padum vbilibet conſtituti,de quibus infeudati fuimus,præſtare certum iuramentum,prout informatus eſt egregius Mattheus de Coconato ex Comitibus Radicatæ, lator præſentium,Procurator,& mandatarius noſter in hac parte. Idcircò in executionem ſentẽtiarum & conuentionum mãdamus vobis expreſsè, quatenus iuramentum prædictum omnimodò præſtare debeatis,credendo ſuper præmiſsis prædicto Mattheo tamquam ipſæ perſonæ noſtræ, inquantùm diſplicentiam prælibati Illuſtr.& Excell. Domini genitoris noſtri,ac noſtram vitare deſideratis, ita, & taliter, quod iuramentum prædictum eorſus faciatis, quacunque exceptione remota Dat. Caſalis,die 12. Februarij,1435.

Egregijs Viris Condominis Ripariæ.
Egregijs Viris Condominis Rochæ, & Corij.
Egregio D. Ioanni ex Comitib. Valpergiæ,& nepotibus.
Egregijs Viris Gottofredo Guidetto, & Secundino, ac heredibus quondam Gullielmini Alberti,& Nicolai,ſiue eorum tutoribus,Condominis Sancti Georgij, & pertinentiarum.
Nobilib. Condominis Fabricæ.
Nobilib. Condominis Candiæ,& Caſtellioni.
Nobilib. Manfredo de Orio, & conſortibus.
Nobilib. Marcenaſchi.
Nobilib. de Montillio Condominis Salugiarum.
Egregio Antonio de Ripis.

Ludouicus. *Sigillatæ.*

ET ſimilia præcepta facta fuerunt cæteris omnibus vaſallis, vniuerſitatibus, & adhærentibus tam citra Padum, quàm vltra Tanagrum,per literas diuerſis diebus ſcriptas, præſertim verò 4. 14. & 20.Martij,& 9.Aprilis.

ET die 13. dictî Februarij per publicum inſtrumentum rogatum in caſtello Caſalis,à Nicolino Garrone de Liburno,narratis primùm inſtrumentis conuentionum, donationis & infeudationis ſupradictæ,& promiſſionis factæ, vt vaſalli,communitates, ſubditi & adhærentes citra Padum & vltra Tanagrum, promitterent, cum iuramento, obſeruationem rerum conuentarum:

[Quin

[*Quinimò si contingeret, quod absit, quandocunque in futurum dictum Illust. D. Ioannem, &c.*] Prout suprà relatum est contineri in pactis Tononensibus: & quæ clausula fuit reperita in dictis contractibus, & de qua statim pòst dicemus. Subiungitur: [*Cúmque prælibati Illustr. Dom. Marchio, Ioannésque eius primogenitus velint omnia, & singula, vt præmittitur, per eos, seu eorum alterum promissa realiter, & effectualiter adimplere, ecce quòd prælibatus Illustr. Dom. Ioannes primogenitus præfati Illustr. Dom. Marchionis, cum præsentia, consensu, auctoritate, voluntate, & licentia sæpedicti D. Marchionis eius genitoris, ibidem præsentis, volentis, auctorizantis, & expressè consentientis, omnib. via, modo, & forma, quibus melius, & validius potuit, & potest, &c.*]

CONSTITVIT & creat suum Procuratorem, Matthæum de Coconato ex Comitibus Radicatæ, Cõdominũ Brosulij, præsentem & acceptantem, ad astringendos & compellendos omnes & quoscunque vasallos, adhærentes, recommendatos, communitates & subditos dicti Ioannis, vigore prænarratæ inuestituræ & infeudationis terrarum, castellorum, locorum, & villarum vltra Padum, vt præstarent corporaliter iuramentum, tactis sacrosanctis Euangeliis, & Sacris Scripturis, séque solemniter & efficaciter obligarent in manibus [*Prælibatorum Illustriss. D. Sabaudiæ Ducis, seu eius Illustr. primogeniti, & Locumtenentis, aut quorumcumque ipsorum, aut eorum alterius Procuratorum, seu Commissariorum, qui ad ipsum iuramentum, & obligationem recipiendum fuerint per eos, aut eorum alterum deputati, quòd ipsi vasalli, adhærentes, recommendati, cõmunitates, & subditi singula, singulis debitè referendo, attendent efficaciter, & obseruabunt, nec vnquam contrà facient, quouis exquisito colore, contentis in dictis pactis descriptis in ipso infeudationis instrumento, & per ipsum Illustr. Dom. Ioannem, ac eius successores, promissis, & promittendis: quinimò si contingeret, quod absit, quandocunque in futurum dictum Illustr. D. Ioannem, & eius prædictos successores guerram, aut aliud quicquam contra dictos Dominos Ducem, & Principem, vel suos facere, seu eis debitam obedientiam non præstare, his casibus, & quolibet eorumdem, vt, & quando suprà, totis viribus resistent dicto Illust. D. Ioanni, & suis contrà facientibus, aut facere volentibus: resilientque pariter, & resistent, sine alia quacumque ipsius Illustriss. D. Ducis, & suorum requisitione; immò etiam eisdem Dominis Duci, & Principi, primogenito, & suis prædictis, totis viribus assistere, & auxiliari contra dictũ Illustr.*

D. Ioannem, & eius prædictos successores, bona fide, præcisè, & sine exceptione quacumque.]

VASALLI, adhærentes, recommendati, communitates, & subditi prædicti, & inter cæteros Domini de Riuara, de Rupe, de Sancto Georgio, & alij suprà nominati, ad quos directa erant suprà dicta mandata: & inter alios, ipsi prædecessores modernorum dominorum de Riuara, & Comitis Guidonis S. Georgij Aldobrandini per publicum instrumentum rogatum Vulpiani, die 23. Februarij suprà dicti, per Vincentium de Ripa, ad requisitionem & præceptum supradicti Matthæi de Coconato Procuratoris & Commissarij suprà deputati, promiserunt, cum iuramento, obseruationem dictorum contractuum ibi relatorum & designatorum, de quibus dixerunt esse se plenè informatos, in hæc verba formalia: [*Ex eorum meris, & spontaneis voluntatibus, videnter, requirente & iubente memorato spectabili Matthæo Procuratore, & Cõmissario ad hæc electo, transmisso, & deputato per præfatos dominos Marchionem, & Ioannem eius primogenitũ in nominibusq; eorumdem ipsi vassalli, & eorum quilibet, pro se, & suis heredibus, & successoribus vniuersis, promiserunt, & promittunt iuramentis suis, tactis Euangeliis Sacrosanctis, etiam per fidem suorum corporum, more Nobilium datam, in manibus egregiorum domini Iacobi de Turre legum Doctoris, & præfati Antonij Bolomerij, Secretarij, Commissariorum, ad hæc per prædictum dominum nostrum Principem, & Locumtenentem deputatorum, constantibus indè Patentibus eiusdem Domini Principis literis, datis Taurini, die duodecima mensis huius Februarij, nostriq; subscripti Notarij, more publicæ personæ recipientium, & solemniter stipulantium ad opus ipsorum dominorum Ducis Sabaudiæ, & Principis, & suorum, ac omnium aliorum, quorum poterit in futurum, quomodolibet interesse; ita quòd fides non deroget iuramento, nec econtrà; sed simul concurrant, & se coadiuuent, vimq; & efficaciam obtineant pleniores; & sub cuiuslibet ipsorum expressa obligatione, & hypotheca bonorum omnium, & singulorum mobilium, & immobilium, præsentium, & futurorum, vbicunque consistentium, & valeant vbilibet reperiri præmissa omnia, & singula per dictum Illustr. Ioannem eorum dominum in ipso homagij, & fidelitatis instrumento promissa eisdem Dominis nostris Duci Sabaudiæ & Principi Pedemontium, ac suis prædictis heredibus, & successoribus vniuersis, tanquam valida, & perpetuò duratura, tenere, & adimplere, & nunquam contrà facere,*

facere, dicere, vel venire volenti in aliquo consentire, neque dare, seu præbere auxilium, consilium, aut aliud quodcumque iuuamen, clam, vel palam, tacitè, vel expressè, quouis exquisito colore. Quinimò si, vt præmittitur, contingeret, quod absit, quandocunque in futurum dictum Illustr. Ioannem, vel eius prædictos successores guerram, aut aliud quidquam contra ipsos dominos nostros Ducem, & Principem, seu eis debitam obedientiam non præstare, his casibus, & in quolibet eorumdem, totis viribus dicto Illust. Ioanni, & suis, quibuscunque successorib. eorúmque Officiariis, & contrà facientibus, aut facere volentibus, aut debitam reuerentiam præstare denegantibus, resilire pariter, & resistere, sine alia quacumque ipsorum dominorum nostrorum Ducis, & Principis, vel suorum requisitione: immò etiam eisdem Dominis Duci, & Principi, aut suis prædictis toto posse assistere, & auxiliari contra dictum Illust. Ioannem, eius prædictos successores, ac alios omnes contrà facere volentes, bona fide, præcisè, ac sine exceptione quacumque.

DIE 10. Aprilis, dicti anni 1435. dictus Ioannes, præsente & consentiente Marchione patre, renouat procurationem & mandatum doctori Ioanni de Medicis, ad formam, in omnibus, prioris mandati, quod factum fuerat dicto Matthæo de Coconato, absque tamen reuocatione dicti Matthæi, quin potiùs ad eam confirmandam, vt per instrumentum rogatum ab eodem Nicolino de Garrone in pede alterius suprà relati.

IAM QVE ipse Marchio Ioannes Iacobus cõstituerat eosdem ipsos Ioannem de Medicis & Matthæum de Coconato, vt cogerent vasallos, adhærentes, recommendatos, communitates, & subditos inter Padum & Tanagrum, ad effectum dictæ adhærentiæ, cum iisdem clausulis, de quibus suprà, vt per instrumentum receptum à dicto Garrone de Liburno, die 22. Martij, 1435. Quemadmodum & idem Marchio & Ioannes iam anteà per aliud instrumentum, die 20. Martij, ab eodem Garrone rogatum, deputauerunt eosdem de Medicis & de Coconato ad exigenda, vel ab inuitis, iuramenta citra Padum & vltra Tanagrum. Quæ omnia iuramenta tandem vbique præstita sunt, vt apparet ex variis instrumentis eiusdem respectiuè tenoris & substantiæ, quæ longum esset referre.

QVIBVS omnibus ità executioni mandatis, dictus Marchio Ioannes Iacobus, & Ioannes eius filius, scripserunt ambo ad Du-

cem Amedeum literas, ſub die 14. Aprilis, in hunc tenorem, qui ſequitur:

ILLVST. & Excelſo Domino dom. fratri honorand. Domino Duci Sabaudiæ: Illuſtr. & Excel. Domine, & frater honoran. præmiſſa recommendatione; Fuerunt ad nos egregij dominus Iacobus de Turre Legum Doctor, Vicarius, & Antonius Bolomerius Secretarius veſter pro executione eorum, quæ fieri reſtabant circa implementum conuentionum celebratarum, qui omnia benè ſolicitè adimpleuerunt, prout ab eiſdem Excell. Veſtra informata reddetur. Præterea cupientes continuò de ſtatu Celſitudinis veſtræ votiuè certiorari, rogamus, vt ad noſtram ſingularem complacentiam dignetur præfata Veſtra Excellen. de ipſius ſtatus fælici, & votiua conditione nobis ſæpe reſcribere: nos enim gratia Altiſſimi, vnà cum Illuſtribus conſorte, & natis noſtris corporea ſoſpitate vigemus: ſemper ad omnia vota veſtra ſincero corde parati. Dat. Caſallis, die 14. Aprilis, 1435. Marchio Montisferrati, Ludouicus.

ET literæ Ioannis erant inſcripæ: *Illuſtr. Principi, & Excelſo Domino dom. Duci Sabaudiæ, auunculo, & Domino metuen.*

ILLVSTRIS. Princeps, & Excel. domine auuncule, & domine metuen. Prout per literas Illuſtr. & Excel. Domini domini Genitoris mei metuen. Dominatio veſtra reddetur auiſata, quòd egregij dominus Iacobus de Turre, & Antonius Bolomerius Secretarius executioni mandarunt quæcunq; pro implemento conuẽtorum fienda reſtabant, & quemadmodũ ſperamus, quòd præfati Dominus Iacobus, & Antonius veſtram Celſitudinem informabunt, cuius gratiæ me deuotiſſimè recommendatum reddo, paratumq; ad ſingula iuſſa prælibatæ Dominationis veſtræ, quam fæliciter Omnipotens conſeruare dignetur. Dat. Caſallis, die 14. Aprilis, 1435. Fidelis, & humilis nepos veſter, Ioannes de Monteferrato.

ET quia in laudo & conuentionibus ſuprà narratis, dictum fuerat, quòd ad inſtantiam & requiſitionem dicti Marchionis Montisferrati, promitteret Dux Mediolani obſeruantiam dictarum conuentionum, nomine Marchionis Ioannis, & eorum, qui ipſis eſſent ſucceſſuri, ob eam cauſam Dux Mediolani duobus inſtrumentis die 17. Februarij, & die 18. Martij 1435. receptis per Vrbanum de Iacobo, ſigillatis Ducali ſigillo: [*Inclinatus & motus*, vt ipſe ait, *reiteratis precibus & inſtantiis præfati domini Marchionis, qui ipſum dominum Ducem Mediolani ardentiſſimè ſuis literis & nunciis exorauit.*] De quo nec dubitandum eſt; quoniam alioqui debuiſ

debuiſſet Marchio dimittere & tradere duo illa fortalitia Pontiſturæ & Montiſcalui Duci Sabaudiæ, vt ſuprà dictum eſt, [*Vt pro corroboranda*, ſubiungit ille, *compoſitione, & pace inter ipſos Principes ſanctiſsimè celebrata, firmandamq; beneuolentiam, & charitatem inter ipſas partes, dictam promiſsionem faciat pro ipſo D. Marchione.*]

NARRATO tenore dictæ conuentionis, cum deſignatione inſtrumenti, [*ſponte & ex eius certa ſcientia, animo deliberato, nullóque ductus errore, promiſit, & efficaciter promittit, & in fide ſui corporis, ac veri, & iuſtiſsimi Principis pollicetur, ſub ſui, & omnium bonorum ſuorum obligatione, pignore, & hypotheca Illuſtr. fratri, & filio ſuo chariſsimo Domino Principi Pedemontium, generali Locumtenenti, ac primogenito præfati Illuſtriſs. D. Ducis Sabaudiæ, & mihi Vrbano de Iacoppo Secretario, & Notario ſuo perſonæ publicæ ſtipulanti, &c.*]

QVOD dicti Marchio & Ioannes eius filius primogenitus, & eorum ſucceſſores vaſalli, & ſubditi obſeruabunt dictũ laudum, & dictas promiſſiones: [*In omnibus, & per omnia fide integra, inuiolabiliter, & ſine exceptione, nec in aliquo deficient, ſeu contrà facient: & in quantùm in prædictis, vel aliquo prædicto deficerent, contrà facerent, vel non implerent, contra ipſos Dominum Marchionem, & filiũ, & ſucceſſores, & vaſallos, & ſubditos, vi, & armis inſurgere, & agere, atque ipſos ad omnimodam obſeruantiam conuentorum compellere.*]

EODEM anno & die 7. Auguſti, Ripaliæ in Sabaudia, diœceſi Gebennenſi, concluſum fuit matrimonium à Duce Sabaudiæ inter Ludouicum Marchionem Saluciarum, & Iſabellam filiam dicti Ioannis Iacobi Marchionis Montisferrati, cum dote decem millium florenorum auri ſoluẽdorum per dictum Marchionem. Cui doti iunxit Dux Amedeus quinque millia florenorum ſimilium, vt per inſtrumentum rogatum ab Antonio Bolomerio, relatúmque à Beneuenuto in ſua hiſtoria fol. 436.

SVPRADICTI contractus donationis, infeudationis & adhærentiæ, & aliæ res omnes, quas ſuprà conuentas fuiſſe diximus, ratificatæ & adprobatæ fuerunt à Guillielmo filio ſecundogenito dicti Marchionis, præſente, nec tantùm conſenſum, ſed etiam auctoritatem præſtante patre, & cùm iuramentis, renunciationibus, & clauſulis oportunis, vt per patentes literas, Caſallis datas, die vltima Nouembris, 1435.

ANNO 1436. Ioannes primogenitus Marchionis profectus in

Sabaudiam Tononum vſque, fecit ibi confœderationem, & pacta quædam cum Ludouico Pedemontium Principe, & Locumtenente Ducis Amedei patris ſui, de ſtatu Mediolanenſi, in caſu quo Philippus Maria Dux ſine liberis moreretur: In qua confœderatione fuit expreſsè dictum, & conuentum, vt quidquid tunc fiebat, eſſet citra præiudicium conuentionum & adhærentiarum præcedentium, in hæc ipſa verba: [*Citra ſemper præiudicium, eneruationem, & quamuis aliam derogationem adhærentiæ perpetuæ, homagiíque, fidelitatis, & aliorum fœderum, pactorum, & conuentionum inter nos, dictúmque Illuſtr. D. Marchionem, ac nos Ioannem primogenitum, Taurini initorum, anno Domini 1435. de menſe Ianuarij, decimatertia indictione, per Antonium Bolomeri Secretarium receptorum, quibus per aliqua præmiſſorum, & infrà ſcriptorum derogare, aut aliàs elidere non intendimus, ſed illa potius firmare, & roborare,*] vt per inſtrumentum rogatum à Franciſco Fabri, 12. Iunij, 1436. ſubſcriptum manu ipſorum Ludouici & Ioannis: itémq; ſigillatum.

ILLA ipſa confœderatio de verbo ad verbum ratificata fuit & adprobata à Marchione Ioanne Iacobo: ſimúlque à Guillielmo Bonifacio & Theodoro liberis eius, vt per Patentes Caſalis datas, die vndecima Decembris, 1436. ab ipſis & à Secretario ſubſcriptas, & debitè ſigillatas.

EADEM ipſa die xj. Decẽbris, per alias Patentes, debitè quoque ſubſcriptas, & ſigillatas, dicti Bonifacius & Theodorus in ipſa ciuitate Caſalis ratificarunt & adprobarunt donationem, infeudationem, & adhærentiam, & conuentiones ſuprà narratas: Et hoc in præſentia & de conſenſu & voluntate Marchionis patris: promiſſa etiam obſeruatione cum iuramento, & obligatione bonorum.

ANNO 1437. & die 23. Decembris, Ripaliæ, per interuentum & tractatum Ducis Amedei, concluſum fuit matrimonium inter Amedeam filiam Marchionis Ioannis Iacobi, & Ioannem de Luſignano Regem Hieroſolimæ, & Cypri; idque per Oratores dicti Regis & Marchionis, vt recitat Beneuenutus fol. 438.

EO ipſo anno 1437. & die 25. Aprilis, dictus Marchio ſcribit ad Ducem Sabaudiæ in hunc modum:

ILLVSTRIS. & Excelſo Domino, & fratri honorandiſſimo Domino Duci Sabaudiæ.

ILLV

ILLVSTR. & Excelſe Domine, & frater honoran. præuia recommendatione: Vidimus literas, quas ſpectabilis Bolomerius Conſiliarius veſter nuper ſcripſit ſpectabili domino Henrieto Nattæ dilecto Conſiliario, & Vicario noſtro, ſuper concluſis inter Excellentiam veſtram, & nos. Et quia de his, quos veſtra Fraternitas in hac re, & alia quacunque confidentes habet, plenariam nos fiduciam gerimus, contentamur, quòd cum nominatis in ipſis literis Excel. veſtra ad eius libitum de concluſis inter nos conferat, & diſponat: in omni enim re ſequemur iudiciũ, & conſilium veſtrum, paratiſſimi ad quæcumque vota veſtra. Poſt nouitatem occurſam inter Dom. Thomam de Campo Fregoſo, & M. Baptiſtam eius fratrem, Excel. Dom. Dux. Mediolani, continuò hîc penès nos reſidere fecit nobilem Chriſtophorum de Lampugnano, credens fortaſſe ex hoc agendis ſuis fauorem impendi: tractatúrque, quòd domus de Adurnis, eius Excel. reddatur beniuola. Deus autem omnipotens Celſitudinem veſtram conſeruet fælicit. Dat. Caſalis, die 25. Aprilis, 1437. Marchio Montisferrati.

MORITVR Amedeus Dux Sabaudiæ, ob cuius mortem Ioannes Iacobus Marchio, anno 1440. die 26. Nouembris, conſtituit Marcum de Carreto, Secundinum Nattam, & Euſebiũ Bianzateum Procuratores ſuos ſpeciales ad renouandam & confirmandam adhærentiam perpetuam cum Ludouico filio & ſucceſſore dicti Ducis Amedei, ad formã adhærentiæ iam factæ, anno 1435. die 27. Ianuarij, vt inſtrumento Caſalis per Alexãdrum Brunetum recepto.

SIMILITER & Ioannes filius Marchionis deſtinauit & deputauit per inſtrumentum publicum à dicto Bruneto Oratores, & Procuratores ſuos eos ipſos ſuprà nominatos, quos dictus Marchio deputauerat, vt irent ad Ducem Ludouicum, & ab eo ipſius Ioannis nomine acciperent inueſtituram, eíque præſtarent fidelitatem terrarum, caſtrorum, & locorum, eidem, vt ſuprà, infeudatorum, ad formam inſtrumenti diei 27. Ianuarij, 1435. per Bolomerium recepti.

DICTI Oratores & Procuratores, cùm ſe ad Ludouicum Ducem contuliſſent, renouarunt adhærentiã nomine dicti Marchionis, & inueſtituram à dicto Duce acceperunt nomine dicti Ioannis, eíque iurarunt fidelitatem, vt per inſtrumentum à Franciſco Fabri receptũ, die 29. Ianuarij, 1441. Sumpto ex ipſius protochollis per Iacobum Valerium, ex præcepto Cæſareorum Delegato

legatorum, anno 1535. die 3. Ianuarij: Et dictus Ioannes ratificauit postea dictam institutam, & iuramentum fidelitatis, publico instrumento per Antonium de Tizonibus, in bona forma recepto, die 12. Aprilis, 1441.

IOANNES Iacobus Marchio moritur anno 1445. die 12. Martij, ob cuius mortē, Ioānes eius filius primogenitus, successor in Marchionatu, vt obseruaret & exequeretur quod conuenerat in adhærentia facta 27. Ianuarij 1435. & renouata vt suprà, 12. Aprilis, 1441. nempe vt in morte cuiuslibet Domini dicta adhærentia renouaretur, mittit ad Ludouicum Ducem Sabaudiæ Legatos & Procuratores suos speciales Secundinum Nattam, & Gasparinum ex Marchionibus Inciſæ, ad renouandam dictam adhærentiam, pro terris, castellis, & locis inter flumina Padi & Tanagri existentibus. Quod postea fecerunt, vt constat ex instrumēto rogato à Francisco Fabri 11. Octobris, 1445. Et veluti in prima adhærentia facta à Ioanne Iacobo, cōuentum fuerat, quòd ciuitas Alba, & territoriū Diani, Rodi, & Rodelli comprehēderentur tantùm in dicta adhærentia, dum in viuis esset dictus Ioan. Iacobus; sed pòst comprehenderentur in infeudatione facta à Ioanne; in hac renouatione adhærentiæ statutum & conuentum fuit, quòd dicta ciuitas & supradictæ terræ remanerent etiam in adhærentia, dum viueret ipse Marchio Ioānes; sed post ipsum recognoscerentur in feudum per ipsius successores, Duci Sabaudiæ, cum præstatione fidelitatis, quemadmodum fiebat pro aliis terris & locis vltra Tanagrum sitis. Atque ista renouata adhærētia fuit ratificata ab ipso Marchione Ioanne, vt in instrumēto excepto in castello Montiscalui, 28. Octobris, 1445. à Bernardino Caluzino.

SCRIPTÆ sunt postea multæ literæ perhonorificæ ab ipso Marchione ad Ducem, quarum vna 6. Augusti 1447. est huius tenoris:

ILLVSTRISSIMO Principi, & Excel. Domino consanguineo nostro honorando Domino Duci Sabaudiæ: Illustr. Princeps, & Excel. Domine consanguinee noster honorand. Cupientes continuò sentire noua fœlicia de bono statu vestræ Celsitudinis, eamdem affectuosè rogamus, vt dignetur per nobilem Guillielminum de Montilio, præsentium latorem, dilectum Scutiferum nostrum, de ipso suo statu nos certiores reddere. Nos enim

enim gratia Altiſſimi probè valemus, prout idem Guillielminus Olerius referet Excellentiæ veſtræ, quam rogamus, vt dignetur eius Guillielmini relatibus, vt noſtris propriis indubitatam fidem præſtare, paratiſſimi ſemper in omnibus votis veſtræ memoratæ Celſitudinis. Dat. Caſallis, die ſexta Auguſti, 1447.

Ioannes Marchio Montiſferrati, *Antonius.*

ANNO 1450. die 21. Februarij, Marchio Ioannes requiſitus à Duce Ludouico, vt pacem ratificaret initam inter ipſum Ludouicum, & Franciſcum Sfortiam Ducem Mediolani, in qua dictus Marchio nominatus erat tanquam confœderatus dicti Ludouici, proteſtatus eſt ante ratificationem, [*Quod per aliquam à ſe faciẽdam ratificationem, & adprobationem anteſcriptæ nominationis non intendit modo aliquo derogare inde, & pro iuribus ipſi Domino Marchioni, & ſucceſſoribus competentibus, ſeu competituris in terris, caſtris, villis, diſtrictibus, & locis, quos, quas, & quæ ipſe Illuſtr. D. Dux Sabaudiæ tenet, ſed quod prædicta eius iura competentia, & competitura ſic illæſa, & ſalua remaneant, ac ſi nulla ratificatio nominationis prædictæ ſequeretur:*] vt per extractum & deſcriptum, productum ex parte Mantuæ.

ANNO 1451. & die 15. Februarij Alphonſus Rex Siciliæ, per Procuratores & Oratores in eam rem deputatos, accepit Ducem Sabaudiæ, & Marchionem Montisferrati in partem & ſocietatem fœderis, iam antè initi inter ipſum & Venetos, vt conſtat ex inſtrumento dato 16. Aprilis eiuſdem anni: Et inter cætera capita vnum erat; ſi contingeret moueri bellum contra Franciſcum Sfortiam, qui ſe Mediolani Ducem prædicabat, diuiderentur inter eos territoria, & loca, quæ in dicto bello caperentur, modo, & forma ibidem contentis. Et ad requiſitionem dicti Ducis Sabaudiæ, & Marchionis Montisferrati facta fuit à dicto Rege Siciliæ quædam declaratio ſuper vno ex capitulis dicti fœderis, die 29. dicti menſis Aprilis.

ANNO 1454 & die 2. Iulij, cũ diſpenſatione Papæ Nicolai V. contractum fuit matrimonium inter Margaretam filiam Ducis Ludouici, & Marchionem Ioannem, omnibus præſentibus, cum conſtitutione dotis centum millium ſcutorum auri, vt ex inſtrumento rogato Camberij per Ioannem de Clauſo, Secretarium Ducis Sabaudiæ, & Euſebium Deblanzate Secretarium dicti Marchionis: dilata tamen matrimonij executione in annum

vsque 1457. vt probatur ex instrumento procurationis factæ Casaliis à dicto Marchione Ioanne fratri suo Bonifacio, vt se transferret ad Ducem Sabaudiæ, & Margaretam suprà dictam, ad ducendam eam in vxorem cum annulo, vt probat instrumentum procuratorium, factum die 13. Iulij, eiusdē anni, receptum à Stephano Caliino. Dictus autem Marchio in primo illo instrumento, dotalitij, &, vt vocant, doarij nomine, & sponsalitiæ largitatis, dedit prædictæ Margaretæ quatuor millia scutorum annua, obligatis in eā rem locis Tridini, Morani, Burgi S. Martini, & Mombarutij, cum eorum pertinentiis. Quòd si dictorum locorum valor non responderet dictę quantitati, suppleri deberet quod deesset, ex aliis locis vicinioribus, addita etiam obligatione & hypotheca bonorum omnium pro restitutione dotis. Itémque pacto, quòd primogenitus, qui ex dicto matrimonio nasceretur, deberet secundùm vsum & consuetudinem, in dicto Marchionatu succedere.

MORITVR dictus Marchio Ioannes anno 1464. die 19. Ianuarij, sine liberis, eique successit in Marchionatu Guillielmus frater secundogenitus: & vndecimo die antequàm dictus Ioannes moreretur, id est, octaua Ianuarij, legitimè concessa inuestitura ab Imperatore Federico III. per Martinum quemdam de Nibia Nouarensem, asserentem se Procuratorem dicti Marchionis, quamuis de ipsius mandato non constet, feudorum à dicto Imperatore, & sacro Imperio dependentium: speciatim verò S. Damiani, Diani, Insulæ, Albæ, Rodi, & Rodelli, cum ipsorum pertinētiis, cū clausula sequentis tenoris: [*Alienationibus, siue distractionibus regalium feudorum, feudalium, & temporalium prædictorum, & pertinentiarum ab eodem per vim, forsan, dolum, metum, siue aliam sinistram machinationem, aut alias quouis modo indebitè exactas, & extortas per quoscunque, & præsertim per Illustr. Ludouicum Ducem Sabaudiæ, nostrum, & Imperij Sacri Principem fidelem dilectum, ipsiusq; progenitores, & prædecessores quosuis, vt accepimus obtentas, & factas. Quas omnes & singulas non ad alicuius pro hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed motu proprio, dictaq; auctoritate, scientia, & plenitudine potestatis cassamus, irritamus, & annullamus.*]

GVILLIELMVS, eo ipso die, quo mortuus fuit Ioannes Marchio frater, cùm in animo haberet, vt contra dictas promissiones

siones & conuentiones factas, & à se cum iuramento ratificatas, veniret, repudiauit hereditatem dicti Ioannis, & repudiationis tenorem in hæc verba concepit: [*Quòd ipse Dom. Guillielmus, tam ex sanguinis necessitudine, & Imperialibus indultis, quàm ex vi, & potestate consuetudinis vetustissimæ Marchionatus Montisferrati, cuius initij memoria non existit, Baroniam, & Marchiam Montisferrati, cum vniuersis eius dominijs, ciuitatibus, castris, oppidis, & territorijs iure successorio feudorum regalium ad ipsum Illustrissimũ, & Excellentissimum Dominum Guillielmum prærogatiua genituræ, cùm se nunc reperiat primogenitum viuentẽ Illustris nunquàm delendæ memoriæ domini Ioan. Iacobi Marchionis Montisferrati, ad ipsum solum, & insolidum esse deuolutum, & apertum. Hinc est, quòd idem dom. Guillielmus consultè, & ex eius certa scientia, dictam Baroniam, & Marchiam, cum vniuersis suis dominijs, ciuitatibus, oppidis, villis, territorijs, regalibus, & generaliter cum omnibus, & singulis iuribus ad ipsam Marchiam, & Baroniam, aut ipsius causa, & occasione Illustribus D. Marchionibus, qui per tempora fuerunt in ipsa Marchia, spectantibus, & pertinentibus, atque competentibus, acceptat, & admittit: cum protestatione semper ita integram, optimamq;, cum vniuersis suis iuribus, vt suprà, ac ita liberam, & firmam ab omni specie seruitutis, tam quoad personam ipsius Domini Guillielmi moderni Marchionis Montisferrati, saluo semper iure Sacratiss. Roman. Imperij, quàm quoad ipsam Marchiam, sicut vnquam fuerit persona Illustriss. quondam domini Theodori Marchionis Montisferrati eius aui paterni, & cæterorum ascendentium eius proauorum, & ipsa Marchia apud eosdem, vel aliquem ipsorum: & ita continuò protestatur, quòd nunc, & in futurum ita, & fatetur, vt suprà acceptauit, suprascripta acceptata sint, prout sunt, diuersum corpus, & separatum, nihil penitus attingens ab hereditate Illustriss. Dom. Ioannis Marchionis Montisferrati eius germani noaissimè viam vniuersæ carnis ingressi, quam quidem hereditatem, & omnia, & singula prouenientia, & connexa dicto titulo hereditario in allodialibus, prædictus Princeps Marchio modernus D. Guillielmus repudiat, & à se repellit, & abdicat omnino, & per omnia.*

SIMILIS repudiatio eodem ipso die à Bonifacio quoque facta fuit ratione bonorum allodialium, quæ dictus Ioãnes in hereditate reliquerat, contendens debere illa ad se peruenire pro rata sua portione, per mortem dicti Ioannis sine liberis, & sine testamento: [*citrà semper omne præiudicium sibi generandum ad feudum*

Baroniæ & dominij, Montisferrati, sibi in spe competens, &c.]

DICTVS Guillielmus Marchio anno 1464. die 11. Octobris, collocauerat in matrimonium Lucretiam filiam suam naturalem Bartholomeo de Carreto, dato ei in dotẽ loco S. Georgij in Montcferrato: & ambobus mortuis sine liberis, rediit dos ad Marchionem, iuxta conuentionem in contractu inter ipsos factam, vt refert Beneuenutus fol. 448.

SVBINDE paullò post moritur Dux Ludouicus, nimirùm anno 1465. die 28. Ianuarij, eique successit Amedeus eius nominis VIII. filius primogenitus, cui cùm aliquando accidisset vt Legatos mitteret ad dictum Guillielmum, ille antequàm eos audiret, aut literas acciperet, protestationem inter suos emittebat, huius qui sequitur tenoris:

QVOD si fortè sibi parte Ducis Sabaudiæ aliquæ literæ præsentarentur, vel Orator, seu Ambasciator aliqua referret, vel exponeret, in quibus fortè appareret contineri, vel dici aliqua sonantia superioritatẽ dicti Dom. Ducis in prædictum Dom. Marchionem, prædictus Guillielmus Marchio ex eius certa scientia, & matura præuia deliberatione, & consultatione dicebat, & protestabatur expressè, quòd recipiendo literas, vel scripturas, si quas sibi dictus Orator præsentaret vice prædicti Domini Ducis Sabaudiæ: aut audiendo, quæ sibi per Oratorem, aut per aliũ quemuis tunc, & in futurum dicti D. Ducis nuncium, oratorem, vel tabellarium proponerentur, dicerentur, præsentarentur, & narrarentur nomine quo suprà: aut per aliqua, quæ tunc, & in futurum quocũque nomine prælibatus Dom. Marchio cum ipsis nuntijs, oratoribus, vel tabellarijs dicet, aut faciet personaliter, vel per submissam personã: aut per aliqua, quæ vnquàm ipse Dom. Marchio vnquam scriberet, aut scribi faceret prædicto D. Duci Sabaudiæ, vel eius Consilio, aut Officialibus, non intendit consentire, neque consentit, vel consentiet, neque recipiet, dicet, aut scribet, vel dici, aut scribi faciet, tamquàm prædicti Dom. Ducis Sabaudiæ, suorumq; successorum vassallus, aut adhærens, vel aliqua ratione, seu causa subditus, submissus, aut obligatus Excellentiæ ipsius Dom. Ducis pro ciuitatibus, castris, terris, & bonis, quæ tunc tenebat, vel eius nomine tenebantur, aut ipsi D. Marchioni spectabant, vel pertinere poterant, aut sui antecessores tenuerant, & possiderant, aut ad ipsos pertinebant, vel prætendebant ad se spectare, prætendens se, vt Marchionem Montisferrati, & seu ipsum Marchionatum nullatenus in aliquo teneri, seu obligari ratione feudi, adhærentiæ,

hærentiæ, seu alterius submissionis eidem Domino Duci, & suis, &c. Et sunt huiusmodi protestationes numero quatuor: vna sub die 25. Februarij: alia sub die nona Aprilis, 1465. tertia sub die 12. Iunij: & quarta, die 23. Augusti, 1467.

PROPTER inobseruantiam & cõtrauentionem à dicto Guillielmo Marchione factam aduersus ea quæ Ioannes Iacobus pater, & Ioannes filius promiserãt, mouit bellum dictus Dux Amedeus 1467. per Philippum fratrem suum, aduersus dictum Guillielmum: qui pacto fœdere cum Galleaceo Maria Duce Mediolani filio Franciſci Sfortiæ, curauit quantùm potuit, vt se ab imminentis periculi metu liberaret. Itaque post conflictus aliquot, tandem fuit inita pax inter dictum Philippum, tanquam Locumtenentem & Procuratorem dicti Ducis Amedei, vt constat ex mandato sub die 9. Nouembris, dicti anni 1467. & Ducem prædictum Mediolani, tã suo nomine, quàm dicti Marchionis Guillielmi, scilicet die 14. dicti Nouembris, vt constat per instrumentum rogatum à Cico Simoneta: in quo præter cætera conuentum fuit in hæc verba: *Item*, declaratur per hos articulos, quòd quãtùm ad lites & controuersias de his locis & homagio, &c. quæ vertuntur inter dictos D D. à Sabaudia & Marchionem Montisferrati, vnaquæque pars in pristinis suis iuribus, suoque gradu remaneat, qualiter erant [*ante motum præsentis guerræ.*]

MORTVA deinde priore Guillielmi coniuge, secundam duxit ille Elisabetham, Frãciſci Sfortiæ filiam, & sororem dicti Ducis Galleacei Mariæ, die 18. Iulij, 1469.

MORITVR dictus Dux Amedeus VIII. anno 1472. die 30. Martij, relicto Philiberto filio suo primogenito successore in Ducatu, & aliis liberis omnibus infantibus, sub tutela Yolandæ à Francia vxoris suæ, constitutis, vt constat ex tutelari instrumento, recepto per Antonium Iacobum de Puteo, & Iacobum Lambertum, die xj. Aprilis, 1472. cùm esset Philibertus annorũ sex duntaxat, quippe natus die 7. Augusti, 1465. Is anno 1479. mense Februarij, duxit vxorem Blancam Mariam filiam Galleacei, Ducis Mediolani. Postea mortuus absque liberis, anno 1482. 22. Aprilis, & sic annorum tantùm sedecim, mensium octo, & dierum quindecim, superstite dicta Blanca, quæ posteà cum Imperatore Maximiliano secundas iniit nuptias. In Ducatu autem Sabaudiæ

ſucceſſit Carolus huius nominis primus, frater dicti Philiberti, ætatis annorũ quindecim, quippe qui natus erat 29. Martij, 1468. Is ſubinde annum agens 17. contraxit matrimonium cum Blanca filia defuncti Marchionis Guillielmi, anno 1485. menſe Aprili, vt mox dicetur. Mortuus deinde anno 1490. die 13. Martij, & ſic ætatis annorum triũ & viginti, relicto ſucceſſore Carolo Ioanne Amedeo, filio ſuo anniculo, ſub tutela dictæ Blãcæ vxoris ſuæ: qui & ipſe poſteà adhuc infans defunctus eſt, natus ſcilicet 24. Iunij, 1479. & mortuus 16. Aprilis, 1496. Cui ſucceſſit in Ducatu Philippus filius, iam ſupradicti Ludouici, & patruus magnus dicti Caroli Ioannis Amedei: qui Philippus iam tùm erat annorum ſexaginta octo, cùm natus eſſet anno 1438. die 6. Februarij: nec Ducatum tenuit, niſi anno vno, menſibus ſex, & diebus vno & viginti: obijt enim anno 1497. die 7. Nouembris. Philippo ſucceſſit in Ducatu Philibertus, filius eius primogenitus, ætatis annorum ſeptemdecim, natus nimirum anno 1480. die 21. Martij. Et mortuo eo in minore adhuc ætate conſtituto, nẽpè anno 1504. die 10. Septembris, abſque liberis, ſucceſſit Carolus III. frater ipſius, & filius Philippi Ducis ſupradicti.

ANNO 1479. Ludouicus Marchio Saluciarum vxorem duxit, præcedẽte diſpenſatione Apoſtolica, Ioannam filiam Guillielmi ſupradicti, cùm dote & pacto de ſuccedendo in Marchionatu Montisferrati, in caſum quo Bonifacius frater Marchionis moreretur ſine liberis maſculis legitimis, & naturalibus, vt refert Beneuenutus fol. 480.

MORITVR tandem Marchio Guillielmus anno 1483. die vltima Februarij, ſine maſculis, ſuperſtite ſola filia Blanca; Eique ſucceſſit in Marchionatu Bonifacius ſupradictus, qui cùm anteà conſenſiſſet pacto de ſuccedendo facto, vt ſuprà dictum eſt, inter Marchionem Guillielmum & Marchionem Saluciarum in matrimonio dictæ Ioannæ, reuocauit dictum conſenſum, reponendo & reducendo ſe, inquit, in ſuam priſtinam libertatem, diſpoſitionem & arbitrium proprium, vt poſſet diſponere de Marchionatu quandocumque, & quo liberet modo, vt ſcribit Beneuenutus fol. 483.

MARCHIO Bonifacius ſubinde in matrimonium collocauit dictam Blancam filiam Marchionis Guillielmi fratris ſui, Carolo

rolo huius nominis I. Duci Sabaudiæ, qui cùm adhuc in iuueni-
li ætate conſtitutus eſſet, & ſub adminiſtratione cuiuſdam vaſal-
li ſui, inductus fuit ab eo, colludẽte per inſidias cum Marchione
Montisferrati, vt dictum matrimonium cõtraheret peſſimis con-
dicionibus & valdè inſolitis, id eſt, vt moriente dicto Bonifacio
cum maſculis naturalibus & legitimis, dos conſtituta eſſet dictæ
Blancæ ducatorum octoginta millium, ſoluendorum poſt mor-
tem dicti Bonifacij in ſingulos annos, quinque millium: ita vt, ſi
dictus Marchio per annos quamplurimos vixiſſet, prout natura-
liter euenire poterat, interim ſuſtinuiſſet Dux onera matrimonij,
nec tamen aut dotem vllam, aut dotis fructus vllos habuiſſet:
obligatis tamẽ per dictum Marchionem pro dotis ſolutione ter-
ris Montisferrati citra Padum exiſtentibus. Et caſu quo dictus
Bonifacius morereturſine liberis naturalibus & legitimis, conſti-
tuebat in dotem dictas terras citra Padum exiſtentes: Reliquum
verò totum Marchionatum ſibi ſuæque liberæ volũtati & diſpo-
ſitioni reſeruabat; nulla tamen facta vel minima mentione dona-
tionis, infeudationis, adhærentiæ, & aliorum iurium ſupradicto-
rum. Dictus autem Dux augmentum fecit & donationẽ propter
nuptias ducatorum octoginti millium, cum promiſſione reſtituen-
dæ dotis, & augmenti dictæ Blancæ & ipſius heredibus, in caſum
quo dictus Dux moreretur. Et pro dicta reſtitutione obligauit ei
loca Citiaci, Caſellarum, Mõtiſcallerij, Vigonis, Villefrancæ, Ca-
rignani, & Lancei, & aliorum omnium locorum, ſi non eſſet ei ſa-
tisfactum pro dicta quantitate. Et caſu quo dicta Blanca in ma-
trimonio ſine liberis moreretur, promiſit dictus Dux eam dotem
reſtituere ad eam vſque quantitatem, quam legitimè conſtaret
ab eo fuiſſe exactam, & à dicto Marchione ſuiſve heredibus ſolu-
tam. Qui porrò caſus nõ euenit, præmortuo ſcilicèt marito Du-
ce, relictis quidem liberis, vnico nimirum filio, vt ſuprà dictum
eſt; ſed qui tamen & ipſe antè dictam Blancam matrem deceſ-
ſit. Præterea fuit cõuentum, vt in caſum, quo ſiue Status, ſiue Dux
Mediolani ceſſaret in ſoluenda penſione annua quindecim mil-
lium ducatorum, dicto Marchioni promiſſorum, tali caſu dictus
Dux Sabaudiæ teneretur anno quolibet, quandiu viueret, dare
dicto Marchioni ducatorum quatuor millia. Et ſi non daret, poſ-
ſet dictus Marchio, & ipſius heredes ea ipſa quatuor millia duca-
torum

torum annua ex dicta dote deducere, vt constat ex instrumento, Casallis facto, die prima Aprilis, 1485. rogato per Ioannem Vulpem, & Victorem Queraſium Notarios.

DICTVS verò vaſallus, quaſi de Duce & domino ſuo optimè meritus, & in præmium operæ ſuæ, quam in tractando & concludendo dicto matrimonio, tam fideliter ſcilicèt, & fœliciter impẽdiſſet, extorſit ab eodem Duce donationem in feudum cum titulo Comitatus inſignis cuiuſdam territorij in Pedemontana Prouincia: ſed detecta poſtmodùm fraude, fuit eo priuatus, & amplius ab aula exulare iuſſus.

EODEM die dictæ conſtitutionis dotis, & pactorum ſuprà ſcriptorum, dicta Blanca renũciauit, & quittauit dicto Marchioni Bonifacio patruo ſuo bona ſua omnia, paterna, & materna, vt per inſtrumentum à dicto Ioanne Vulpe receptum.

DICTVS Marchio Bonifacius anno 1487. petijt & obtinuit à Federico III. Imperatore inueſtituram Marchionatus, & eorum omnium quæ prædeceſſores Marchiones tenuerunt, & quæ tunc tenebat, & poſſidebat dictus Bonifacius, [*ac de alijs, quæ per alios quoſcumque dignitate, etiam Ducali fulgentes, iniuſtè & indebitè occupantur & detinentur,*] cũ clauſula irritante, in hũc qui ſequitur tenorẽ cõcepta: [*Alienationibus, ſiue diſtractionibus, renunciationibus, & quibuſcunq; illicitis occupationibus regaliũ feudalium, feudaliũ, & temporalium prædictorũ, aut pertinentiarum per vim, forſan, dolũ, metum, ſiue aliam ſiniſtram machinationem, aut aliàs quouis modo indebitè exactis, aut extortis per quoſcunque, etiam Ducali prærogatiua fulgentes, & præſertim per Illuſtr. quondam Ludouicum Sabaudiæ Ducem, &c. ipſiúſque progenitores, & prædeceſſores quoſuis, vt accepimus, obtentis. Quas omnes ſingulas nõ ad alicuius pro hoc nobis oblatæ petitionis inſtantiã, ſed motu proprio, dictíſque auctoritate, ſcientia, & plenitudine poteſtatis caſſamus, irritamus, & annullamus, nullasq;, & inanes, ac nullius eſſe roboris, vel momenti decernimus: cæteríſque in contrarium factis habitis, & obtentis, commiſſis, & omiſſis non obſtantibus quibuscumque: nulla quoque præſcriptione, vel curſu temporis præterito, vel futuro, etiam tanti cuius in contrarium non exiſtat memoria, obſtante, vllo etiam conſenſu tacito, vel expreſſo prædictorum Marchionum, quo metus purgatus, dolus ſublatus, ius, aut quæuis ſiniſtra machinatio, quæ in talibus alienationibus, renunciationibus, ſeu diſtractionibus interue-*

niſſet,

niſſet, ad diminutionem præfati Marchionatus, & feudi à nobis, & anteceſſoribus noſtris Rom. Imperatoribus, & Regibus ſibi, & ſuis prædeceſſoribus conceſſi ſublata dici poſſet, & allegari, non obſtante: quibus per præſentes derogamus, & derogatum eſſe volumus ex certa noſtra ſcientia, & de plenitudine poteſtatis, legibus quibuſcumque, ſtatutis, & conſuetudinibus, aliisq; quibuscumque in contrarium diſponentibus non obſtantibus. Declarantes ea intentione nos id diſponere pro conſeruatione iurium, dominij, priuilegiorum, & gratiarum dictæ Marchiæ, ſeu Illuſtr. Marchionibus conceſſorum: & eo libentius, quòd eorum fides, & deuotio verſus Sacrum Rom. Imperium in hunc vſque diem extitit inuiolata, eritq; in futurum, vt nobis ipſi facilè perſuademus.

DICTVS Bonifacius Marchio die 19. Aprilis, 1487. ſcribit ad Ioannem Cappellinum, Doctorem, Magiſtrum redituum literas ſequentis tenoris:

SPECTABILI Doctori Domino Ioanni Capellino, Magiſtro in tratarum, & Oratori noſtro chariſſimo, Marchio Montisferrati. Spectabilis chariſſime nobis, Etſi alijs literis ad te datis, ſcripſerimus vt ad nos redires; nihilominus ob cauſas, quæ nunc Mulazani occurrunt, volumus, vt licèt iam iter aggreſſus ſis, regrediaris ad Illuſt. D. Ducem Sabaudiæ, & omni diligentia & ſollicitudine agas apud ſuam Excell. ne qua terris noſtri retrofeudi moleſtia aut impedimentum afferatur, vti promiſit nobis, & ſperamus Illuſtr. ſuam Dominationem promiſſa obſeruaturam. Quem verò ſucceſſum res habitura ſit, fac vt nos continuò moneas. Dat. Caſallis, die 19. Aprilis, 1487. Pro illuſtriſs. Domino, Sigillatæ, Anton. Vulpus.

SCRIBIT dictus Beneuenutus in hiſtoria ſua fol. 489. dictum Bonifacium contraxiſſe matrimonium cum Maria filia Deſpotti Stephani, interueniente tractatu Imperatoris Federici III. & quòd moriens ſine filijs, auxit dotem eius, quæ erat duntaxat decem millium ducatorum, vſque ad centũ millia, pro quibus cautum illi eſſe voluit ſuper bonis ſuis omnibus, & ſpecialiter ijs quæ vltra flumen Tanagrum ſita erant.

ANNO 1490. die 1. Iulij, Marchio Bonifacius apocham ſcripſit Ludouico Sfortiæ Duci Mediolani totius pecuniæ, quæ ſupererat à dicto Duce debita, pro penſione annua ſupradicta: idque mediante ſumma viginti millium ducatorum, ſolutorum Defendenti Suardo, vt ſcribit dictus Beneuenutus fol. 493.

MORITVR Marchio Bonifacius anno 1491. ſuperſtitibus

Guillielmo & Ioanne Georgio filiis ſuis, inter quos ſic teſtatus eſt, vt Guillielmo primogenito ſuo Marchionatum reliquerit: Ioanni Georgio autẽ caſtella Montillij, & Morani; Mariæ denique vxori ſuæ tutelam liberorum, cum facultate [*vt poſſet alienare, & pignorare loca & caſtra, prout opus fuerit.*

DICTVS Guillielmus obtinuit ab Imperatore Maximiliano, anno 1494. inueſtituram cum clauſula annullatiua, ſimili ei quam Federicus III. vſurpauerat.

ANNO 1504. die 10. Septẽbris, Maximilianus Imperator, cùm ei à parte Ducis Philiberti, quem Philippi primogenitum filium diximus, porrectæ eſſent ſupradictæ conuentiones donationis & infeudationis, cũ ratificationibus à dicto Marchione Ioãne Iacobo & ipſius filiis reſpectiuè factis, & ad ſupplicationẽ dicti Ducis Philiberti, [*Matura*, inquit, *ſuper his omnibus Conſiliariorũ, & Procerũ noſtrorũ deliberatione præhabita: non per errorẽ, aut improuidè, ſed bonis, & iuſtis ad hæc moti reſpectibus, ex noſtra certa ſcientia, motu proprio, ac de noſtræ ſupremæ poteſtatis plenitudine, pro nobis, & noſtris in ipſo Sacro Imperio ſucceſſoribus*,] laudauit, ratificauit, & adprobauit dictas conuentiones, donationem, infeudationem, & ratificationes; & inueſtiuit dictum Ducem Philibertum de dictis locis compræhenſis in dictis diſpoſitionibus, [*In augmentum aliorum feudorum, quæ tenet à nobis & Imperio Sacro: eidem præterea quodcumque ius nobis in præmiſſis competens infeudantes; iure tamen ſuperioritatis ſemper ſaluo*:] Remittendo ei omnem caducitatem, & reſtituendo eum etiam aduerſus omnem præſcriptionem, ſi qua decurſa fuiſſet. Deinde ſubiungit, [*Reuocantes etiam, & irritam decernentes omnem conceſſionem, & inueſtituram per nos, ſeu prædeceſſores noſtros forſan inaduertenter, præmiſſis incognitis de huiuſmodi rebus donatis dicto Marchioni Montisferrati, donatori, eiuſq; liberis, & ſucceſſoribus factam in præiudicium prænarratorum contractuum. Mandantes inſuper, & iniungentes Illuſtri Guillielmo moderno Marchioni Montisferrati, filio Bonifacij vltimi ratificantis, & ipſius Illuſtris Ioannis Iacobi Marchionis donatoris nepoti, ſub pœna priuationis feudorum, quæ tenet à nobis, & Imperio Sacro, amiſſioniſque prænarratarum rerum, & bonorum ipſi Sabaudiæ Duci applicandorum, indignationiſq; Regiæ noſtræ grauiſſimæ, quatenùs iuxta formam prænarratorum contractuum, cum eius prædeceſſoribus initorum, eidem Duci Sabaudiæ, & ſuis prædictis ſucceſſoribus*

cessoribus fidelitatem, & homagium præstet, & de præmiss s inuestituram accipiat, omni exceptione reiecta. Supplētes omnes defectus, &c.]

ACCIDIT vt eo ipso concessionis die moreretur Dux Philibertus, cui successit in Ducatu Carolus III. eius frater, vt suprà dictum est, qui post paullulum temporis volens pro cōseruatione & cōsecutione suorum iurium, mouere bellum Marchioni Guillielmo, ne id faceret prohibitus fuit à Maximiliano Imperatore, per patētes ipsius literas, ad dictum Ducem scriptas die 20. Aprilis, 1509. Quibus declarabat intellectas à se controuersias, quæ inter dictum Ducem & Marchionem Montisferrati versabantur: quarum occasione verisimiliter metui poterat ne bellū & armorum motus nasceretur. Et quòd cùm dictus Imperator fœdus pepigisset cum Ludouico Rege Franciæ, statuerat cum exercitu ire in Italiam, ibique coronam Imperialem assumere: posteà aduersus infideles bellum gerere, quæ omnia per dictas controuersias, si in bellum prorumperent, facilè poterant impediri. Ideóque cùm ad ipsum, tanquam ad Imperatorem & supremum & competentem iudicem vtrumque spectaret, vt & dictas controuersias terminaret, & bellum prohiberet, declarat sibi propositum esse vbi primùm Italiam ingressus erit, componere omnia amicabiliter: [*& ex bono & æquo*, si fieri poterit; sin minùs, decidere & terminare dictas controuersias per viam iuris, & iustitiæ, assumptis secum Iurisconsultis, & viris longa rerum experientia confirmatis. Interim verò iubet dicto Duci, & imperat, ne quid aduersus dictū Marchionem, eiusque subditos & Statum innouet, sub pœna suæ indignationis, inobedientiæ, & rebellionis, & amissionis suorum iurium, feudorum, & priuilegiorum. Subiungens quòd sub eadem pœna idem ipsum Marchioni imperauerat. Et quòd si quis eorum contraueniret, procederetur contra eum à dicto Imperatore, & Gallorum Rege & aliis Principibus Imperij, (quorum intererat dictam expeditionem aduersus infideles faciendam non impediri,) tanquam contra inobedientem & contumacem ad dictarum pœnarum declarationem.

IDEM ille Imperator Maximilianus, dicto anno 1509. die penultima Iulij, per patentes suas literas dicit, Quòd licèt in omni concessione Imperiali, intelligatur reseruatum ius tertij; nihilominùs ad supplicationem dicti Ducis Caroli declarat, non fuisse

mentis ſuæ per vllam inueſtituram factam, vel faciendam Marchioni Montisferrati, derogare, nec præiudicium facere conceſſionibus, & iuribus dicti Ducis Caroli: imò velle ſe, vt ſaluæ, illæſæ, & in ſuo robore ſint, & maneant.

MORTVVS eſt Marchio Guillielmus anno 1518. die 4. Octobris, facto priùs teſtamento, quod ex parte Mantuæ in actis productum eſt: in quo legauit Annæ Dealanſonæ vxori ſuæ caſtella Serri & Calliani, [*cum omni moda iuriſdictione hominum, fidelitate, iuribus, & pertinentiis vniuerſis.*] Quæ caſtra iam anteà dictus Guillielmus eidem Marchioniſſæ donauerat. Legauit ei præterea caſtrum Ricaldoni, anteà quoque per Marchioniſſam ab eodem Marchione comparatũ. Liberos ſuperſtites reliquit Bonifacium, & Margaretam, prætereà ſuperſtitem fratrem Ioannem Georgium. Marchionatum reliquit Bonifacio, qui de eo fuit inueſtitus à glorioſæ memoriæ Imperatore Carolo V. anno 1522.

INTERIM deceſſerat Duciſſa Blanca ſine liberis, ſed cum teſtamento, quo heredem ſibi vniuerſalem inſtituit dictum Ducem Carolum, ſubſtituendo ei filios ipſius.

CAROLVS V. Imperator anno 1521. die 3. Maij, & anno 1530. die 15. Martij, per patentes ſuas literas confirmauit conuentiones, donationem, & infeudationem, de quibus ſuprà, in fauorem dicti Ducis Caroli.

DEFVNCTVS deinde eſt Marchio Bonifacius filius Guillielmi, anno 1530. die 6. Iunij, abſque liberis ſuperſtite Margareta ſorore ſua, quæ iam tunc nupſerat Federico de Gonzaga I. Duce Mantuæ, ſuperſtite præterea Io. Georgio patruo ſuo, qui in Marchionatu ſucceſſit: & ex inde multas fecit alienationes, & inter cætera bona vendidit molendina & tributa Tridini, multa prætereà à loco Morani dependentia: inſuper Verolengum, Nitiarię, bona Pomerij, Fraſſigni, Boſſoli, & Burgi S. Martini, Montiſmagni, & partem bonorum Pontiſturię, Monſani, Caſorſi, partem vnam Diani, Cremolini, & alia multa bona, de quibus deponunt teſtes examinati ex parte dicti Ducis Sabaudiæ, ſuper 12. & 15. articulis.

FEDERICVS & Margareta coniuges & Duces Mantuæ anno 1532. die vltima Decembris, viuo adhuc Ioanne Georgio Marchione ſupradicto, inueſtiti fuerunt à Carolo V. Imperatore

de

de Marchionatu Montisferrati, quotieſcumque contingeret dictum Ioannem Georgium mori ſine maſculis: Et vt dictam inueſtituram obtinerent, ſupplicarunt, vt ex narratione inueſtituræ conſtat, quòd dicto Marchioni Ioanni Georgio nulla ſpes ſupererat ſuſcipiendorum liberorum. Ideoque petierant, vt eo caſu adueniente, inueſtirentur à dicto Imperatore in feudum nobile, paternum, antiquum, & auitum, pro ſe & ſuis deſcendentibus, legitimis, & maſculis deficientibus, pro fœminis; ita tamen vt fœminæ etiam ſemel aut ſæpiùs excluſæ poſſent admitti: atque ita ab Imperatore inueſtiti ſunt, iuxta formam ſupplicatam.

PAVLLO pòſt deceſſit ſubita & improuiſa morte correptus dictus Ioannes Marchio, die vltima Aprilis, 1533. abſque liberis, ſuperſtite dicta Margareta Duciſſa Mantuæ nepte ex fratre præmortuo, & Carolo Duce Sabaudiæ prætendentibus ambobus ſucceſſionem Marchionatus Montisferrati.

ANNO 1534. die 7. Maij, Carolus V. Imperator declarat patentibus ſuis literis, quòd per Montisferrati inueſtituram à ſe factam Ducibus Mantuæ, non fuit, nec eſt ſuæ mentis derogare iuribus Ducis Sabaudiæ, ad eum quomodolibet ſupradicto Marchionatu pertinentibus, & ſpectantibus. Quæ vult eidem manere ſalua, illæſa, & intacta, nonobſtante dicta inueſtitura: immò de ſua certa ſcientia, motu proprio, & de plenitudine Cæſareæ poteſtatis ea iura confirmat, & adprobat.

DIE 10. Maij, Imperator ſupradictus concedit teſtimoniales Procuratori Ducis Caroli de interpellatione ab eo facta ad capiendam inueſtituram & acceptandam poſſeſſionẽ Mõtisferrati.

PER mortem dicti Ioannis Georgij Marchionis, dictus Imperator Carolus iuſſit ad ſuas manus reduci Marchionatum Montisferrati, tanquam feudum ab eo dependens: idque, vt habebant verba mandati, tam ad adminiſtrandã iuſtitiam omnibus in dicto Marchionatu ius aliquod prætendentibus, & competitoribus: quàm ne qua ſupereſſet occaſio committendi aliquid de facto, in præiudicium pacis, & tranquillitatis Italiæ. Deinde quoſdam ex ſuis Conſiliariis delegauit, poſtea in progreſſu litis mutatos in alios, quibus mandauit, aut ad minùs quatuor ex omnibus, qui commodiùs in eam curam poſſent incumbere, in eo Italiæ loco, qui partibus, & cauſæ conuenientior videretur, vt vocarent in

ius, & citari curarent omnes, siue in vniuersum, siue singulariter prætendentes in dicto Marchionatu; eorumque auditis in voce & in scripto rationibus, litem instruerent ad definitiuam vsque sententiam: & ita instructa lis, ab eorum aliquo ferri deberet, aut mitti cum eorum placito & consilio, ad eumdem Imperatorem; vt posset ministrare iustitiam, prout rationis esset & æquitatis, vt latiùs continetur in literis Imperialibus, datis die vltima Iulij 1533.

QVI Delegati laxarunt literas citatorias contra omnes ius prætendentes, die 10. Martij, 1534. publicatas voce cridæ, in locis Casallis, Tridini, Aquij, Albæ, Nitiæ, & Montiscalui, Ad comparendum intra mensem, coram ipsis, in ciuitate Mediolani: quam elegerunt, vt commodissimam inter cæteras omnes Italiæ ciuitates, vbi agitari causa deberet, & iudicium ferri: Idque ad Cira partium omnium proferenda, proponenda, & deducenda, prout singulis meliùs videretur, Ad effectum instruendi processus, iuxta formam & mentem commissionis, & delegationis ipsis factæ.

ATQVE ita instituto iudicio, comparuerunt multi prætendentes & competitores: & quidem vniuersum Marchionatum prætendebant Federicus de Gonzaga & Margareta eius vxor, Duces Mantuæ, Carolus Dux Sabaudiæ & Franciscus Marchio Saluciarum. Speciales verò & singulares petitiones varias proposuerunt: idem ille Carolus Dux Sabaudiæ, Dux Mediolani, dictus Marchio Saluciarum, Iulia de Arragone vidua dicti Marchionis Ioannis Georgij, & alij quamplures: de quibus tractare nihil attinet, cùm agatur de solis iuribus, quæ Dux Sabaudiæ & Duces Mantuæ, tanquam præcipui competitores prætendebant.

A parte igitur Federici de Gonzaga Ducis Mantuæ, & Margaretæ vxoris ipsius propositum fuit, dictæ Margaretæ tanquam nepti ex fratre & heredi ab intestato dicti Ioannis Georgij Marchionis vltimi Paleologi, debitam esse possessionem dicti Marchionatus, & ambobus quoque ipsis coniugibus, vtpote à Cæsarea Majestate, vt suprà dictum est, intestitis: Addita semper protestatione quòd nollent ingredi petitorium, quin priùs in ipsorum fauorem decisum esset possessorium. Ob eamque causam sublatum possessionis sequestrum, quod iussu Imperatoris factum

fuerat:

fuerat: In eamque rem fuit ex eorum parte producta supradicta inuestitura Caroli V. & aliæ pleræque tam Saxonibus, quàm Paleologis concessæ, cum multis iuribus & scripturis ex suprà relatis. Et præterea deducti fuerunt varij articuli & multi testes examinati super ijs omnibus, quæ probari posse & debere videbãtur. Quæ hîc latiùs exprimere necesse non est.

A parte autem dicti Caroli Ducis Sabaudiæ proposita fuit petitio vniuersalis dicti Marchionatus, varijs tribus de causis.

PRIMO, quia per defectum lineæ masculinæ Paleologorum, mortuo sine liberis Ioanne Georgio vltimo Marchione, dictus Dux Carolus, tanquam masculus descendens à Violanda filia Theodori ex familia Paleologa primi inuestiti, præferri debebat dictæ Margaretæ, tanquam fœminæ, in successione dicti Marchionatus. Quandoquidem in successione feudali, masculi, etiam ex fœmina, & remotiores in gradu, præferri debẽt fœminis; cùm masculus & fœmina descendunt ab eodem primo stipite inuestito pro masculis & fœminis. Ob idque probata fuit successio graduum, & genealogia dicti Caroli à dicto Theodoro, mediãte persona Violandæ vxoris Comitis Aymonis, per multas scripturas, quæ nullum dubitationi locum relinquũt, cùm ad dictum Carolum, tanquam descendentem ab ipso Aymone in recta linea, successio Ducatus peruenerit.

SECVNDO, vi & virtute dictorum pactorum dotalium, quæ suprà retulimus inita fuisse inter dictum Aymonem Comitem Sabaudiæ, & suprà dictum Theodorum, in matrimonio dictæ Violandæ filiæ: Purificata nempè condicione dictorũ pactorum per mortem dicti Ioannis Georgij vltimi masculi Paleologi.

TERTIO, quòd dictus Carolus esset heres vniuersalis Ducissa Blancæ, filiæ Guillielmi Marchionis.

VLTRA quam petitionem vniuersalem, fuit alia quoque specialis subordinatè proposita, de terris & locis dicti Marchionatus, consistentibus citra Padum, & vltra Tanagrum, idque virtute conuẽtionum, donationis, & infeudationis, die 27. Ianuarij, 1435. de quibus suprà dictum est: nimirum quòd finita linea masculina Ioannis, qui fuerat filius Ioannis Iacobi, & à Duce Amedeo VII. inuestitus, restabat deuolutum feudum ad Carolum, tanquam ad dominum directum.

ALIA

ALIA etiam ſpecialis prætenſio competebat dicto Duci Carolo, id eſt, de dote Duciſſæ Blancæ, quæ erat ducatorum octoginta millium, eum acceſſionibus, velut qui heres vniuerſalis inſtitutus eſſet, in teſtamento dictæ Blancæ, de cuius dotali inſtrumento, vt ſuprà producto, licèt ad alios fines ex parte Mantuæ, legitimè conſtabat.

ET pro fundamento petitionum dicti Ducis Caroli, fuerunt ex parte ipſius producta inſtrumenta dotis dictæ Violandæ. Itémque laudi, donationis, infeudationis, & adhærentiæ. Prætereà teſtamentum dictæ Blancæ, & alia multa ſuprà relata, ne dicam innumera: cum reproductione multorum in punctis vtilibus, quæ ex parte Mantuæ & Marchionis Saluciarum producta fuerũt. Additis etiam pleriſque teſtationibus, & depoſitionibus teſtium, & probationibus, quas hîc referre ſuperuacuum eſſet.

TANDEM poſt longos litis anfractus prolata fuit Genuæ à Carolo V. Imperatore ſententia, die 3. Nouembris, 1536. infraſcripti tenoris:

CAROLVS Diuina fauente Clementia Romanorum Imperator Auguſtus: Defuncto Illuſtr. Ioan. Georgio, vltimo Marchione Montisferrati ex linea Paleologa, Marchiam, & Statum Montisferrati ſub noſtram Imperialem manum reduximus, tùm vt quod Cæſareæ dignitati, & iuſtitiæ cõueniret præſtare poſſemus, tùm vt prouideremus ne quid de facto, & vi attemptaretur quod Italicæ paci & trãquillitati obſiſteret. Cumq; pro more noſtro nihil magis cuperemus, quàm in hoc negotio de plano procedi, & cum ſumma æquitate, & iuſtitia proſpici, vt omnibus volentibus de iure ſuo experiri æqua lance, vera, & breuis iuſtitia adminiſtraretur, cauſam dictæ Marchiæ, quondam Antonio de Leyua Principi Aſculi, Marino Carracciolo Protonotario tunc Apoſtolico, nunc Cardinali, & aliis condelegatis cognoſcendam, & vſque ad ſententiam excluſiuè inſtruendam commiſimus, vt illam legitimè inſtructam cum eorum conſilio, & ſententiis nobis decidendam remitterent. Coram quibus Delegatis comparuêre Procuratores Illuſtr. Pincipum Ducum Sabaudiæ, & Mantuæ, ac Marchionis Saluciarum prætendentes ius vniuerſale, & particulare ad Marchiam prædictam: ac nonnulli alij prætendentes ius particulare ſuper aliquibus locis, & caſtris dictæ Marchiæ, & tàm coram dictis Delegatis, quàm coram aliis noſtris Delegatis in dicta cauſa Neapoli, videlicet Maio Vicecancellario, &c. vſque ad concluſionem in cauſa excluſiuè proceſſe-

runt,

runt, & ita causam instruxerunt, vt meritò illius decisioni incumbere, illique vltimam manum imponere, & id præstare debeamus, quod huiusmodi causæ, & personarum grauitati, & temporibus istis conuenire arbitramur. Iccircò habita priùs, & audita à dictis nostris Delegatis diligenti causæ relatione, & intellectis eorum iudicijs, & suffragijs, ac visis, &c. omnibusq; diligenter, & maturè discussis, & examinatis: accedente etiam consilio, & matura deliberatione aliorum Procerum nostrorum, partibus pro hac die, & hora ad audiendum sententiam coram nobis legitimè citatis. Ante omnia ex suprema nostra potestate, & Cæsareo officio, causam hanc inter dictas partes, tàm ius vniuersale, quàm particulare super dicta Marchia Montisferrati, & bonis, locis, & castris dictæ Marchiæ prætendentes, tàm in possessorio, quàm in petitorio concludentes, & pro conclusa habere volentes, CHRISTI nomine inuocato, in hunc, qui sequitur modum, diffinitiuè pronunciamus, & declaramus.

IN primis, quoad petitionẽ vniuersalem Illustr. Francisci Marchionis Saluciarum petentis sibi Marchiam adiudicari, causis de quibus in processu: Pronunciamus, & declaramus, nullum ius dicto Marchioni Saluciarum competere in dicta Marchia Montisferrati, & Statu, & bonis per eum petitis. Ad petitionem autem particularem dicti Illustr. Marchionis Saluciarum reintegrationis possessionis, & adiudicationis ciuitatis Albæ: Pronunciamus, & declaramus in iudicio possessorio nullum ius competere dicto Marchioni Saluciarum: in petitorio, tàm dicto Marchioni Saluciarum, quàm ciuitati Albæ ius, quod eis competere prætendunt, reseruando. Ad petitiones verò vniuersales Illustr. Ducis Sabaudiæ tàm ratione pacti dotalis, quàm ratione successionis ex persona, & iure Violandæ filiæ Theodori primi Marchionis Montisferrati ex linea Paleologa, quàm ex persona, & iure hereditario Blancæ filiæ Marchionis Guillielmi: Pronunciamus, & declaramus nullum ius vniuersale ex dictis causis, & petitionibus dicto Illustr. Sabaudiæ Duci in dicta Marchia Montisferrati, & bonis supradictis competere. At in petitione particulari dotis octuaginta mille ducatorum dictæ Blancæ, Declaramus dictam dotem deberi prædicto Duci Sabaudiæ, vt heredi dictæ Blancæ, eámque sibi adiudicandam esse, prout adiudicamus super bonis allodialibus, mobilibus, & immobilibus, & super melioramentis factis in Marchia, castris, & locis per tunc Marchionem Guillielmum dictæ Blancæ patrem possessis ratione hypothecæ, & iurium dotalium: saluis exceptionibus, tàm solutionis, quàm alijs, si quæ competunt, in executione reseruatis. In petitione verò vniuersali Il-

luſtr. Federici de Gonzaga, & Margaretæ Paleologæ coniugum, Ducum Mantuæ, tàm circa poſſeſſorium, quàm petitorium: Pronunciamus, & declaramus dictam Marchiam Montisferrati, & caſtra, & loca feudalia, & alia per Marchiones Paleologos poſſeſſa fore, & eſſe illis adiudicandam, & adiudicanda, prout illa eis adiudicamus. Reſeruatis locis, bonis, & caſtris, de quibus in donatione facta à Ioan Iacobo Marchione Montisferrati, Illuſtr. Amedeo tunc Duci Sabaudiæ, vt infrà: Super quibus pronunciamus, & declaramus, quo ad dicta bona, de quibus eſt contentio inter dictas partes, ratione, & cauſa dictæ donationis, & infeudationis per dictum Illuſtr. Ducem Sabaudiæ prætenſarum, prædictos Duces Mantuæ immittēdos eſſe in poſſeſſionem dictorum locorum, bonorum, & caſtrorum, & totius Marchiæ. Reſeruata tamen nobis diffinitione petitorij, ex eiſdem actis ſuper bonis, & caſtris prædictis. Ita tamen, quod prædicti Illuſtr. Duces Mantuæ in prædictam poſſeſſionem non immittantur, nec illam quouis modo aſſequi poſſint, quin priùs præſtiterint ad manus noſtras idoneam, & ſufficientem cautionem pro arbitrio, & ſatisfactione noſtra de relaxatione, & dimiſſione reali, & effectuali poſſeſſionis locorum, & caſtrorum prædictorum, & ſe ſubmiſerint ſub pœna amiſſionis omnium iurium, quæ prætextu huius ſententiæ dictis Illuſtr. Ducibus Mantuæ in dicta Marchia, & bonis competere poſſet, caſu quo repertum fuerit, & pronunciatum prædicta loca, & caſtra, & bona ad Illuſtr. Ducem Sabaudiæ ſpectare, & pertinere. Quam quidem ſententiam intendimus proferri infra annū: & interim quandocunque, & ad dictam ſententiam audiendam partibus mandamus, vt ſuos idoneos Procuratores in curia noſtra habeāt prolaturi ſententiam, eorum contumacia non obſtante. Quantùm verò attinet ad fructus perceptos tempore ſequeſtri de dicta Marchia, locis, & bonis Illuſtr. Ducibus Mantuæ adiudicatis, fructus omnes prædictos præfatis Illuſtr. Ducibus Mantuæ adiudicamus. Ita tamen, quod habeatur ratio impenſarum, & ſumptuum pro gubernatione, conſeruatione, & manutentione prædicti Marchionatus, tempore dicti ſequeſtri rationabiliter factorum per Miniſtros noſtros; quas quidem expenſas prædicti Illuſtr. Duces compenſare, & ſoluere teneantur. Circa petitionem dotis, & caſtrorum per Illuſtr. Annam de Alenconio factam, quia plenè non conſtat de eius intentione, reſeruamus iura quæ ſibi competunt in alio iudicio. In petitione verò dotis, & donationis propter nuptias quatuordecim mille ſcutorum Illuſtr. Dominæ Iuliæ de Aragonia, pronunciamus, & declaramus dictam ſummam quatuordecim mille ſcutorum dictæ Illuſtr. Iuliæ deberi, & pro illis fore, & eſſe

& esse sibi obligata, & hypothecata bona omnia feudalia dictæ Marchiæ, & alia castra omnia, & bona per dictum Ioannem Georgium eius virum tempore obitus possessa. Ad petitionē, & supplicationem Casallensium, dicimus, & declaramus dictos Duces Mantuæ esse immittendos in possessionem dictæ ciuitatis Casallis. Ad alias verò petitiones particulares dictæ ciuitatis Casallis, de quibus in processu, quia non plenè constat de iuribus per eos prætensis, dicta iura, si quæ eis competunt in petitionibus prædictis, fore, & esse eis reseruanda. In petitionibus etiam, & supplicationibus vassallorum dicti Status, & Marchiæ, declaramus illorum supplicata locum non habere. Ad petitiones verò particulares ciuitatis Ianuensis, Vercellensis, &c. Quoniam processus causarum prædictarum non sunt plenè instructi, earum deliberationem nobis reseruamus, committētes earum cognitionem, & diffinitionem admodùm Reuerendo Cardinali Marino Carracciolo. Et ita in omnibus supradictis pronunciamus, & declaramus, & ad maiorem corroborationem manu propria scripsimus, &c.

FVIT ex parte Ducis Sabaudiæ acceptata dicta sententia in punctis tantùm vtilibus, & in odiosis fuit protestatum de supplicatione Cęsareæ Majestati aduersus eam sententiam porrigenda.

ET quoniam habet dicta sententia, debere Ducibus Mantuæ adiudicari Marchionatum, & quidquid possidebant Marchiones Paleologi, atque ita multò ampliùs quàm possedisset, & post se reliquisset Marchio Ioannes Georgius: Ideò ad instantiam, & petitionem Ducis Sabaudiæ, sine præiudicio impetrandæ reuisionis, idem Imperator die 10 dicti Nouembris, in contradictorio iudicio, cùm esset adhuc Genuæ, declarauit dictam sententiam intelligi debere de iis dūtaxat locis, & bonis, quæ tenebat & possidebat & post mortē suā reliquerat dict. Marchio Io. Georgius.

PROPOSVIT posteà Procurator Ducis Sabaudiæ, Illata sibi grauamina per dictam sententiam, & appellando à relatione causæ, itemque supplicando contra dictam sententiam, petiit dictam appellationem & reuisionem admitti: vtque etiam ex iisdem actis iudicaretur iterum, & iudicibus non suspectis in aliqua Imperij parte causa committeretur.

CVI propositioni cùm Procurator Ducum Mantuæ se opposuisset, instabat ad hoc tantummodò, vt quantùm ad petitionem specialem dicti Ducis Sabaudiæ in dicta sententia reseruatam, committeretur causa in petitorio Iudicibus delegandis Medio-

Iani aut Neapoli, vbi etiam pars actorum præcedentis instantiæ facta erat.

DIE 14. dicti Nouembris, Imperator committit executionem dictæ sententiæ [*vocatu vocandis*] Bernardo de Ariete, vno ex Delegatis: [*Præstitis tamen priùs legitimis & iuridicis cautionibus, & fideiussionibus, quæ iuxta formam prædictæ sententiæ nobis præstare tenentur, quas etiam ratione supplicatæ, & concessæ reuisionis dare prædicti Duces debent, si iam tunc præstitæ prædictæ cautiones non fuerint, vel non vt conuenit.*]

QVÆ cautiones præstitæ fuerunt ex parte Mantuæ coram dicto Delegato; nempè pro restitutione locorum particulariũ in obseruationem sententiæ pro summa scutorum triginta quinque millium, datis in eam rem fideiussoribus plerisque Nobilibus Genuensibus: Ita tamen, vt eorum obligatio non vltra duos annos tunc proximos extenderetur, vt cõstat ex actis dierum 10. & 16. Nouembris. Et fortassis ad illos tantùm duos annos restricta fuit obligatio, propterea quòd decidenda erat causa petitoria infra annum, iuxta supradictam sententiam. Et die 15. dicti Nouembris, fuit alia cautio præstita ad obtinendam executionem dictæ sententiæ, nonobstante reuisione petita. Et obligauit Dux Mantuæ ciuitatem & Statum Mantuæ, pro quingentis millibus ducatorum auri, dato in eam rem fideiussore tam suo quàm Ducissæ nominibus Principe Salernitano, Marchione Vasto, & Comite Nouoralano, & alijs, pro summa quinquaginta milliũ scutorum: præstito tamen priùs ab Imperatore consensu, vt eorum feuda obligari posset. Et die 25. eiusdem Nouembris in ciuitate Casallis, coram eodem Delegato, promittit Dux Mantuæ, quòd in casum, quo intra duos illos annos suprà dictos, pro quibus dederat fideiussores, nõ pronunciaretur in petitorio ratione singularis petitionis, daret ille alios fideiussores pro sũma scutorũ auri quadraginta milliũ. Quod tamẽ factũ & secutũ fuisse nõ apparet.

ANNO 1537. die 5. Iulij, Imperator Carolus V. ad supplicationem ducis Sabaudiæ, Patentibus suis literis declarat [*eidem Illustri Duci Sabaudiæ ex quouis lapsu, aut decursu temporis, nullum præiudicium in suo iure generari debere, nec tempus ei cucurrisse, aut currere, tàm respectu ipsorum locorum particularium, de quibus in donatione per quondam Ioan. Iacobum Montisferrati Marchionem, quondam Amedeo Sabau*

Sabaudiæ Duci facta; quàm etiam dictæ reuisionis, seu supplicationis, & reclamationis ab eadem nostra sententia parte dicti Caroli Sabaudiæ Ducis interpositæ, & per nos admissæ; sed omne ius ipsi competens, vt suprà, saluum, & illæsum esse, & permanere, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscunque.]

DVX Sabaudiæ post obtentam dictam declarationem, non destitit ex parte sua vrgere expeditionem dictæ causæ; Maximè quantùm ad petitorium reseruatum in dicta sententia, pro locis specialiter petitis, absque præiudicio dictæ reuisionis: qua de causa die 24. Iunij, 1541. dictus Imperator, Ratisbonæ, ad supplicationem dicti Ducis, decretum fecit sequentis tenoris: [*Cæsarea Maiestas ob alias occupationes non potuit hactenus, neque adhuc nunc potest articulum de bonis, & castris per Illustr. Ducem exponentem prætensis in sententia, de qua hîc fit mentio, reseruatum diffinire; sed quàm primùm data opportunitate Maiestas sua illum curabit expediri, expensura, & habitura rationem eorum, quæ hîc exponuntur, & interim tempus Illustr. Duci non currat, cùm semper fuerit hanc diffinitionem diligenter prosecutus, atque ex hac causa Procuratores suos in aula Maiestatis suæ habuerit.*]

MORTVVS est Dux Carolus supradictus, anno 1553. die 17. Augusti, cui successit filius Emanuel Philibertus inuestitus à dicto Carolo V. die 15. Iunij, 1554. de Ducatu Sabaudiæ & aliis locis Principatus Pedemontium, aliisque dominationibus, quas eius prædecessores possidebant, & de illis etiam quas de iure habere & tenere debebat: quomodo iuxta eandem formam inuestiti iam anteà fuerant dictus Dux Carolus, & alij prædecessores. Qua de causa ex parte Marchionum Montisferrati, à temporibus Marchionis Guillielmi filij Ioannis Iacobi semper obtentæ sunt declarationes ab Imperatoribus, nõ fuisse mentis Imperatorum per dictas inuestituras præiudicare iuribus Marchionum.

MANSIT per aliquod tempus, inter Emanuelem Philibertum Ducem Sabaudiæ, & Guillielmum filiũ Federici iam defuncti Ducem Mantuæ bona spes, mutuumque propositum terminandi summariè, & quàm benè fieri posset supra dictas Prouincias: eaque de causa, extant literæ inter eos viciſſim scriptæ, & inter cæteras vnæ dicti Ducis Mantuæ ad Ducem Sabaudiæ, in hæc verba conscriptæ.

AD Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum Dominum Dominum Ducem Sabaudiæ. Illuſtriſſime & Excellentiſſime Domine: Non tanti erant momenti rumores Albæ & Caſallis, vt ſi Celſitudo veſtra eo tempore iura ſua proferre voluiſſet, quæ in Marchionatu iſto prætendit, reſpondere me prohibuiſſent: ſed quando ita Celſitudini veſtræ placuit, vt differretur negotium, quò vſque pacata eſſent omnia, facile id credo, eique teſtatum facio, non minùs charum mihi eſſe quàm ipſi ſit, vt iſtæ controuerſiæ ad ſucceſſores noſtros indecisè non tranſmittantur: Immò verò dum viuimus, eum finem & exitum ſortiantur, quem Cæſareæ Maieſtatis Imperatoris noſtri iuſtitia dictauerit. Poteſt Celſitudo veſtra confidere, vt ego quoque confido, futurum vt ſincera, perfectáque, non ad gratiam, vel ambitionem adminiſtretur nobis iuſtitia. Incipiat igitur Celſitudo veſtra quandocumq; commodum videbitur, & ego quoque ſi hac via procedatur non poſſum non in bonam partem id acciperet. Nec minùs ero paratus ad obſequia, & officia omnia præſtanda, quæ ipſa offerre mihi dignatur, eadémque animi propenſione, vt coram & ex ore pluribus egi cum Capitaneo Ioanne Baptiſta Caccia. Et poſt exhibitam veſtræ Celſitudini ex animo ſalutationem, quamdiutiſſimam & fœliciſſimam vitam ei auguror & cupio. Caſallis, die 17. Iulij 1565. Celſitudinis veſtræ ſeruus, Dux Mantuæ.

ET Dux Sabaudiæ ad eum ſcripſit tenoris infraſcripti ſchedulam, inſcriptam: [*Ad Dominum Ducem Mantuæ. Fecit valetudinis meæ infirmitas, vt poſt reditum Domini à Cruce, qui teſtatam fecit mihi pieniſſimè Excellentiæ veſtræ ſummam erga me beneuolentiam, & quidquid illa reſpondit ad ea omnia, quæ ipſe meo nomine propoſuerat, vt non potuerim antè hunc diem reſpondere, nec quid reſpondendum haberem decernere. Iam verò conſideratis diligenter omnibus, & vt veſtra Excellentia intelligat nõ inferiorem à me referri ei voluntatis & beneuolentiæ ſignificationem, quia non facile mihi videtur, vt circa vnius Principis electionem conſentiamus, cui æquè ambo confidere velimus, aut etiam circa duos ab vno quoque noſtrûm ex ſua parte ſingulos eligendos. Non tam quòd nobis difficile id futurum ſit, quàm quòd Principibus ipſis eligendis. Putarem commodius, ſi Excellentiæ veſtræ ita placeret, vt ad præſcindendas omnes difficultates iſtas, iuxta id quod ex parte veſtra dominus Calandra mihi primùm propoſuit, ampliſſimum & liberũ compromiſſum ſcriberemus in Cæſaream Maieſtatem ſupremi noſtri Principis, petendo ab ea coniunctis precibus, vt per viam ſiue amicabilis tranſactionis, ſiue iuſtitiæ, terminare velit litem, quæ inter nos pro Monteferrato verti-*

vertitur, intra ſex menſes, aut ad ſummum intra annum: hac tamen lege & condicione, vt caſu quo intra dictum terminum ad deciſionem dictæ cauſæ non perueniatur, quidquid coram dicta Cæſarea Maieſtate factum fuerit, ratione dicti compromiſſi producti, tantum valeat, quantum ſi iudicialiter factum fuiſſet: Ita vt ſi intra compromiſſi tempus conſtitutum reperiatur lis inſtructa, placeat ſuæ Maieſtati & debeat illa tali caſu iudicare, & decidere dictam litem de iure tantùm. Expectabo igitur quid ad hoc Excellentia veſtra reſponſura ſit, vt ſi non diſplicebit condicio, nulla temporis iactura fiat, quin res tota ad executionem perducatur. Et Deum Opt. Max. deprecor, vt Excellentiam veſtram in omni proſperitate conſeruet. Dat. Riuoliis, die 20. Auguſti, 1571.

A D eas literas reſcripſit Dux Guillielmus in hunc qui ſequitur modum.

A D Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum Dominum, dominum Ducem Sabaudiæ.

ILLVSTRISSIME, & Excellentiſſime Domine: Cùm redditæ mihi ſunt Celſitudinis V. literæ, ad diem 20. Auguſti datæ, iã intellexeram miſſum ab ea in aulam Cæſaream dominum à Cruce: ideoq; putabam, inter cætera, quæ mandata illi fuiſſent, non eſſe hoc etiam prætermiſſum, vt ſuæ Maieſtati rationem redderet eorum omnium, quæ inter ſuam Celſitudinem & me tractata ſunt, circa cõtrouerſiarum noſtrarum compoſitionẽ. Ea res fecit, vt idem quoque à me fieri debere crediderim, & id ipſum vni ex meis Secretarijs, quem ad eam aulam miſi, faciendũ mandauerim. Qui ſtatim atque ad me reſcripſerit, quod breui futurum credo, non committam, vt in eo quod faciendum mihi conſtituam & decernã, Celſitudo veſtra diutiùs meas literas expectet. Interim credere illam cupio tam hac in re, quàm in alia qualibet, eã me perpetuam erga veſtram Celſitudinem gerere voluntatem, quam decet & debeo: dictaq; ei ſalute quamplurima, precor eidem à Deo Opt. Max. pleniſſimam fœlicitatem, Mantuæ 21. Octobris 1574. Celſitudinis veſtræ ſeruus, Dux Mantuæ.

S E D iam anteà Imperator Maximilianus, eodem anno 1571. die 19. & 24. Septembris, per literas ſuas etiam decreto confirmatas, ſe obtulerat arbitrium ex compromiſſo recepturum inter dictos Duces Sabaudiæ & Mantuæ, ad ſedandas eorum lites, & controuerſias.

C V M Q V E poſteà idem Dux Mantuæ ab Imperatore Maximiliano obtinuiſſet, vt Marchionatus Montisferrati in Ducatum

erige

erigeretur, dictus Imperator declarauit nolle tamen se per dictam erectionem præiudicium aliquod Duci Sabaudiæ generari.

TANDEM anno 1587. mense Iunij, Rodolphus Imperator, ad supplicationem Caroli Emanuelis hodierni Ducis Sabaudiæ, per Patentes suas declarauit, neque cucurrisse, neque currere tẽpus vllum in præiudicium dicti Ducis, quo minùs iura sua, quæ in Montemferratum habet, possit persequi, quæ & ipsa dictus Imperator, quatenus opus sit, confirmat.

HÆC sunt in quibus totius Facti, causæque substantia consistit. Quamuis grandia & perampla sint volumina litis peractæ & peragendæ, testationum, scripturarum, & iurium hinc inde productorum, & aliorum quamplurium, quæ nondum producta sunt: Et quæ ex sequentis Consultationis lectione intelligentur.

FINIS.

ANT. FABRI I. C.

SEBVSIANI, SER^mi. SABAVDIÆ
DVCIS CONSILIARII AB INTIMIS,
& in Supremo Sabaudiæ Senatu
Præsidis Primarij

DE MONTISFERRATI DVCATV,

Contra

Ser. DVCEM MANTVÆ,

PRO

Sereniſſimo SABAVDIÆ DVCE,

Conſultatio.

OPTANDVM equidem fuerat, vt grauiſſimæ iſtæ inter Sereniſſimos Sabaudiæ, ac Mantuæ Duces, de Montisferrati Ducatu contentiones, priuata & familiari decertatione componerentur; quod ſuperiore anno, tantis præſertim fauentibus arbitris, Mediolani commodiſſimè fieri poſſe ſperabatur, niſi paratis iam nobis, & ad profectionem Mediolanenſem com-

paratis omnibus, Mantuani ſuſpectum locum, ſuſpectos arbitros, ſuſpecta denique dixiſſent tempora, qui ſuſpectas potiùs leges dicere debuiſſent. Quàm verò fuiſſet nobis iucundius, ſermonis initium facere ab ea, quæ Deo Opt. Max. quãta maxima debebatur, gratiarum actione, quòd in mediis penè tubarum clangoribus, & vndequaque circumfrementium armorum ſtridoribus, ſuauiſſimum hoc pacis & concordiæ votum Sereniſſimorum Principum mẽtibus inſtillaſſet, vt quæ iam inde à tot ſeculis inter familias toto terrarum orbe celeberrimas, contracta fuerat, & nuper honorificentiſſimè renouata ſanguinis, animorumque coniunctio, nullis diſſenſionum flammis delibata, ſed præteritarum recordatione accenſa potiùs, auctaq; tanto firmior ac ſuauior in poſteros tranſmitteretur; réque ipſa verum eſſe appareret, quod olim non minùs eleganter, quàm argutè dixit Comicus, *Amãtium iras nihil niſi tenaciorum eſſe amoris priſtini redintegrationem.* Quis enim non miretur, diuinæque non adſcribat bonitati, ac prouidentiæ, quòd ſub idem ferè temporis, rumore vixdum belli perlato, Pater ſanctiſſimus, Imperator Auguſtiſſimus, Reges potentiſſimi, nullo inter ſe tractatu habito, in eandem penitùs cogitationem conſpirarant, vt quia iam non erat integrum facere ne ad arma decurreretur; facerent tamen, quod ſicuti fuit longè mirabilius, ita multo excellentius, vt primo ſtatim nutu imperij vtrimque ab armis reſiliretur.

ſiliretur. Tali nimirum animo decebat eſſe tantum Patrem in dulciſſimos filios, tantum Imperatorem in Duces tam eximios; tantos denique Reges erga Principes chariſſimos, vt quos authoritate ſua poſſent compeſcere, non paterentur digladiari diutiùs, & armis experiri quod iure tantùm ac ratione tentandum, & conficiendum eſſet. Tali viciſſim ſtudio, & obſeruantia decebat affectos eſſe tantos Principes, gratos, verecundos; quid plura? obſequentes. In quo & ſi parem vtrique Principi laudem par obſeruantia pollicebatur; erat tamen id Sereniſſimo Duci noſtro Carolo Emanueli tanto glorioſius futurum, quãto difficilius eſt iam partæ victoriæ fructum, quàm vincendi ſpem nudam deſerere, quæ tùm etiam cùm vindictæ, vltionisq; cupiditate animatur, non magis à metu, quàm à periculo ſeiuncta eſſe poteſt; quippe quæ ancipitis fortunæ aleam comitem ſemper gerat. Sed feciſſet tamen Sereniſſimus Dux noſter, paruiſſetq; libentiſſimè; nõ ideò tantùm quòd bellicis iam tot exantlatis laboribus, partaque tãtis periculis & victoriis gloria ſcientiæ militaris, ſolam ſibi laudem obſequij relictam animaduerteret, quam graui licèt ſuo damno & incommodo parare ſibi poſſet: ſed etiam vt exemplo doceret ſuo, quod optimo cuique Principi æquè perſuaſum eſſe oporteret, ſicuti ſummæ felicitatis eſt poſſe quantũ velis; ita magnitudinis velle quantum poſſis. At quoniam Sereniſſimo Duci Mantuæ viſum commodius

fuit, & expeditius, vt ab armis quidem continuò, ſed non etiam à lite, niſi quàm tardiſſimè fieri poſſet, diſcederetur; faciendum neceſſariò nobis eſt, qui Sereniſſimi Ducis noſtri partes tuemur, vt omnes intelligant, quemadmodum nulla prorſus ex parte inferiorem; ita rationum ponderibus ac momentis longè ſuperiorem eum eſſe, ac potiorem. Quod etſi facilè poſſumus aſſequi, ne tamen paucis verbis rem tantam præſtare liceat, prohibemur non tantùm cauſæ grauitate, ac magnitudine, quæ non breuiùs pro decoro ac dignitate tractari poſſe viſa eſt: verùm etiam Conſultationum, quæ in vtramq; partem à celeberrimis Iureconſultis editæ in plura volumina excreuerunt multitudine, quas nos propemodum ſigillatim ſubſequi, ac perſequi neceſſe fuit, ne quid intactum reliquiſſe videremur. Poteramus eſſe multo breuiores, ſi aduerſariorum obiectiones pleraſq; leuiſſimas, &, quod cum bona eorum venia dictum ſit, planè futiles, ac parum dignas quæ proponerentur, ſilentio magis, quàm accurata, & ſeria tractatione refellere libuiſſet. Enimverò ſi ad ingenij gloriolam captandam, vel minima quæque ſectari voluerunt, fortaſſis ne quid per incuriam potiùs, quàm per imperitiam prætermiſiſſe crederentur, quidni licere nobis etiam debuit, veritatis tuẽdæ gratiâ, idipſum facere, quod non ſine grauiſſimo præuaricationis ſcelere prætermittere potuiſſemus? Nimirum ad illa etiam quæ non decebat obiicere, aliquid tamen reſpondere

dere non modò decuit; ſed etiam neceſſe fuit. In eoque experti ſumus, quàm fuiſſet commodius totam hanc Controuerſiam coram, & ex ore, quàm ex ſcripto tractare: Tantos ſiquidem viros, qui à partibus Mantuæ Mediolanum venturi dicebantur, in tam leuibus & ocioſis obiectionibus proponendis tempus & operam terere certè puduiſſet: Adeò verum eſt, quod præclarè quidam dixit, *Conſcientiam facilius in vultu erubeſcere, quàm in charta.* Sed iam ad id, quod res eſt, accedamus.

CONSVLTATIONIS

PARS PRIMA.

Serenissimus Dux Sabaudiæ habet fundatã intẽtionem ex inuestituris, & alijs instrumentis iam productis. Totaque huius litis difficultas consistit in diluendis Mantuanorum obiectionibus.

MAGNVM nobis pro Serenissimo Sabaudiæ Duce ad spem victoriæ pondus adfert, quòd habet ille fundatam, probatámque intentionem ex inuestituris, & alijs instrumentis iam olim hac in causa productis: nec in alio nobis laborandum est, quàm vt eorum qui pro Serenissimo Duce Mantuæ cõtrà scripserunt exceptiones & obiectiones diluamus. Sed quia de iure actoris ante omnia tractandum est, ostendemus primùm breuiter ex quibus inuestituris & contractibus intentio Serenissimi Sabaudiæ Ducis probata sit: Deinde ad obiectiones diluendas veniemus.

Inuestitura prima facta per Imperatorem Ottonem Aledramo Saxoni de Marchionatu Montisferrati, anno 967. & eius inuestituræ verba.

ILLVD primùm in confesso est, ac tametsi negaretur constat ex inuestitura per Imperatorẽ Ottonẽ factã an. 967. fuisse concessum ab eo Marchionatum Montisferrati Aledramo Saxoni, primo Marchioni, eiúsq; heredibus ad familias vtriusque sexus, his verbis additis: *Habeantq; Aledramus & sui heredes potestatem vendendi, commutandi, alienandi, pro anima iudicandi,*

candi, & quicquid eorum decreuerit animus faciendi, omnium hominum contradictione remota.

Secunda inueſtitura facta per Henricum VII. Imperatorem Theodoro Paleologo, primo Marchioni ex linea Paleologa, anno 1310. & eius verba.

CONSTAT etiam ex alia inueſtitura facta per Henricum ſeptimum Theodoro Paleologo filio Violandæ, quæ fuerat ipſa ſoror Ioannis Marchionis vltimi de linea Aledrami, & vxor Andronici Imperatoris Conſtantinopolitani Paleologi, ex quo ſuſceptus fuit dictus Theodorus, totam Marchiam Montisferrati fuiſſe eidem Theodoro conceſſam in feudum nobile, rectum, gentile, antiquum, auitum, & paternum. *Ita quòd à modo dictus Marchio pro ſe & heredibus, ſuis dictum feudum teneat & habeat, ſicut, & eo modo & forma, quo & qua prædeceſſores, & ſucceſſores Marchiones Montisferrati habere & tenere conſueuerunt.* Quæ verba ipſa ſunt inueſtituræ factæ anno 1310.

Theodorus tã per hanc, quàm per primam inueſtituram ſucceſſit in toto Marchionatu Ioanni vltimo Marchioni de linea Aledrami: & de eo diſpoſuit cùm filiam ſuã Violandã nuptui collocauit Aymoni Comiti Sabaudiæ, anno 1330.

Verba pacti dotalis quod iniit Theodorus cum Aymone Comite Sabaudiæ, cui

TERTIÒ illud etiã conſtat, Theodorũ, tam ex dicta inueſtitura, quàm ex prima ſucceſſiſſe in tota dicta Marchia Io. vltimo Marchioni de linea Aledrami, & de ea diſpoſuiſſe cùm filiam ſuã nuptui collocaret Aymoni Comiti Sabaudiæ, anno 1330. Cal. Maij, in hæc verba: *Item conuenit & promittit dictus D. Marchio præfato D. Comiti, quòd ſi cõtingeret dictum D. Marchionẽ, vel eius liberos maſculos ex legitimo matrimonio procreatos decedere, quoquo tempore, abſque liberis maſculis ex ſuis corporibus & legitimis matrimoniis procreatis, quòd in illo caſu Marchionatus Montisferrati, cum ipſius honoribus, vaſallis, iuriſ*

filiam suã Violandam nuptui collocabat.

iurisdictionibus, meris & mixtis imperiis, & vniuersaliter cum ipsius iuribus, sint & esse debeãt, pleno iure dictæ D. Violandæ & successorum suorum, in augmentum & ex causa dotis dictæ D. Violandæ: expresse hoc pacto apposito, Quòd si aliquæ filiæ remanerent ex dicto Dom. Marchione, & filiis suis legitimis ex legitimis matrimoniis procreatis, quòd eis prouideatur secundum dignitatem Marchionatus per dictam D. Violandam, heredes & successores eius, de congrua & sufficienti dote, pro matrimonijs copulandis, vel per aliam viam castitatis & religionis, si ipsam magis eligerent.

Marchiones Montisferrati, tam qui de Aledrami linea fuerunt, quàm qui ex Paleologa, semper de dicto Marchionatu disposuerunt tam inter viuos, quàm in vltima voluntate.

QVARTÒ in confesso etiam est, Marchiones Mõtisferrati, qui Marchionatum illum semper in feudum ab Imperatore tenuerunt, tam qui de Aledrami, quàm qui de dicti Theodori Paleologi linea fuerunt, de eo Marchionatu disposuisse pro arbitrio, tam inter viuos, quàm in vltima voluntate, inscijs quoque nec requisitis Imperatoribus, easq; dispositiones ratas, effectumq; suum plenissimum sortitas fuisse.

Sermus. Sabaudiæ Dux Carolus II. Sermi. Caroli Emanuelis auus paternus, fuit ex liberis in recta linea descendentibus à Theodoro, per mediam Violandæ personã: & consequenter ex linea Aledrami.

QVINTÒ illud quoque constat, quod ab ijs, qui pro Duce Mantuæ primi scripserunt, non fuerat obseruatum, Sereniss imum Sabaudiæ Ducem Carolum secundum, Sereniss imi Ducis nostri Caroli Emanuelis auum paternum, ex liberis fuisse in recta linea descendentibus à dicto Theodoro Paleologo, per mediam personam dictæ Violandæ, & consequenter ex ipsa etiã linea recta Aledrami, ex qua scilicet ipsa etiam erat

Violan

Violanda: quippe quæ patrem habuerat Theodorum filium alterius Violandæ, quæ ſoror fuerat conſanguinea Ioannis vltimi Marchionis, ex linea Aledrami.

SEXTÒ, & omnium maximè illud in confeſſo eſt, Ioannem Georgium, vltimum Marchionem ex familia Paleologorum, deceſſiſſe nullis ſuperſtitibus liberis, ſola ſuperſtite Margareta nepte ex fratre, quæ à dicto Marchionatu bis excluſa fuerat, ſemel per fratrem, iterum per patruum. Eodémque tempore ſuperſtitem quoque & in hominum natura fuiſſe Carolum ſecundum Sabaudiæ Ducem, ſolum maſculum ex vtraque linea Aledrami & Theodori Paleologi, licèt deſcendentem per fœminam.

Ioannes Georgius vltimus maſculus ex linea Paleologa deceſſit ſine liberis, relicta Margareta nepte ex fratre prædefuncto: bis excluſa à ſucceſſione Marchionatus.

POSTREMÒ, illud etiam conſtat, Sereniſſimum Sabaudiæ Ducem Carolum Emanuelem ſucceſſiſſe in iura omnia Caroli ſecundi aui ſui paterni, ac proinde in omne ius quod habuit auus inſtituendæ & proſequendæ litis huius de toto Marchionatu cõtra dictam Margaretam. Et rurſum non alio iure vllo niti hodiè Sereniſſimum Ducem Mantuæ, vt Marchionatum ſibi adſerat, quàm quo iam olim ac primæ litis tempore dicta Margareta nitebatur.

Sereniſſimus Sabaudiæ Dux Carolus Emanuel in iura omnia Caroli ſecundi aui ſui paterni ſucceſſit.

Non aliud ius habet hodiè Sereniſs. Dux Mantuæ, quàm quo iam olim ſuprad. Margareta nitebatur.

EX quibus omnibus ita in facto præſuppoſitis, & partim ex aduerſariorum confeſſione, partim per litis acta & producta inſtrumenta probatis, conſequens relinquitur, vt ex pacto appoſito in tabulis dotalibus Violandæ filiæ Theodori, nuptæ Aymoni tunc Comiti Sabaudiæ, aperta ſit Sereniſſimo Sabaudiæ Duci Carolo Emanueli ſucceſſio in toto Marchionatu Montisferrati, tanquam heredi & ſucceſſori Caroli ſecundi, in cuius primùm perſona euenerat condicio per mortem

Illatio ex præcedentibus veriſſimis & probatis, tam ex confeſſione aduerſariorum, quàm ex inſtrumentis in lite productis, Quòd ex pacto dotali, de quo ſuprà, ſucceſſio in Marchionatu aperta ſit Sereniſſimo Duci Sabaudiæ.

Io. Georgij vltimi Marchionis ex familia Paleologorum, ſine vllis liberis neque maſculis, neque fœminis, ſola dicta Margareta ſorore ſuperſtite.

Seruanda ſunt pacta omnia, quæ neque cõtra leges ſunt, neque contra bonos mores.

In traditionibus rerũ quodcumque pactũ appoſitum ſit, valet.

NEC haberet res vllam dubitationem, ſi de iure tantùm actoris, non etiam de exceptionibus rei quærendum eſſet. Quis enim neſcit ſeruanda eſſe pacta omnia, quæ nec contra leges ſunt, nec contra bonos mores: idque & naturali æquitati & bonæ fidei maximè conuenire? *l. 1. in princip. l. iuriſgentium. 7. §. ait Prætor. D. de pact. l. 1. de pecun. conſtit.* Et in traditionibus rerum quodcunque pactum valere, etiam quod alioqui non valeret, *l. in traditionibus. 45. D. de pact. l. ei fundo. 19. D. de ſeruit. l. venditor. 13. D. commun. præd.* quia ſcilicet non fuerat, qui rem tradidit, aliter traditurus, *l. vlt. C. de pact. int. empt. & vendit.* Quanto igitur magis idem obtinere debet in traditionibus filiarum, quę nuptui collocantur certis legibus & cõdicionibus, ſine quibus non fuerat maritus eam vxorem ducturus, taleque matrimonium contracturus: nihil enim aliud id eſſet, quàm maritum decipere, quod certè ferendum non eſt, *l. ſi donaturus. 9. D. de condict. ob cauſ. dat. l. Titia. 62. in fin. D. de iur. dot. l. purè. 5. §. penult. D. de doli mal. except.* Nec tantùm deciperetur maritus, ſed, quod eſſet iniquius, quotquot ſunt de familia maritij, cũ omnes contractus matrimoniorum, non tam perſonarum quæ contrahunt, quàm familiarum cõtractus ſint, propter agnationem & cognationem illam, quæ inter vtriuſque familiæ perſonas, etiam ignorantes & inuitas, adeóque inter futuros earum ſucceſſores ac poſteros omnes contrahitur. Quæ res facere debet, fecítque ſemper, vt cõuentionum omnium fauorabiliſſimæ habean-

Maximè ſeruanda ſunt pacta dotalia, ſine quibus maritus non fuerat vxorem ducturus.

Cõtractus matrimoniorum, non tãtùm eorũ qui nuptias contrahunt, ſed etiam familiarum contractus ſunt.

tur

beantur eæ quæ matrimoniales sunt, & contrahendo matrimonio causam dederũt: maximè verò inter Principes, ad quorum dignitatem & existimationem præcipuè pertinet, ne fidem vnquam fefelliſſe videantur: nec de fide rupta conquerendi occasionem cuiquam probabilem dediſſe: tanquam quorum cõuentiones, dummodò iustæ & honestæ, pro iustis legibus cẽsendæ sint, si quasi à Principibus factæ considerentur: aut saltem eodem iure haberi, quo si inter priuatos alios quoslibet initæ essent, si tanquam priuati contraxisse videri velint. Cùm ob eam causam dici soleat, Principes in suis contractibus vti iure priuatorum, ne alioqui, vt Baldus dicebat, qui omniũ Præsul est, fiat omnium exul: *Bald. in l. ex imperfecto. C. de testam. Thom. Grammat. decisi. 65. num. 2. Cin. Cast. & alij ad l. digna vox. C. de legib. Didac. Couar. lib. 2. Var. resolut. cap. 19. num. 3.* Multóque magis debet ab illicitis abstinere Princeps, quàm priuatus, *l. pen. vbi idem Bald. D. de hered. instit.* Adeò vt vel sola mutatio voluntatis in supremo Principe videatur indigna eius maiestate. Quæ dubitandi ratio elegans est ad *l. cùm heredes. 7. in fin. C. qui testa. facer. poss.* In proposito autem illud etiam accedit, quòd detracto huiusmodi pacto dotali, nimis exiguam dotem habuisset Aymo Comes Sabaudiæ, qui iam tum potentissimus Princeps erat: nec contentus, vt credibile est, tam parua dote futurus, nisi pactum hoc dotale interueniſſet, vt esset pars dotis, & vt contractus verba sonant, [*in augmentum & causam dotis.*] Pacta enim omnia in contractibus apposita partẽ contractus efficiunt. Præsertim verò in contractu dotis, qui bonæ fidei est, *d. l. iuris gentium. §. adeò. de pact.* sicut solemus dicere,

Pacta Principum in tabulis dotalibus apposita potissimùm seruanda sunt.

Conuentiones Principum pro iustis legibus censentur.

Principes in suis contractibus vtuntur iure priuatorum.

Sola mutatio voluntatis in Principe videtur indigna eius maiestate.

Verisimile est tantum Principem, quantus fuit Aymo Comes Sabaudiæ, non fuisse ducturum vxorẽ Violãdam tam exigua dote, si pactũ hoc dotale ad dotem augendam non interueniſſet.

Pacta omnia in contractu quolibet apposita, partẽ con-

tractus efficiũt. Etiam ea quorũ ratione dici non possit honestè quicquã pacisc entis interesse.

pactum in venditione adhibitum, etiam cuius ratione nihil possit dici honestè ac probabiliter interesse pacisc entis, facere partem precij, ob idque omnimodò seruandum esse, *l. si venditor. 6. §. 1. in fin. D. de seru. export. d. l. venditor. 13. D. commu. præd.* Quanto magis cùm ex causa honesta & pecuniaria interest, vt in *l. fundi partem. 79. D. de contr. empt. l. si sterilis 21. §. si tibi. D. de act. empt.*

Exceptiones Mantuanorum posteà confutandæ ex ordine.

RESTAT igitur vt de Sereniſſimi Ducis Mantuæ exceptionibus, quænam & quales eæ ſint, & cuius ponderis, videamus. Omnes autem his ferè capitibus continentur: De quibus ſingulis poſtea ex ordine dicendum erit.

Prima exceptio principalis, De fide probatoria dotalis inſtrumenti, ex quo agimus, tanquã quod à duobus Notariis exceptum, nec niſi ab vno ſubſcriptum fuerit.

PRIMA exceptio eſt de fide probatoria inſtrumenti dotalis, quo huiuſmodi pactio dotalis, de qua proximè diximus, continetur. Tanquam quòd ſubſcriptum ſit ab vno tantùm ex pluribus Notariis, qui de eo ſimul, nec in ſolidum ſinguli rogati fuiſſe dicũtur: Nam quod addunt Mantuani, non conſtare de Notariatu & rogitu eius qui ſubſcripſit, leuius certè & futilius eſt, quàm vt confutandum eſſe videatur: Quamuis vel ex eo maximè coniici poſſit, quàm parum illi ſuis confidant exceptionibus, qui ab huiuſmodi nugis & ineptiis inchoandum ſibi eſſe crediderunt.

Addunt Mantuani, non conſtare de notariatu, nec de rogitu Notarij, qui ſubſcripſit.

Parum confidunt ſuis exceptionibus, qui ab ineptiorib. iſtis non abſtinent.

Secũda exceptio principalis, Quòd dotalis conuentio facta ſit à Theodoro cõtra formam inueſtituræ, ac proinde nulliter.

SECVNDA exceptio eſt, non valere prædictã conuentionem dotalem tanquam quæ facta ſit, nec fieri potuerit à Theodoro Paleologo, contra tenorem inueſtituræ eidem Theodoro factæ ab Henrico VII. Imperatore, anno 1310. & heredibus Theodori de toto Marchionatu, cum ſuis pertinentiis, in feudum, nobile, rectum, gentile, antiquum, auitum, & paternum: in quo feudi

feudi genere constat dictionẽ,[*heredibus,*] intelligendam esse de filiis masculis: diciq́ue tale feudum esse [*ex pacto & prouidentia,*] & consequenter nõ alienabile,ne quidem in descendentes ex fœmina; quippe quos pro extraneis habendos esse constet, cùm non sint de genere ac familia inuestiti, *l. 1. in fin. D. de iur. immunit.*

In feudo recto gentili & antiquo, dictio, *heredibus*, intelligitur de filijs masculis.

Feudum,quod dicitur ex pacto & prouidentia,non potest alienari in descẽdentes ex fœmina, non magis quàm in extraneos.

DEINDE,quæ tertia exceptio est, quia pactum illud de futura successione fuit, quod omni iure & naturali & ciuili prohibitum est, tanquam quod & contra leges sit,& inducat votum captandæ mortis.

Exceptio tertia principalis, Quòd pactum hoc non valeat tanquam prohibitum omni iure, quòd sit de futura successione.

ITEM, quæ quarta exceptio est,quòd ex dicta conuentione nullum ius prædictæ Violandæ tunc absenti quæsitum fuerit; eius verò liberis & heredibus multominùs,nulla præsertim secuta, saltem quæ probata sit, ratihabitione.

Quarta exceptio principalis, Quòd nullum ius potuerit ex eo pacto quæri Violandæ, tùm absenti, nec eius liberis.

QVINTA exceptio est, etiamsi valeret ea dotalis conuentio; non tamen eo magis futurum,vt prodesse vnquam potuerit Sereniſſimo Duci Carolo,quia de solis Theodori liberis,& iam natis,& primi gradus intelligi debeat, quorum respectu dici nequeat condicionem pacti euenisse, cùm Ioannes primus Theodori filius masculus, Theodorum filium reliquerit superstitem & heredem, & Theodorus masculum alium:& sic deinceps per plures gradus, ad Ioannem Georgium vsque,qui vltimus fuit Marchio ex familia Paleologorum, præsertim Carolo vltra septimum gradum constituto.

Quinta exceptio principalis, Quòd pactum nõ possit intelligi nisi de Theodori liberis iam natis & primi gradus: Nec proinde de Carolo Duce Sabaudiæ constituto vltra gradum.

SEXTA & postrema exceptio est, supradictã conuentionem fuisse reuocatam ex concessionibus & inuestituris Imperatorum subsecutis,scilicet Caroli quar-

Sexta & vlti. exceptio principalis, Quòd supradicta cõuentio dotalis fuerit reuocata per concessiones & inuestituras Caro-

li IIII. & aliorum Imperatorum.

ti, Federici tertij, Maximiliani primi, & Caroli quinti, per quas ex certa ſcientia, motu proprio, & de plenitudine poteſtatis factas, derogatum eſt expreſsè omnibus in contrarium facientibus.

De prima exceptione, quæ habet implicitam duplicem quæſtionem, vnam facti; aliam iuris.

PRIMA exceptio habet implicitam duplicem quæſtionem: vnam facti, An Ioannes Raynaudus de Borgeto, qui ſolus inſtrumẽto dotali ſubſcripſit, ſolus quoque rogatus fuerit; an verò ſimul etiam cum eo, Michael de Riccobono & Ioannes Meſtralis æquè Notarij publici, qui in eodem inſtrumento præſentes fuiſſe inueniuntur. Alteram iuris: An inſtrumentum à pluribus Notariis ſimul, nec in ſolidũ expreſſim rogatis receptum, valeat, quamuis non niſi ab vno ex ipſis ſubſcriptum. Aut ſaltem vtrum in dubio ſinguli in ſolidum rogati præſumantur: maximè verò concurrente tam longi temporis decurſu, & in cæteris omnibus extra id de quo quæritur ſubſecuto contractus implemento. Etſi autem duæ ſunt quæſtiones; nobis tamen in alterutra viciſſe ſatis erit: ſiue enim ſolus Ioannes Raynaudus fuerit rogatus, ſiue plures quidem, ſed ſinguli in ſolidum, ſiue pluribus non in ſolidum rogatis, inſtrumentum ab vno tantum ex pluribus Notarijs ſubſcriptum valere probemus, quaſi præſumendum ſit in dubio ſingulos rogatos, vicimus.

Quæſt. facti, An plures Notarij rogati fuerint de inſtrumento dotali: an ſolus ille qui ſubſcripſit.

Quæſt. iuris rurſum duplex. Prima: An valeat inſtrumẽtum ſubſcriptũ ab vno tantum ex plurib. Notariis, ſimul quidem, ſed nõ in ſolidum rogatis.

Secunda: verũ in dubio pluribus Notariis adhibitis, ſinguli in ſolidũ rogati præſumantur; interueniente præſertim temporis antiquitate, & contractus implemento.

Nobis ſufficit ad victoriam in alterutra harum quæſtionũ vincere.

PRIOR quæſtio, quæ facti eſt, aut ex verbis inſtrumenti decidenda eſt, aut ex iuris præſumptione. Nam per teſtes, poſt tam multa decurſa temporum interualla, probari certè non poteſt. Atqui verba inſtrumenti tale nihil exprimunt, quòd tres illi Notarij fuerint omnes rogati: ſic etenim habent:

Prior quæſt. quæ facti eſt, quomodo, & vnde ſit decidenda.

Verba inſtrumenti non exprimunt tres

[*Et me Ioanne Raynaudi de Borgeto Gratianopolitanen-*

politanenſis Diœceſis Imperiali authoritate Notario, qui vnà cum Michaele de Riccobono de Clauaxio, & Joanne Meſtralis, publicis Notarijs, ac teſtibus ſupradictis, ad prædicta omnia præſens fui, hoc inſtrumentum recepi, ſcripſi, ſignaui, & fideliter expediui, rogatus.] Quin potiùs ex his verbis probatur, ſolum Ioannem Raynaudum de eo inſtrumento recipiendo rogatũ fuiſſe. De ſe enim ſolo is loquitur; & in numero ſingulari, non de pluribus, de quibus loquendum fuiſſet in numero plurali, ſi omnes illos Notarios fuiſſe rogatos exprimere voluiſſet. Ac quamuis præcedant verba illa, [*qui vnà cum Michaele à Riccobono, & Ioanne Meſtralis publicis Notarijs, &c.*] non tamen conſequens eſt, vt æquè fuerint illi ſimul rogati. Habent enim ſupradicta verba cum præcedente articulo, *qui*, verbum ad quod terminentur, quodque proximius eſt [*præſens fui:*] Non illa præterea quæ ſunt remotiora, [*hoc inſtrumentũ recepi, ſcripſi, ſignaui, & fideliter expediui, rogatus,*] vt in his ipſis terminis tractat Decius, *conſ. 36. num. 4.* qui non habet contradicentem. Alioqui eodem argumenti genere poſſis inferre Ioannem Raynaudum, vnà cum Michaele de Riccobono & Ioanne Meſtralis publicis Notariis, non tantùm rogatum fuiſſe de inſtrumento recipiendo; ſed etiam vnà cum iis ſcripſiſſe, ſignaſſe, & expediuiſſe inſtrumentum. Quod tamen ex ipſa inſtrumenti inſpectione, reique euidentia manifeſtè falſum eſt. Solus enim Raynaudus ſcripſit, neque tres ſimul in eadem charta ſcribere potuerunt: nec tantum ad Michaelem

Notarios fuiſſe rogatos, qui in dotali inſtrumento nominati ſunt.

Solus Io. Raynaudus, qui ſubſcripſit, rogatus fuit, non cæteri.

Reſponſio ad verba præcedentia quæ de aliis Notariis loquuntur.

Quomodo cõſtruenda ſint verba inſtrumenti, quæ aduerſarios fefellerunt.

Decij conſiliũ 36. *num.* 4. in terminis.

Ab abſurdo.

chaelem de Riccobono & Ioánem Meſtralem ea conſecutio pertineret, vt omnes ſimul inſtrumentum ſcripſiſſe dicerentur; ſed etiam ad teſtes omnes in eo inſtrumento adhibitos, cùm de iis ſimul, ac de Notariis illis coniunctim loquantur verba præcedentia, [*publicis Notarijs, ac teſtibus ſupradictis,*] vt eiuſdem clauſulæ reſpicientis plura determinabilia fiat par.& vniformis determinatio, ex *reg.l. iam hoc iure. 4.de vulg.& pupill.ſubſtit.cum ſimilib.* An non multo conuenientius eſt, vt ad præſentiam omnium & Notariorum illorum, & teſtium ea oratio referatur, quàm ad rogitum, de quo nihil niſi in dictione poſita vltima in fine clauſulæ: Aut ſi etiá de rogitu verba illa omnia intelligere quis velit, erũt vtique neceſſariò intelligenda de eo rogitu, qui nõ minùs teſtibus, quàm Notariis cõueniat, id eſt, de rogitu præſentiæ, cùm etiam Notarij non minus quàm alij quilibet rogari poſſint vt ſint teſtes, *l. Domitius.27.D.qui teſtam.facer.poſſ.* Non etiam de rogitu receptionis & expeditionis inſtrumenti, qui rogitus in ſolos Notarios, non autem in alios teſtes cadere poteſt, qui non æquè ſunt Notarij: longeque aliud eſt, vt ex tribus Notariis dicat vnus, ſe cum aliis & teſtibus præſentem fuiſſe: inſtrumentum verò ſe rogatum recepiſſe, ſignaſſe, & fideliter expediuiſſe, quomodo ſcriptum eſt in eo inſtrumento de quo tractamus: Aut verò, quomodo aduerſarij intelligunt, vnum ex tribus Notariis dicere, ſe cum aliis rogatũ fuiſſe. Quod tantùm abeſt vt ita ſcriptum ſit, vt neque ſcribi potuerit, propter ſubiuncta verba illa, [*ac teſtibus ſupradictis,*] quæ vt diximus ad rogitum ſcribendi, ſignandi, & expe

Clauſula qua nituntur aduerſarij, loquitur cõiunctim de aliis Notariis & teſtibus, qui inſtrumento adfuerunt.

Debet fieri par & vniformis determinatio.

Separãdus eſt rogitus præſentiæ, à rogitu ſtipulationis, & receptionis, atquẽ expeditionis inſtrumenti.

Quãtum intereſſit, an ita ſcriptum ſit quomodo in dotali inſtrumento ſcriptũ eſt an quomodo aduerſarij interpretantur.

& expediendi instrumenti nullo modo referri possunt; ideoque nec interpretationem hanc patiuntur, quam pati possent fortasse commodiùs, licèt non necessariò, si de testibus nihil adiectum fuisset.

ILLVD quoque obseruatione dignum putamus, quod à nemine adhuc obseruatum vidimus, Ioannem Raynaudum, qui subscripsit & se rogatum dicit, fuisse Imperiali dignitate Notarium: alios verò non nisi publicos dici Notarios, ex alterius scilicet inferioris Principis authoritate, quos proinde credibile non est simul cum Raynaudo rogatos fuisse; sed adhibitos potiùs ex vtraque parte contrahentium, vt dictando instrumento darent operam ac prouiderent, ne quid ex debitis & necessariis clausulis omitteretur. In contractu enim tanti momenti, & inter tantos Principes celebrato, magis decebat adhiberi Notarium, qui authoritate Imperiali esset Notarius, quàm alios minoris dignitatis, licet publicos Notarios, quos nec in honoris & laboris societatem cum Notario Imperiali adsciri satis conueniens fuisset. Atque hunc sanè germanum & verum clausulæ huius sensum esse arbitror, vt solus Ioannes Raynaudus, tanquam dignior, &, vt credibile est, peritior Notarius rogatus sit de instrumento recipiendo, signando & expediendo: Cæteri autem duo Notarij publici vnà cum eo interuenerint, non tanquam Notarij rogati, licet etiam stipulantes; sed tanquam testes potiùs, qui tamen arte sua & peritia Notarium recipientem iuuare potuerint, & contrahentium vtilitati prospicere.

Ioannes Raynaudus, qui solus subscripsit, fuit Imperiali authoritate Notarius, non etiam cæteri.

Cur adhibiti fuerint tam multi Notarij.

Cur Raynaudus solus fuerit rogatus de recipiendo, scribendo, & expediendo huiusmodi dotali instrumento.

APPARET igitur ex verbis instrumenti, si benè ponderentur, solum Ioannem Raynaudum de eo in-

ſtrumento recipiendo,ſcribendo, & expediendo rogatum fuiſſe ; tantum abeſt vt ex eo probari poſſit, fuiſſe tres Notarios ſimul rogatos. Enimuerò etiamſi de hoc minùs apertè conſtaret, & tota hæc facti quæſtio dubia relinqueretur, quidni tamen in dubio præſumamus potiùs omnia ſolemniter acta,ſolumque rogatum eum fuiſſe, qui ſolus ſubſcripſit, vt de fide inſtrumenti minùs detrahatur ; Quàm quod volunt & diuinant aduerſarij,rogatos ſimul omnes fuiſſe,vt ob non additam omnium ſubſcriptionem inſtrumenti fides conuellatur ? Repugnant certè vulgares iuris regulæ, quæ & in dubio eam ſemper capi volunt interpretationem, per quam actus ſuſtineatur potiùs quàm pereat,*l.quoties.80. de verb.oblig.l.quoties.12.D. de reb.dub.* & ex antiquitate tanti temporis, quod trecentorum ferè annorum memoriam excedit, omnes ſolemnitates præſumi etiã extrinſecas, qualis eſt de qua diſputamus, *l.ſciendum. 36. vbi Bart.& alij notant,præſertim Iaſ.D. de verb. obligat. idem Iaſ.conſ.120.num.1.vol.1.& conſ.65.vol.3.& ad l.admonendi.num.244.D.de iureiur.Crauet. conſ.274. num. 4.& 5.Dec.conſ.13.num.8.& conſ.341. num 13. & conſ.409.* Malignamque hanc interpretationem prudentes noſtri benè vocant,per quam id agitur,vt actus, qui alioquin valere poſſet,inutilis fiat,*l.ſi ita ſtipulatus.126.§. Chriſogonus,verſ.Neque enim malignè accipiẽdum eſt,eod.tit.* Et verò, quemadmodum ſola tam longi & immemorialis temporis antiquitas facit, vt quamuis inſtrumenti facti tempore probari potuiſſet per teſtes inſtrumentarios,aut alios, ſolum Ioannem Raynaudum de eo recipiendo & expediendo rogatum fuiſſe ; probari tamen id hodie non poſſit, extinctis iam inde à tanto tempore omni

In dubio præſumendum eſt omnia ſolemniter acta.

Ea ſemper capienda eſt interpretatio,per quam actus ſuſtineatur.

Ex antiquitate tãti temporis omnes ſolemnitates etiã extrinſecæ præſumuntur.

Maligna interpretatio eſt, per quam fit vt actus pereat.

Antiquitas tẽporis illa eſt, quæ facit ne per teſtes, aut aliter probari hodie poſſit ſolũ Raynaudũ, qui ſolus ſubſcripſit, rogatũ fuiſſe de inſtrumento recipiendo.

re omnibus qui tum adfuerant, *l. in lege Aquilia. 40. D. ad leg. Aquil.* ne quidem per auditum, & eo modo quo immemorialia pleraque probari ſolent, *l. ſi arbiter. 28. D. de probat.* Æquiſſimum eſt ſanè, ac rationi adprimè conſentaneum, vt omnes hi probationum defectus, quos temporis antiquitas parit, eiuſdem antiquitatis authoritate ſuppleantur: vt hîc quoque Ouidianum illud vſurpare liceat:

Antiquitas debet ſupplere omnes defectus, quos ipſa parit.

Vulnus Achillæo quod quondam fecerat hoſti,
Vulneris auxilium Pelias haſta tulit.

Atque hæc quidem circa priorem huius articuli quæſtionem, quæ tota in facto conſiſtit, dixiſſe ſufficiat.

ALIA quæſtio quæ iuris eſt: An pluribus adhibitis ad inſtrumentum aliquod recipiendum Notariis, quos omnes rogatos eſſe conſtet, ſinguli in ſolidum rogati fuiſſe credendi ſint, vt ſubſcriptio & expeditio ab vno ex iis facta valeat? An verò omnes ſimul, vt ab omnibus quoque ſimul ſubſcriptionem & expeditionem factam eſſe oporteat, faciliorem habet tractatum. Clarum enim eſt, in dubio præſumendum eſſe ſingulos in ſolidum rogatos fuiſſe, vt inſtrumentum valeat, & probet, quod alioqui nec valeret, nec probaret. Quæ Decij ſententia eſt, *dict. conſ. 36.* communiter à cæteris omnibus adprobata, vt vix habeat contradicentem: niſi cùm ex inſtrumenti verbis apparet omnes ſimul rogatos fuiſſe, vt in eo caſu, de quo reſpondit Alex. *conſ. 124. lib. 7.* & in ſpecie illa, de qua in noſtro Codice, *defin. 1. de fid. inſtrum.* Nam ſicuti ex eo quòd quis tanquam Notarius inſtrumentum aliquod receperit, rogatus præſumendus eſt, vt reſpondit Alex. *conſ. 93. num. 7. vol. 1.*

Quæſtio iuris: An plures Notarij præſumẽdi ſint rogati ſinguli in ſolidum.

Plures Notarij adhibiti præſumendi ſunt ſinguli in ſolidum rogati.

Niſi cũ ex inſtrumenti verbis apparet omnes ſimul rogatos fuiſſe.

per text. cum gloss. in l. 1. C. de vsur. ita & quamuis plures Notarij & adhibiti & rogati proponantur ; præsumendum tamen est si ex iis solus vnus subscripserit, solum quoque illum subscribere potuisse, id est, in necessarium antecedens rogatum illum in solidum fuisse; quia semper pro Tabellione præsumẽdum est, quòd in officio non deliquerit. Idem Dec. *cons. 653. num. 5.* longeque facilius est, vt cùm plures Notarij rogati sunt, singuli in solidum rogati præsumantur, quàm vt rogitus ipse præsumatur; qui tamen in dubio, vt diximus, maximè autem in antiquis, præsumitur. Hoc enim posteriore casu præsumitur, aut potiùs suppletur substantia ipsa rogitus. Priore verò non nisi qualitas & accidens quoddam eius substantiæ. Est autem multo facilius & tolerabilius, vt qualitas aliqua, quàm vt ipsa facti veritas & substantia suppleatur, *d. l. sciendum. 30. de verb. oblig. l. heredes palam. 21. §. 1. ibi: Nihil enim nũc dat, sed datum significat. D. qui testam. facere poss.* Et verò quemadmodum iam in præcedentibus disputauimus, cur in dubio malignam illam interpretationem capiamus, per quam fiat vt tanti instrumenti fides corruat, & negotij inter tantos Principes gesti veritas collabatur? *d. l. quoties. 80. & l. si ita. 126. §. Chrisogonus. de verb. oblig. l. quoties. 12. de reb. dub.* Præsertim cùm nemo dubitet; quin Notarij plures ad aliquem actum adhibiti, tantam singuli authoritatem habeant, quantam omnes simul ad fidem instrumento dandam. Nisi cùm expresè dictum, aut saltem actum probatur, vt ab omnib. simul instrumentum recipi & expediri oporteat: aut cùm ex lege municipali, vt Lutetiæ Parisiorum, & aliis quampluribus locis, ea solemnitas præscripta est de duobus adhibendis No

Pro Tabellione præsumẽdũ semper est, quòd in officio nõ deliquerit.

In dubio, maximè in antiquis, Notarius rogatus præsumitur : multo magis rogatus quilque in solidũ, cùm plures rogati sunt, & quare.

Plures Notarij adhibiti tãtam singuli habẽt authoritatem, quantam omnes simul.

dis Notariis, ad euitandas falsitates. Cur ergo requiramus plurium Notariorum subscriptionem ad validitatem instrumenti, cùm vnius possit sufficere? An nõ hoc esset probationum vim cõstringere, quarum è contrario fauor efficit, vt debeant potiùs ampliari? *l. vlt. §. si verò quis, C. de Episcop. audient. l. vlt. §. licentia. C. de iur. delib. l. inquisitio. 18. C. de solut.* Aperta siquidem & reperta veritas finem & terminum disceptationis facit, *l. cùm seruum. 6. C. de seru. fugit.* quo fauorabilius dici nihil potest, *l. fratris. 10. C. de transact.* Hinc nimirum tot in toto iure nostro inductæ præsumptiones, vt deficientibus probationibus suppetias ferrent, earumque quodammodò vice fungerentur, quantum salua clariore veritatis probatione fieri posset, *l. si Chirographum. 24. cum l. seq. l. Imperatores. 29. §. 1. D. de probat.* Nec respõderi potest, contrahentium, qui plures Notarios non sine causa adhibuerunt, voluntatẽ seruandam esse; ne quid ex solemnitate detrahatur, quam necessariam esse voluerunt. Non enim bona consecutio est, vt tùm quoque cùm plures Notarij adhibiti sunt, necessariam omnium subscriptionem esse voluerint ad validitatem actus; sed id potiùs animo eos agitasse credibile est, vt pluribus Notariis interuenientibus, etiam qui omnes rogati essent, certior rei gestæ probatio in futuram hominum memoriam extenderetur: si contingeret, quod plerumque fit, vt vnius ex Notariis protocolla deperderẽtur, alterius verò conseruarentur. Quemadmodum solemus dicere, Non quoties contractus scribitur dicẽdum statim esse contractum in scriptis initum fuisse; sed tùm demùm cùm id actum est, vt contractus in scriptis fieret. Alioqui adhibitam videri scripturam magis ad fu-

De cõsuetudine adhibendorum plurium Notariorũ, ad euitandas falsitates.

Probationes ampliãdæ sunt potiùs, quàm cõstringendæ.

Cur iure nostro inductæ sint & comparatæ tot præsumptiones.

Non semper adhibẽtur plures Notarij ad augendam solemnitatẽ instrumenti: sed plerumque ad certiorem rei gestæ probationem.

Non quoties cõtractus scribitur, fieri dicitur in scriptis.

turam rei memoriam & probationem, quàm ad augendam contractus ſolemnitatem, *l. contrahitur. 4. D. de pignor. l. vlt. D. de fid. inſtrum.* Nam neque facilè credendi ſunt contrahentes ſuperuacuis ſolemnitatibus onerare ſe voluiſſe, vt nec vnquam onere aliquo ſuperuacuo ſunt prægrauandi, *l. hæc ſtipulatio. 14. §. 1. vt legat. ſeu fideic. ſeru. cauſ. caueat.* neque eam ſcribendi inſtrumenti viam elegiſſe, per quam eorum iudicia & voluntates ſubuerterentur, *arg. l. 3. D. de teſtam. milit.* Ne aliter poſito iure eueniat, vt inducta ad vnum finem, cõſeruandi ſcilicet ſcripturã & memoriam inſtrumenti, contrarium effectum & euentum operentur, cõtra *l. legata inutiliter. 19. de legat. 1. l. legata. 14. de adim. legat. l. in ratione. 30. §. tametſi. D. ad l. Falcid. l. nulla. 25. D. de legib. l. quod fauore. 6. C. eod.* Facit diſtinctio Bart. cõmuniter adprobata, *in l. 1. §. ſi plures. D. de exercito. act.* vbi dicit, quoties plures ſunt, quorum officium authoritate publicum eſt, & officij adminiſtratio ordinaria, poſſe ſingulos, perinde ac omnes ſimul, officium illud exercere, *Dec. poſt Abbat. in c. prudentiam, col. 2. verſ. ſecunda concluſio, de offic. deleg.* Notariorum enim officium tale eſt, publicum ſcilicet authoritate, licèt ſit vtilitate priuatum, *l. 1. & l. generali. vbi not. C. de tabell. libr. 10. & l. non aliter. D. de adopt. c. 2. vbi Canoniſt. de fid. inſtrum. Bald. in l. 1. col. 4. C. per quas perſon. nob. acquiri.* Et habent Notarij quandam veluti iuriſdictionem ordinariam, ita vt etiam [Chartularij Iudices] dicantur, *Gloſ. & DD. in l. 1. in verb. qui tribunali, in fin. de iudic. Alex. conſ. 92. num. 3. vol. 7. Guill. Bened. in cap. Raynutius in verb. mortuo, 1. num. 419. poſt alios ibi relatos.*

Nõ facilè credendi ſunt cõtrahẽtes ſuperuacuis ſolemnitatib. ſe onerare voluiſſe.

Inducta ad vnũ finem non debent contrariũ effectum operari.

Notariorum officiũ publicum eſt authoritate, licèt ſit vtilitate priuatum.

Habent Notarij iuriſdictionem quandam ordinariam, & dicuntur etiam Chartularij Iudices.

INDE eſt, quòd ſi quis plura eiuſdem teſtamenti ſui non exempla, ſed exemplaria, quæ noſtri [Originalia]

Applicatio *l. vlt. D. de his quæ in teſtam. delent.*

nalia] vocant, ſcripſerit, & ſolemniter compleuerit, & vnas tabulas in publico depoſitas poſtea abſtulerit, atque deleuerit: non eo magis tamen quæ iure geſta ſunt irrita conſtituuntur, cùm ex aliis tabulis, quas non abſtulit, res geſta declaretur, inquit Papinianus, *in l. vlt. D. de his quæ in teſtam. delent.* Nam heredes legitimi probent aliam fuiſſe teſtantis mentem, vt ſcilicet inteſtatus moreretur, & ſcriptis heredibus auocaret hereditatem, vt ad Papinianum Paulus ibidem notat: cùm tamen magna ratio ſuadere videretur, vt deletũ dici poſſet teſtamentum deletis vnis tabulis, quibus tota teſtamenti ſubſtantia & ſolemnitas cõtinebatur: Nimirum Papiniano ea fortior ratio viſa eſt, vt contrà reſpondere debuerit, quòd deletis vnis tabulis, aliæ ſupereſſent, per quas res geſta declararetur & probaretur. Similiter igitur & in propoſito, cur non dicamus tabulis dotalibus nocere non debere, quòd duo, trésve adhibiti eſſent Notarij, & alter tantum ſubſcripſiſſet? Cùm per vnius Notarij perinde ac per plurium ſubſcriptionem perfici ſolemnitas inſtrumenti poſſit. Eſt enim apta ſatis, vt videtur, horum caſuum comparatio: quandoquidem eadem ferè præcautio eſt teſtatoris ſcribentis teſtamentum duobus exemplaribus, & eius qui duos adhibet Notarios, ſcilicet ne tam facilè voluntatis probatio intercidat. Et tamen in Papiniani ſpecie hoc amplius eſt, quòd factum teſtatoris delentis vnas ex duabus tabulis, magnam præbet coniecturam mutatæ voluntatis: quod non ſimiliter dici de eo poteſt, qui duobus rogatis Notariis, vnius tamen ſubſcriptione contentus eſt. Si ergo Papinianus ea ratione moueri potuit, & debuit, quòd tabulæ deletæ, eſſent ſuperfluæ,

Comparatio huius caſus cũ illo, de quo *in d. l. vlt.*

ſufficiat

ſufficiatque extare adhuc vnas tabulas non deletas, quidni in caſu noſtro dicemus ſufficere ad validitatem dotalis inſtrumenti, ſubſcriptionem vnius Notarij, licèt alius qui de ſubſcribendo rogatus fuerat, non ſubſcripſerit?

Applicatio *l. cùm tabulæ. 7. D. de bonor. poſſeſſ. ſecund. tabul.*

Eôdem ferè pertinet quod à Iuliano ſcriptum eſt, *in l. cùm tabulæ. 7. D. de bonor. poſſ. ſecund. tabul.* cùm tabulæ teſtamenti plurium quàm ſeptem teſtium ſignis ſignatæ eſſent, & quædam ex his non apparent, ſeptem tamen ſigna maneant, ſufficere ad bonorũ poſſeſſionem dandam, ſeptem ſigna comparere, licèt cæterorum non omnium qui ſignauerint maneant ſigna. Nempe quia quicquid ſupra & extra ſeptem ſigna eſt, excedit neceſſariam ſolemnitatem; & quemadmodum non fuit adhibendum necèſſariò, ita nec ſublatum nocet. Idque in omnibus quæ abundant & ſuperuacua ſunt, generale eſt, vt nunquam vitient: non magis ſi deſint, quàm ſi adſint, *ex reg. l. non ſolent. 94. de reg. iur.* ſicuti nec ea quæ dubitationis tollendæ cauſa cõtractibus adiiciuntur, *l. quæ dubitationis. 81. ead. l. pediculis. 32. §. Labeo. de aur. & argent. legat.* Et quemadmodum ſi quis per nũcupationem teſtaturus, eam ſibi legem dicere voluerit, vt decem teſtes adhiberet; tamen ad validitatẽ teſtamenti ſufficiet ſolemnem numerum exaudiſſe, *d. l. heredes palam. 21. §. 1. D. qui teſtam. facer. poſſ.* Ita & in ſolemni teſtamento in ſcriptis dicẽdum eſt, ſi teſtator plura quàm ſeptem teſtium ſigna in teſtamento ſuo adhiberi voluerit, ideò fortaſſe vt certius & ſolemnius teſtaretur, non eò minus valere teſtamentum, vt ſecundum eas tabulas bonorum poſſeſſio peti poſſit: non ſolùm ſi tot ſigna ſint adhibita quot teſtator voluit; quorum tamen aliqua

Solẽnitas quæ non fuit adhibenda neceſſariò, nec omiſſa nocet.

Applicatio *l. heredes palam. 21. §. 1. D. qui teſtam. facer. poſſ.*

aliqua ſic perierint, vt nullo modo appareant, dummodò ſeptem ſuperſint, ſed etiamſi ſupra ſeptem alia nulla ſint adhibita. Quid enim referre poteſt, an adhibita nunquam fuerint: an verò fuerint, ſed eſſe deſierint? Vtroque nimirum caſu verum eſt, ſolemnitatem neceſſariam interueniſſe, quamuis non tanta interuenerit, quantam interuenire teſtator voluerat: tametſi perinde poſſit obiici, teſtatorem non videri ſeptem duntaxat teſtium fidem ſequi voluiſſe, qui decem adhiberi voluit: quomodo nobis obiicitur noluiſſe vnius Notarij fidem ſequi contrahentes, qui duos rogauerunt. Quemadmodum igitur apud Iulianum nihil nocet, quòd deſtinata & præordinata ſolemnitas ad tabularum fidem non interuenerit, quæ non erat neceſſaria: ita & in caſu noſtro, etiamſi admitteremus tres fuiſſe rogatos & adhibitos Notarios; non eò minor tamen fides tabulis dotalibus conſtaret, quòd ab vno tantum ſubſcriptæ ſint, cùm iuris ratio non maiorem ſolemnitatem exigat, quàm vt vnius Notarij ſubſcriptione inſtrumentum muniatur: niſi poneres ita expreſſim dictum conuentumque fuiſſe, vt niſi à duobus Notariis ſubſcriptum fidem nullam faceret, *arg. eorum quæ tractat Bart. de pluribus executoribus, conſ.147. num.2.* In eo ſiquidem teſtamenta differre videntur à contractibus, quòd teſtamenta à legibus duntaxat ſolẽnitatem ſuam accipiunt: Contractus verò, & omnia quæ ad contractuum, ſiue ſubſtantiam, ſiue probationem pertinent, à contrahentibus ipſis legem ſumunt: quoniam in contractibus lex neque iubendo, neque prohibendo ſe interponit; ſed tantùm adprobando: quia non vt teſtamenta, ſic & contractus ſunt iuris publici, & ex legibus

Sufficit ſolemnitatem neceſſariã interueniſſe; quamuis nõ tanta quãtam interuenire teſtator voluerat.

Iuris ſolemnitas vnius Notarij ſubſcriptione contenta eſt.

Elegans differentia inter teſtamẽta & cõtractus.

sed ferè omnes iurisgentium, *l. ex hoc iure. 5. D. de iustit. & iur.* Sed tamen si verum amamus, magis est vt probationum solemnitates, sicut & omnes cæteræ, sint ex iure ciuili & consequenter iuris publici, non minùs si de contractibus, quàm si de testamentis tractetur: Nam idem ius ciuile, quod requirit septem testes in testamentis, duobus contentum est in contractibus, *l. vbi numerus. 22. D. de testib.* quo loco quod scriptum est, [*vbi numerus testium non adiicitur,*] sic intelligi debet, & suppleri, ac si scriptum esset: [*Non adijcitur in lege.*] Proinde quamuis substantia contractus cuiuslibet pendeat à voluntate contrahentium, sicut & substantia testamenti à voluntate testatoris: vtroque tamen casu solemnitas probationis est ex iure ciuili, ob idque nec ampliari, nec restringi per testatorem, aut per contrahentes potest: ne alioqui eueniat, quod esset perabsurdum, vt priuatorum cautiones legum authoritate censeantur, *l. vlt. D. de fuis & legit.* Nec sanè ius gentium vllas habet, aut agnoscit solemnitates, vt fusiùs probauimus in *Chiliade nostra, de error. Pragmat.*

Probationum omniũ solemnitates sunt ex iure ciuili.

Explicatio *l. vbi numerus. 22. D. de testib.*

Solemnitas iuris publici nec ampliari, nec restringi per testatorem, aut per cõtrahentes potest.

Ius gentium nullas habet, nec agnoscit solemnitates.

Ex antiquitate temporis præsumitur mandatum, & quãdo.

ETSI autem generaliter verà sunt quæ diximus; in proposita tamen facti specie tanto veriora sunt, quòd ad supradictas rationes accedit antiquitas temporis supra ducentos annos, ex qua certum est etiam mandatum præsumi; præsertim quoties tale negotium est, quod non sit probabile sine mandato gesturum eum, qui gessit, vt eleganter & notabiliter docet Dec. *dict. cons. 36. num. 8. ex Rot. decis. 3. de caus. propr. & poss.* Reprobata in hoc saltem casu Baldi sententia, qui scripserat *ad l. 2. C. si ex fals. instrumen. Ne quidem per mille annos mandatum præsumi.* Quam & à cæteris Doctoribus

ribus improbatam esse, quasi nullo iure, nullaque ratione fultam, refert, testaturque Boer. *decis. 281. num. 17.* Quis verò credat Ioannem Raynaudum de tanto instrumento, inter tantos Principes recipiendo, rogatum, exscripturum id instrumentum fuisse, & subscripturum solum; si non aut solus, aut saltem in solidum rogatus fuisset? Quis sibi persuadeat in re tanti momenti voluisse illum facere actum inutilem & illusorium? Aut ipsos etiam Principes, ea instrumenti expeditione contentos esse potuisse, quam scirent per defectum subscriptionis aliorum Notariorum inutilem fore, ac nullius ad faciendam fidem ponderis? Illud igitur mandatum de instrumento per singulos Notarios rogatos, & in solidum expediendo, præsumendum omninò est, vel ex sola ipsa temporis antiquitate.

Non est verisimile Raynaudum Notariũ, cũ excepit instrumẽtũ, scripsit & subscripsit solus, voluisse facere actum inutilẽ.

DE quo ne dubitari possit, illud etiam facit, quòd in actis productum fuit aliud instrumentum, datum ad diem 16. Septemb. *1332.* quo continetur, dictum Aymonem Comitem Sabaudiæ donasse propter nuptias Violandæ suæ futuræ vxori summam triginta millium aureorum, & pro ipsis Prouinciam Maurianensem pignori obligasse. Quod instrumentum per eundem Ioannem Raynaudi receptum legitur: in eóque facta expressa & specialis mentio supradicti instrumenti dotalis, quasi per dictum Io. Raynaudi solum & in solidum recepti, nulla cæterorum Notariorum, qui interfuerant, adiecta commemoratione. Cur enim de se solo dixisset, si non aut solus, aut in solidum de eo instrumento dotali recipiendo rogatus fuisset? Verba siquidem enunciatiua in antiquis probant, non tantùm inter easdem partes; sed etiam inter alias, *ex notat. per*

Verba enũciatiua Notarij attestantis de alio instrumẽto per se recepto, probãt inter easdẽ partes, maximè in antiquis.

Verba enunciatiua probãt in antiquis, etiã inter alias partes.

DD. in l. optimam. D. de contrab. & committ. ſtipul. & in l. cùm aliquis. C. de iur. delib. Crauet. *latiſſimè de antiq. tempor. part. 1.* quanto magis eodem Notario inter eaſdem partes de ſeipſo ſolo enunciante aliquid & atteſtante? Notario enim aliquid aſſerenti, maximè quod ſit de ipſius facto, credendum omninò eſt, cùm dicit ſe rogatum: Bart. Angel. Alex. & cæteri *ad d. l. ſciendũ. 30. de verb. oblig.* & conſequenter cùm dicit ſe ſolum rogatum. Nec enim maior ratio eſt, vt in hoc minùs ei, quàm in illo credatur.

Notario aliquid aſſerenti de ſuo præſertim facto, credendũ eſt, cùm dicit ſe rogatum.

ACCEDIT, quòd de alio inſtrumento dotali nullo apparet, quod inter dictum Comitem Aymonem, & dictam Violandam celebratum ſit, cùm tamen dici non poſſit, aut nullum præceſſiſſe (quandoquidem apparet de contrario per ſubſecutum inſtrumentum ſupradictum de anno *1532.* nec veriſimile eſt à communiter accidentibus, inter Principes contractum fuiſſe ſine tabulis matrimonium, §. *quia verò, Nouell. quib. mod. natur. efficit. legit. &* §. *nec quoniam, vt liceat matr. & auiæ*) aut aliud inſtrumentum præceſſiſſe, quàm quod exhibetur. Nec enim pluralitas inſtrumentorum præſumitur, vt neque perſonarum: Bald. & poſt eum cæteri *ad l. 2. C. de error. Aduoc.* Alex. *conſ. 16. num. 30. vol. 6.* Præſertim verò inſtrumentorum, quæ vno & eodem die facta dicantur, vt in propoſita ſpecie: ne alioqui aut poſterius fruſtra factum eſſe dicendum ſit, aut incontinenti, tamque citò mutatam eſſe voluntatem, aut correctam, contra *l. non ad ea. 89. de condicio. & demonſtr.*

Inſtrumentorũ pluralitas non præſumitur.

HÎC verò etiam illud amplius eſt, quòd omnia quæ in dicto inſtrumento dotali continentur, cuius fidem aduer

Ex ſecuto effectu, probatur veritas inſtrumenti.

aduerſarij in dubium reuocant, effectum ſuum habuiſſe & executioni mandata pleniſſimè fuiſſe conſtat. Nec aduerſarij ipſi poſſunt diffiteri, non ob id ſolùm, quòd ſecutum fuerit matrimonium inter dictum Aymonem Comitem Sabaudiæ, & Violandam filiam Theodori; ſed in eo etiam, quòd à contracti eius matrimonij tempore, dicti coniuges, eorumque ſucceſſores omnes, primùm Comites, deinde Duces Sabaudiæ vſque in hodiernum diem tenuerunt & poſſederunt pleno iure tria illa oppida Ciriaci, Lancei, & Caſellarum, quæ in dotem data à Theodoro fuiſſe in controuerſo dotali inſtrumento ſcriptum eſt: multaque priuilegia dictorum locorum habitatoribus conceſſerunt, vt ex productione in actis facta conſtat. Quod non alio iure in dubio credendum eſt factum eſſe, quàm ex cauſa illa dotis, & ex vi ac poteſtate dicti dotalis inſtrumenti, cùm de alio nullo appareat. Præſumendus enim eſt quilibet poſſediſſe potiùs iuſtè, quàm iniuſtè, & ſuo nomine potiùs quàm alieno; & denique ex cauſa tituli præcedentis, *vulg. l. quædam mulier. 77. D. de rei vindic. l. 2. C. de acquir. poſſ.* Alciat. *de præſumpt. reg. 2. c. 23. & ſeq.* Nullaque fortior rerum geſtarum probatio eſt, ad validandum inſtrumentum, de cuius fide dubitatur, quàm quæ ex ſubſecutis effectibus deducitur, & ex obſeruantia pactorum, vt latè poſt Cinum, Baldum, & alios tractat Crauet. *conſ. 65. num. 10. conſ. 158. num. 1. & 2. & conſ. 274. num. 7.* Thom. Grammat. *deciſ. 106. num. 8. & ſeq.*

Sereniſſ. Duces Sabaudiæ, tanquam ſucceſſores Aymonis Comitis poſſederunt in hodiernum vſque diē, caſtra Ciriaci, Lācei, & Caſellarum, tanquam dotalia, ex ſupradicto inſtrumento dotali.

Præſumendus eſt quilibet poſſediſſe iuſtè, & ex cauſa tituli præcedētis.

Nulla eſt fortior probatio ad validandam fidē inſtrumēti, quā ex ſubſecuta obſeruatione pactorū.

VANA enim, ne dicam ridicula, eſt obiectio illa, quæ fit ab aduerſariis, quòd ea inſtrumenti clauſula, quæ pactum hoc continet, de quo nunc diſputamus, nunquam executioni mandata fuerit, cùm fieri non

Reſponſio ad obiectionē aduerſariorū, De nō ſecuto effectu pacti condicionalis ante condicionis euentum.

potuerit, vt executioni mãdaretur, antequàm condicio ipſius exiſteret: quæ porrò non extitit ante mortem Io. Georgij vltimi Marchionis ex familia Paleologorum ſine liberis defuncti: quo demùm tempore cœpit Dux Carolus contra Margaretam neptem ex fratre dicti Io. Georgij agere ex pacto illo dotali, tanquam cuius condicio impleta tunc, & (vt loquuntur) purificata fuiſſet.

Sufficit ad probandam fidem inſtrumẽti dotalis, de quo agimus, quòd habuerit effectum quantum ad pacta pura, licèt non quãtum ad condicionalia, ante euentum condicionis.

Sufficit ergo vt inſtrumentum, cuius fides in controuerſiam adducitur, effectum ſuum pleniſſimum habuerit in omnibus iis in quibus habere iure potuit. Nec illud etiam exigendum eſt, quòd iuris ratio non admittit, vt pacta condicionalia in eo appoſita, executioni mandata ſint ante impletam condicionem, quo tempore impleri nec à volentibus potuiſſent, *l. ſtipulatio iſta. 38. §. inter. D. de verb. oblig. l. ſub condicione. 16. D. de condict. indeb. l. Iulianus. 59. §. 1. eod.*

Ad aliam obiectionem: De conſuetudine Principũ plures Notarios adhibentium, ſi quando inuicẽ contrahant, vt ſibi conſulant aduerſus mutuam ſuſpicionem fraudis.

De Principib. Inuicem contrahentibus nõ poteſt capi ſuſpicio fraudis.

QVOD autem de Principum conſuetudine allegatur, quaſi ſoleant Principes, cùm plures ſimul contrahunt, ſuum quiſque Notarium rogare, & ita duos adhibere, ne vnus, inquiunt, alium poſſit fraudare, multo alienius eſt. Quis enim de Principibus credat inuicem contrahẽtibus, cogitare illos de fraude aliqua vel comminiſcenda, vel propulſanda? Cum è contrariò dici ſoleat: Ex ſola præſentia Principis, etiam inter alios contrahẽtes, purgari, tollíque omnem ſuſpicionem fraudis, doli, & metus: quod enim fit coram Principe, toto iure teſte fieri intelligitur, *l. omnium. 19. in illis verbis, [Qui nobis mediis, & toto iure teſte ſuccedit,] C. de teſtam.*

Probatur conſuetudo contraria eorundẽ Principum, ex aliis inſtrumẽ-

TANTVMQVE abeſt, vt allegata conſuetudo probata ſit, quam nos negamus, vt appareat potiùs de contraria, per productionem in actis factam inſtrumenti, quod idem

idem Theodorus Paleologus paulò ante fecerat cum Philippo de Sabaudia, Principe Achaiæ, vaſallo Aymonis Comitis Sabaudiæ, anno 1325. in quo inſtrumento eadem ferè pactio continetur, quæ in dotali, cuius fidem tuemur: & quod tamen ab vnico Notario Franciſco Naſaporis ſubſcriptum & expeditum legitur. Sed & in poſteriore illo inſtrumento, de quo iam diximus, continente donationem propter nuptias triginta millium aureorum, factam per Aymonem ipſum Comitem Sabaudię coniugi futuræ Violandæ filiæ Theodori, in conſequentiam eiuſdem dotalis inſtrumenti, anno 1532. ſolus idem ille Io. Raynaudus, qui dotale receperat, de hoc quoque recipiendo rogatus fuit. Vt proinde, ſi ex aliquot actibus probari poſſit conſuetudo, quæ in familia aliqua ſit inducta, dicendum potiùs ſit, eam fuiſſe conſuetudinem tam Aymonis Comitis, quàm Theodori Marchionis, vt ſi quando contraherent, vnũ duntaxat Notarium adhiberent. Neque verò vllorum contrahentium minùs intereſt, quàm Principum, vt plures Notarij adhibeantur, ſiue quòd nunquam credendi ſint contraxiſſe niſi ex conſilio Iuriſperitorum & Conſiliariorum, quos tam multos, tamque peritos habere ſolent, ad quorum curam potiùs, quàm ad Notarios pertinet, vt videant quibúſnam verbis & formulis conceptum ſit inſtrumentum, ne quid in Principis ſui fraudem & captionem fiat: ſiue quòd neque verendum habeant, ne facilius deperdatur inſtrumentum, quod ab vno tantum Notario exceptum fuerit: cùm ſoleant inſtrumenta omnia, quæ de Principum negotiis conſcribuntur, in tutioribus & ſecretioribus locis recondi, quæ Latini [Tabularia,] vulgò [Archiuia] vocant,

tis inter eoſd: factis, & in lite productis.

Aliud inſtrumentum inter eaſdem partes, in quo ſolus Raynaudus reperitur rogatus.

Minùs intereſt Principum, quàm aliorum priuatorum, vt plures Notarij in eorum contractibus adhibeãtur. Et quare.

cant,vbi perire vix vnquam poſſint: & ſi quo caſu perirent,vtique perinde id accideret multis in inſtrumento adhibitis Notariis, atque ſi vnus tantùm fuiſſet: quod non ſimiliter in priuatorum contractibus & inſtrumentis contingit.

Non eſt veriſimile digniori marito minorem dotem fuiſſe datam,quàm quæ priori minùs digno promiſſa fuerat.

SED & obſeruatione præcipua dignum eſt,quod in eo inſtrumento per Franciſcum Naſaporis Notarium recepto,de anno 1325.legitur,eundem Theodorum,cùm de filia ſua Philippo de Sabaudia vxore tradenda cogitaret, ſimilem ferè conuentionem cum eo iniiſſe,vt deficientibus maſculis Theodori, Marchionatus Montiſferrati ad Philippum Principem Achaiæ, eiúſque maſculos ſucceſſores perueniret, aſſignata fœminis dote competente. Hoc enim admiſſo, de quo dubitari non poteſt, cùm de inſtrumento conſtet, in publica & authentica forma producto, quis credat Theodorum, mutato in peius conſilio, minorem dotem eidem filiæ nubenti maiori Principi offerre & conſtituere voluiſſe? Aut Aymonem Comitem Sabaudiæ minore illa dote contentum eſſe potuiſſe, qua Philippus de Sabaudia, Princeps quidem Achaiæ,ſed Comitis vaſallus,contentus eſſe noluiſſet?Illud ſi quidem tritum eſt, Ex comparatione dignitatis mariti,dotem maiorem, minorémve conſtitui debere,*l.quæro.60.l.cùm poſt.69.§.gener.D.de iur. dot. l.ſi filiæ.43.de legat.3.* Rurſum id, quod non eſt veriſimile habere imaginem quandam & ſpeciem falſitatis,vt Baldus dicere ſolebat,*ex l.vlt.D.quod met.cauſ.* ex qua lege,aliiſque ſimilibus penè innumeris, ſolent noſtri probare, fortiſſimum eſſe in iure argumẽtum,quod à veriſimilibus deducitur. Quod ergo veriſimile eſt, quidni in dubio habeamus pro vero? Idem illud pactum

Ex comparatione dignitatis mariti, maior, minórve dos conſtitui debet.

ctum dotale, quod in fauorem Philippi de Sabaudia Principis Achaiæ conuentum fuerat, multo magis, multóque æquius ab eodem patre eiuſdem filiæ nomine, quæ potentiori & digniori Principi tradebatur retentũ & conſeruatum fuiſſe? Nam & conuentiones in vno contractu dotali appoſitæ, facile in poſteriore contractu æquè dotali repetitæ præſumuntur, *l. dotem. 30. D. de iur. dot.* Bart. *latè in quæſt. 7. incip. mulier amplum habens patrimonium.*

TACEO, quod ex actis liquidè apparet, factas eſſe duas productiones dicti dotalis inſtrumenti antequàm de ſubſcriptionis defectu, déque fide probatoria quicquam oppoſitum ſit. Quæ res efficit, vt ſecuta ex interuallo huiuſmodi oppoſitio non fuerit admittenda, tanquàm ſeriùs & intempeſtiuè facta: non ſolùm iuxta formam ſtatuti Sabaudici, cui hac parte ſimilia pleraque ſunt in Italia, & quo expreſſim cautum eſt, vt intra primam dilationem tales oppoſitiones fieri oporteat: alioqui poſtea nũquam admittatur: ſed etiam ex iuris communis ratione, quæ facit vt quiſquis exhibitum ab aduerſario inſtrumentum admittit, nec ſtatim impugnat, hoc ipſo videatur inſtrumenti fidem agnouiſſe, & pro publico atque authentico illud approbaſſe: Alex. *conſ. 18. in. 4. vol. 6.* Io. Crotus *conſ. 210. num. 11. & ſeqq.*

Non poteſt impugnari fides inſtrumenti, quæ non fuit impugnata intra dilationem primam, à quo tempore exhibitum, & productum fuit.

Intra primam dilationem opponendum eſt cõtra formam extrinſecã inſtrumenti.

POSTREMÒ, ſola temporis tam longi antiquitas poteſt ſufficere ad totam hanc dubitationem excludendam, non illa ſolùm ratione quam attigimus in præcedentibus, Quod etiamſi tres illos Notarios omnes rogatos fuiſſe conſtaret, in dubio tamen præſumendi eſſent ſinguli rogati in ſolidum ad validitatem inſtrumenti: pro quo etiam ſemper in dubio præſumendum eſt, *ex notat.*

Sola temporis antiquitas ſufficit ad tuẽdam fidem inſtrumenti, & ad defectus omnes ipſius, etiã oculares, purgandos.

In dubio præ-

sumendum est pro instrumento.

per Bart. & alios communiter ad l. 1. §. vlt. D. de oper. noui nunciat. sed illa etiam, quæ omnium maxima & præcipua est, quòd tanta sit antiquitatis potestas & authoritas, vt instrumentorum omnium defectus omnes purget, etiam eos qui ex ipsa instrumenti oculari inspectione apparent. Sic enim Mascardus ex communiore traditione interpretum, *concluſ. 108. de probat.* post Felin. Anchar. & alios.

Antiquitas purgat omnes defectus, qui ex ipsa etiam oculari inspectione instrumenti apparet.

EADEM ratio facit, vt de inuestitura & concessione Imperatoris Ottonis facta Aledramo primo Marchioni Montisferrati, multo minùs dubitari possit, licèt ad eam probandam exempla tantùm hucusque producta sint, cùm & plura sint & antiqua omnia, & ex iis quædam vetustissima, quæ sine dubio probant plenissimè; tametsi non appareret sumpta ea fuisse parte vocata. Quinimò etiamsi appareret de contrario ex supradicta Mascardi conclusione, iunctis iis quæ tractat Alex. *conſ. 101. num. 7. & 8. vol. 7.* Ias. *ad auth. ſi quis in aliquo. C. de edend. col. 3. verſic. 9.* Crauet. *latiſſ. in tract. de antiq. tempor. part. 3. num. 21. & ſeqq.* & post eum Didac. Couarr. *Pract. quæſt. c. 2. num. 26. verſic. ſed & propter antiquitatem.*

De instrumẽto inuestituræ & conceptionis factæ per Imp. Ottonem in fauorẽ Aledrami I. Marchionis Montisferrati.

ITAQVE quod obiicitur, De defectu testium: De non expresso loco loci: De errore in nomine vxoris Ottonis, quasi debuerit in instrumẽto scribi *Adelaidæ*, nõ vt scriptum est, *Adlegidæ:* Itémq; in anno imperij Ottonis: Et denique quòd non appareat Ambrosium Canjellarium, qui tanquam Notarius de ea inuestitura recipienda rogatus fuit, Notarium fuisse eo tempore, aut in quasi possessione notariatus; vt nec eos qui exempla sumpserunt. Hæc, inquam, omnia, & si qua alia sunt huius generis, præterquàm quòd ab iis qui antè nos

Variæ obiectiones Mantuanorum contra inuestituram Ottonianam, quàm futiles & leues.

scripse

ſcripſerũt, pluribus confutata fuerunt, adeò ieiuna ſunt, ne dicam puerilia, vt digna videri debeant, quæ ſilentio magis, quàm ratione refellantur. Præſertim cùm ea conceſſio & inueſtitura Ottonis primi conſentientem habeat omnium Hiſtoricorum fidem: maximè verò hiſtoriam Beneuenuti à ſancto Georgio, Præſidis Marchionatus, & quæ ex parte ſereniſſimi Ducis Mantuæ producta fuit. In qua Beneuenuti hiſtoria non tantùm fit mentio huius conceſſionis; ſed etiam totus eius tenor deſcribitur, & iiſdem omninò verbis conceptus legitur, quibus in exemplis productis; vt proinde dubitari non poſſit quin & exẽplo & hiſtoriæ fidem adhiberi oporteat, *ex notat. per Bart. & alios in l. 1. D. de reb. credit.* Præcipuè contra producentem, *vulg. l. cùm precum. C. de liber. cauſ. Gloſ. Bald. Alex. & alij ad l. 1 §. editiones. D. de edend.* Nec ſanè leuis aut temeraria ſuſpicio eſt, tot tantóſque Iureconſultos, quot & quanti fuerunt qui pro Ducibus Mantuæ ſcripſerunt, in his leuioribus obiectionibus ad horum inſtrumẽtorum fidem labefactandam tamdiu, tantáque pertinacia immoratos, præuidiſſe ſatis, id quod res eſt, nullas eis ſuperfuturas exceptiones in principali negotio, ſi cogerentur fateri, quod ab inuitis extorquebit veritas, inſtrumentis noſtris, quibus Sereniſſimi Sabaudiæ Ducis intentio nititur, publicam fidem conſtare. Eſtque indigna prorſus tantis Principibus hæc quæſtio de inſtrumentorum tam antiquorum fide probatoria, & ex poſterioribus quoque inueſtituris enuntiatiuè probata: cùm ad Principum dignitatem maximè pertineat, vt nihil ab iis, aut pro iis, niſi ex bona fide dicatur: Cui certè non conuenit de huiuſmodi apicibus, non tam iuris quàm iniurioſæ &

Ottonis conceſſionem probãt omnes Hiſtorici, præſertim Beneuenutus à S. Georgio, qui fuit Mantuanus, & Præſes Marchionatus.

Hiſtoriæ fidem adhiberi oportet.

Indigna tantis Principibus eſt hæc quæſtio de inſtrumentorum dotalĩ tam antiquorum fide.

litigiosæ tergiuersationis disputare, *l. si fideiussor. 29. ff. quædam, D. mandat.* Nec alia concessio & inuestitura vlla Marchionatus proferatur, ad quam referri possit quod de præcedenti concessione scriptum legimus in posterioribus inuestituris. Nam neque concessionum, aut instrumentorum pluralitas vnquam præsumitur: Crauet. *cons. 198. num. 1.* concurrente præsertim tanti temporis decursi antiquitate, quæ identitatis (vt loquuntur) probationem non modò difficilem, sed etiam impossibilem facit. Sed planè ociosa & inutilis hodie tota hæc quæstio est, cùm originale instrumentum concessionis & inuestituræ Ottonianæ tandem repertum sit in Archiuiis Cameræ computorum Pedemontanæ, in forma optima & authentica. Iam ergo ad secundam exceptionem, quæ & maioris momenti, & tota iuris est, veniamus.

Concessionũ & inuestiturarum pluralitas non præsumitur.

Originale & authenticum instrumentum cõcessionis Ottonianæ tandem repertum est.

SECVNDA exceptio est, non valere conuentionem illam dotalem à Theodoro factam in fauorem Aymonis Comitis Sabaudiæ, & masculorum ex eo descendentium, quasi sit contra tenorem inuestituræ de toto Marchionatu factæ eidem Theodoro, ab Henrico VII. Imperatore, anno *1310.* & heredibus Theodori de toto Marchionatu, cum suis pertinẽtiis, in feudum nobile, rectum, gentile, antiquum, auitum, & paternum. In quo feudi genere constat dictionem [*heredibus*] intelligendam esse de filiis masculis, diciq́ue tale feudum esse [*ex pacto & prouidentia*] & consequenter non alienabile, ne quidem in descendentes ex fœmina; quippe quos pro extraneis haberi oporteat, cùm non sint de familia & genere inuestiti.

Secunda Mãtuanorum exceptio, de inualiditate pacti dotalis cõuenti inter Theod. Paleologum Marchionem Mõtisfertati, & Aymonem Comitem Sabaudiæ, ex eo quòd tale pactũ initum fuerit cõtra tenorẽ primæ inuestituræ eidem Theodoro factæ ab Henrico VII. Imper. anno 1310.

HIC

HIC verò illud ante omnia diſpiciendum eſt: An conceſſio per Ottonem primum facta de toto Marchionatu Montisferrati, fuerit allodium, an feudum, vt ſciri poſſit quomodo intelligenda ſit inueſtitura, quæ ab Henrico VII. facta eſt, quippe quæ ad præcedentes conceſſiones ſe ipſam refert. Sic enim habet: [*Ita quòd amodò dictus Marchio pro ſe, & heredibus ſuis, dictum feudum teneat & habeat, ſicut, & eo modo, & forma, quo, & qua prædeceſſores, & ſucceſſores Marchiones Montisferrati habere & tenere conſueuerunt.*] Quibus verbis licet apertè exprimatur Marchionatum hunc eſſe feudum, & iam antea fuiſſe: non deſunt tamen qui contrà ſcripſerint, quaſi per errorem ſiue Imperatoris inueſtientis, ſiue Theodori inueſtiti, id factum ſit. Propterea quòd, inquiunt, præcedens conceſſio, quæ facta fuerat ab Imperatore Ottone, videatur ſonare in meram donationem, ob datam Aledramo liberam & pleniſſimam poteſtatem de eo Marchionatu diſponendi pro arbitrio in quem vellet, & quomodo vellet. Qua ratione defendunt iſti fuiſſe Marchionatum ab initio merum allodium, non feudum; ideoque iuris feudalis regulas locum in eo habere non poſſe, ſed iuris potiùs communis diſpoſitionem: præſertim cùm ex Beneuenuti hiſtoria, & aliis probatæ fidei authoribus, conſtet, Marchiones ferè omnes, quotquot ab Ottone fuerunt ante & poſt Theodorum Paleologum, de eo Marchionatu diſpoſuiſſe, tam inter viuos, quàm in vltima voluntate: nec ſolùm irrequiſito Imperatore; ſed neque reſeruato & excepto ipſius beneplacito.

An conceſſio Marchionatus Montisferrati per Ottonem facta fuerit in allodium, an in feudum. Et ſi in feudum, an in rectum & proprium, an in improprium & alienabile.

Erronea illorū opinio, qui putant Marchionatū fuiſſe conceſſum ab Ottone in allodium.

Marchiones ferè omnes, quotquot fuerunt, ab Ottone ante & poſt Theodorum, diſpoſuerūt de Marchionatu, pro arbitrio, tā

inter viuos, quàm in vltima voluntate.

Quas alienationes omnes diligenter recenſuit & congeſſit vir & eruditione & dignitate clariſſimus Octauianus Cacheranus Sabaudiæ Cancellarius, vt nec operæprecium ſit hîc repetere. Alij verò, cum quibus & nos ſentimus, magis probant vt conceſſio illa Ottonis facta fuerit in feudum, ſed improprium & alienabile. In quo numero etiam ſunt plerique ex iis ipſis qui pro Sereniſſ. Mantuæ Ducibus hucuſque ſcripſerunt. Et quidem ſi feudum ſit, vt illi volunt, negare certè non poſſunt quin ſit improprium, cùm verba conceſſionis dent Aledramo & eius ſucceſſoribus liberam, vt diximus, de eo diſponendi facultatem: quod apertè eſt contra naturam feudi proprij propriè dicti, ex eóque vno maximè feudum improprium æſtimatur; ſicut & ex eo quod poſſit peruenire ad fœminas, quæ alioquin feudi proprij ſunt incapaces, *cap. vnic. §. filia, de ſucceſſ. feud. c. vnic. verſ. ad filias, de ſucceſſ. fratr. vel gradib. ſucced. in feud. cap. vnic. de feud. non habent. propr. feud. natur. iunct. capit. vnic. in princip. de ſucceſſ. feud. in illis verbis*, [*Nulla ordinatione defuncti in feudo manente, vel valente.*] Adeò vt nec ſi feudum ab initio ſit fœmineum; poſſit tamen peruenire ad fœminas, etiam poſt extinctos omnes maſculos, niſi expreſsè id in inueſtituris dictum ſit, *cap. vnic. de feud. fœmin. & tit. 104. caſus in quibus fœmina in feud. ſucced.* De illo itaque dubitari tantùm poterat, an ſit feudum. Si quidem nulla prorſus feudi mentio fit in dicta Ottonis conceſſione. Quod tamen neceſſarium eſſe videtur, vt feudum dici poſſit, & feudi iure quid poſſeſſum: præſertim cùm neque fidelitatis & homagij, neque ſeruitij vllius, tanquam à vaſallo debiti, præſtatio & receptio

De natura feudi proprij, & feudi improprij.

Nec feudum fœmineum poteſt peruenire ad fœminas, etiam poſt extinctos omnes maſculos, niſi id expreſsè in inueſtituris dictum ſit.

ſecuta

ſecuta probetur, *cap. vnic. circa princip. de conſuet. rect. feud.* Nec enim ſufficit vt voluntate domini poſſeſſionem fundi quis nactus ſit, niſi prætereà illud concurrat, vt nactus ſit [*feudi nomine*] *ibid. in verſic. quia ille.* Nam & illud tritum eſt, præſumi omnia allodialia & libera, nõ feudalia, cùm feudum ſit ſpecies quædam ſeruitutis, quæ nunquam præſumitur niſi probetur; quia eſt qualitas accidentalis non naturalis, ſiue de perſonis agatur, ſiue de rebus, *l. 4. D. de iuſtit. & iur. l. altius. 8. C. de ſeruit. & aqua.* Quibus potiſſimùm rationibus mouentur Mantuani plerique, vt conceſſionem illam ab Ottone factam, feudum eſſe negent; licèt alij, etiam ex Mantuanis ipſis non pauci, & de meliore nota, feudum eſſe, vt diximus, fateantur.

Ad conſtituẽdum feudum, non ſufficit vt voluntate domini poſſeſſionem quis nactus ſit, niſi nactus ſit feudi nomine.

EGO verò non dubito, quin ea mens fuerit & Ottonis concedentis, & Aledrami accipientis Marchionatum, vt feudum Imperiale & Regale ea conceſſione conſtitueretur.

PRIMVM, quia verba conceſſionis non repugnant, quod ſufficit, vt iuris præſumptionibus, de quibus mox dicemus, locus eſſe poſſit, *l. talem inſtitutionem. 51. §. 1.* in illis verbis: [*Neque verba omninò repugnant.*] *D. de hered. inſtit.*

Probatur Marchionatũ Montisferrati ab initio conceſſum fuiſſe, & poſſeſsũ in feudum, non in allodium. Ratio prima.

SECVNDÒ, quoniam in ea conceſſione fit mentio etiam iuriſdictionis, cuius propriũ & ſingulare ius eſt, vt in dubio numquam præſumatur allodialis, ſed ſemper feudalis, niſi expreſſim conſtet de contrario. Ex Baldo *in c. ad audientiam. col. vlt. extr. de præſcript.* Paul. Caſtrenſ. *conſ. 179. nu. 15. lib. 1.* Abbate *conſil. 82. incip. Quamquã in his dubiis, lib. 1.* Capyc. *in ſua inueſtitura, in verb. Feuda allo*

Ratio ſecunda, ſumpta ex conceſſione iuriſdictionis, quòd iuriſdictiones omnes in dubio præſumendæ ſint feudales.

da allodia, col. fin. verſ. Excepto ſi quis teneat iuriſdictionem, & in verb. caſtris, col. 2. verſ. eſt benè verum, Chaſſa. *in Conſuet. Burgund. tit. de feud. §. 4. col. 1. num. 18.* Et ratio eſt, quia omnia ſunt Cæſaris, ſi non dominio, ſaltem imperio, vt Seneca dicebat. Iuriſdictio autem etiam ſimplex & ciuilis tantum, nunquam ſine imperio eſt, quod ob eam cauſam dicitur mixtum, *l. 3. D. de iuriſd. l. vlt. D. de offic. eius cui mand. iuriſd. eſt.* Multo minùs ea, quam vulgò criminalem vocant, quæ ipſa nihil niſi imperium eſt, & quidem merum: Habere ſcilicet gladij poteſtatem, ad animaduertendũ in facinoroſos homines, *d. l. 3. de iuriſd.* Et qui habet pleniſſimam in aliquo territorio iuriſdictionẽ, maius imperium in eo territorio habet omnibus poſt Principem, *l. ſi in aliam. 7. §. cùm pleniſſimam. & legib. ſeqq. de offic. Proconſ. & Legat.* Imperiũ porrò, præſertim merum, ex quo Cæſaris, alteriúſve cuiuſlibet ſupremi Maieſtas potiſſimùm æſtimatur, ſicuti naturali iure nulli competit, quoniam natura vnam, æqualemque fecit hominum omnium condicionem, *d. l. 4. de iuſtit. & iur. l. quod attinet. 32. de reg. iur.* Iura autem gentium non alij quàm potentiori, *l. ex hoc iure. 5. eod. tit. de iuſtit. & iur.* quia ſcilicet potentioribus pares eſſe non poſſumus, *l. 3. in princip. de alien. iudic. mut. cauſ. fact.* & conſequenter ſoli Principi, qui cæteris omnibus ſibi ſubditis ſuperior eſt: maximè verò Cæſari, qui totius mundi dominus dicitur, *in l. deprecatio. 9. D. de leg. Rhod. de iact.* Nec minùs iure ciuili, quàm iure gentium, poſteaquàm lege Regia populus ei, & in eum ius ſuum totum tranſtulit, *l. 1. D. de conſtit. Princip.* Ita nec alij vlli poteſt conceſſum videri à Cæſare, quàm in quem beneficium, & quidem maximum, conferre Cæſar voluerit. Quo vel ſolo beneficij nomi

Omnia ſunt Cæſaris, ſi non dominio, ſaltem imperio.

Natura vnam & æqualẽ omnium hominũ fecit cõdicionem.

Cæſar totius mundi dominus dicitur.

Solo beneficij nomine feudum ſignificatur.

nomine iam feudũ ipſum ſignificatur, *c. vnic. de benefic. fratr. & qualit. frat. in benef. fratr. ſucced. & tit. quæ ſuit prim. cauſ. benefic. amitt. & paſſim in vſib. feudor.* At neque credibile eſt, velle Cęſarem tantam poteſtatem inferiori & ſubdito ſuo communicare, niſi certis legibus & condicionibus; præſertim obſequiorum & ſeruitiorum præſtandorum; ad quæ etiamſi nihil expreſſum eſſet, naturali tamen ratione, & velut ad ἀντίδωρα, inferior obligaretur, *l. ſed etſi. 25. § conſuluit, D. de petit. hered.* vt pro eo imperandi iure, quod à Cæſare in alios nactus eſſet, tanto maiorem ille pro ſe, ſuiſque ſubditis obedientiam & reuerentiam Cæſari præſtaret, tanquam patrono ſuo, cuius beneficio tantam poteſtatem eſſet conſecutus, *l. 1. verſ. quod æquiſſimum, D. ſi à parent. quis manum. ſit, l. ſi manumiſſori. 4. C. de obſeq. patron. præſt. l. filio. 7. D. vt legat. ſeu fideic. ſeruand. cauſ. caueat.* Quæ ſola ſeruitiorum & obſequiorum præſtandorum ſiue ratio, ſiue neceſſitas iuſta cauſa eſt inducendi feudi: Adeò vt ad probandum feudum, etiamſi inueſtitura nulla proferatur, ſufficiat tamen poſſeſſum aliquid fuiſſe nomine beneficij, aliquo tempore, domino preſente, & non contradicente, & ſeruitium eius recipiente, quaſi à vaſallo, *c. vnic. verſ. inde etiam dicitur, de conſuet. rect. feud.* Per quem text. concludit Natt. *conſ. 460. nu. 5.* poſt. Bald. *in l. 1. quæſt. 31. de rer. diuiſ.* Angel. & Imol. *in l. qui in aliena. in prin. D. de acqui. hered.* ſolam obſequiorum & ſeruitiorum mentionem in conceſſione factam, habere vim inueſtituræ ad probãdum feudum. Etſi neque nouum eſt (quod tamen pauci obſeruant) ita feudum dari, vt nullum pro eo ſeruitium fiat, *d. tit. 104. caſus in quibus fœm. in feud. ſucced. in fine principij.* Sed neque dubitandum eſt in primis illis iuriſdi-

Ratio quæ primùm induxit feuda Cæſarea.

Sola obſequiorũ & ſeruitiorum mentio in conceſſione, habet vim inueſtituræ.

ctionum conceſſionibus cautum ſemper & exceptum fuiſſe à concedentibus, vt ſi ea conceſſione is qui accipiebat abuteretur, amitteret hoc ipſo iuriſdictionem, eáque tota rediret ad concedentem, vt ſunt ferè omnia prona in peius imperia, & inſolentes eorum, qui tantam in alios poteſtatem habent, dominationes, *l.1.§.vlt. & l.2.D.de his qui ſunt ſui, vel alien.iur.l.vlt.D.ſi à parent.quis manum.ſit.* Nam & inde factum videmus, vt etiamſi nulla eiuſmodi pactio in conceſſione iuriſdictionis interueniſſe probetur: ipſo tamen iure amittat iuriſdictionē quiſquis ea in ſubditorum necem abutitur, *d.l.2.§.dominorum*, vbi Bald. *D.de his qui ſui vel alien. iur.ſunt*, Bart. *in l.1.eod.* Io.Fab. *in §.vlt.Inſt.eod.* Guid.Pap. *quæſt.62.& defin.3.Cod.noſt. Quando liceat vnicuique ſin.Iudic.ſe vindic.l. illicitas.6.§.ne potentiores, D. de offic. Præſid.* ſicuti aliis in pleriſque iuris partibus ita receptum videmus, vt quod non niſi ex partium conuentione primùm fieri ſolebat, paullatim tranſierit in ius commune, factúmque ſit iuris aut recepti, aut conſtituti, ne ſemper maneret neceſſitas eiuſdem conuentionis interponendæ, vt *in l.vlt. C. quæ res pignor.oblig.poſſ.iunct.l.& quæ nondum.25.§.quod dicitur, D.de pignor.l. vltim. C.de fideiuſſor. l.quòd ſi nolit.31. §. quia aſſiduа, D. de ædilit. edict.* Porrò quotieſcunque beneficium aliquod datur certis legibus & conditionibus; ſed ea potiſſimùm lege, vt aliquo caſu ad dominum reuerti debeat, feudum certè, nō allodium eſt, cùm fuerit illa feudi antiquiſſima natura, & dominorum poteſtati adeò connexa, vt quando vellent illi poſſent auferre rem in feudum à ſe datam: quod tamen poſtea ſic immutatum eſt, vt non niſi poſt certum tempus, deinde ex certis tantùm cauſis, & quibuſdam duntaxat caſibus facere id poſſent, *cap.vnic.§.& quia vidimus, vbi omnes*

Cùm quis iuriſdictione ſibi conceſſa abutitur, debet iuriſdictio redire ad concedentem.

Pacta apponi ſolita facilè tranſeúnt in ius commune.

Beneficiū quod datur ſub lege reuerſionis, feudum, non allodium eſt.

Feuda poterāt olim auferri ad nutum & arbitrium concedentis: Hodie verò non niſi certis caſibus.

notant, qui feud.dar.poſſ.& tit.23. In quibus cauſ.benef.amitt. & tit.ſeq.quæ fuit prim.cauſ.benef.amitt. Hac nimirum ratione defendi rectè poteſt, quod ex interpretum ſententia ſuprà diximus, Iuriſdictiones omnes præſumendas eſſe non modò datas à Principe, ſed etiam feudales, cùm in territorio, quod ideo à terrẽdo dictum eſt, *l. pupillus.139.§. territorium, de verb.ſignific.* non alius iuriſdictionem, & terrendi poteſtatem habere poſſit, quàm Princeps ſupremus, aut cui Princeps iuriſdictionem cũ territorio dederit. Vnde fit quod extra territorium ius dicenti, impunè non paretur, *l.vlt.D.de iuriſd.l.cùm vnus. 12.§.penult.de reb.author.Iudic.poſſid.*

In territorio, quod à terrendo dictum eſt, non alius habet ius terrendi, quàm Princeps.

Hoc autem ita ſuppoſito, vt iuriſdictionis conceſſio ab Imperatore Ottone facta Aledramo, præſumenda ſit facta in feudum; etiamſi de eo nihil expreſſum ſit: conſequens ſtatim ſit, cæterorum omnium, quæ eâdem conceſſione continentur, idem iudicium eſſe debere, vt omnia ſimiliter in feudum conceſſa eſſe intelligantur: ſic enim benè arguitur à præſumptione partis, ad præſumptionem totius, & qualis res vnaquaq; eſt pro parte, talis in totum eſſe exiſtimanda eſt, *cap.vnic. verſ.hoc ita niſi, de content.int.dom. & fidel. de inueſt.tit.10.* vbi feudatarius in vna re, adeò præſumitur feudatarius in alia, vt ex ſolius domini iureiurando controuerſia decidi debeat. *Melior text.in tit.4.ſi de inueſt.feud.contr.fuer.§.ſin autem*; vbi Bald. *in verſ.Concludendo ergo*, notat per illũ textum, quòd ſi de latitudine prædiorum dubitetur an ſit tota feudalis vel emphyteuticaria, tota præſumẽda eſt, & eſſe eiuſdem qualitatis, vbi nullæ apparent notæ diuerſitatis, *per not.in l.vxori ſuæ.33.in princ.de legat.3.& in l. fin.§.cui dulcia, de vin.tritic.& oleo legat.l.ſi eo loco.9.§.vlt.*

Quoties aliqua conceſſio probatur feudalis pro parte, præſumẽda eſt feudalis in totum.

Feudatarius in vna re, præſumitur feudatarius in alia.

Latitudo prædiorum tota præſumẽda eſt feudalis ſi pars eius ſit talis, nec vlla ſit ratio diuerſitatis.

D. si seruit. vindic. l. si stillicidij. 8. §. 1. D. quem. seruit. amitt. Refert & sequitur Boer. *decis. 50. nu. 18.* licèt per errorem alleget *tit. 10. de content. int. dom. & fidel. de inuest.* pro *tit. 4. si de inuest. feud. contr. fuer.* Et ratio est, quam adfert idem Boer. *num. 17.* ne alioquin vna & eadem res diuerso iure censeatur. Contra vulg. *l. eum qui ades. 23. D. de vsucapionib.* Cui addimus, non debere induci temerè diuisionem voluntatis, *ex l. eum qui. 18. in fin. D. de his quæ vt indign.*

Ratio tertia ex verbis illis cōcessionis Ottonianę *vtriusque sexus familias.*

TERTIA ratio, qua moti sunt qui ante nos scripserunt, vt concessionē illam ab Imper. Ottone factam in feudū esse dixerint, ex eo sumitur quòd in dicta concessione verba illa adiecta sunt, [*ad vtriusque sexus familias,*] quorum non alium sensum esse defendunt, quàm si scriptum esset, [*pro masculis & fœminis.*] Est enim huiusmodi adiectio tunc tantùm necessaria, cùm de feudo tractatur, & quidem de feudo impropriando, vt ad illud possint admitti etiam fœminæ, quæ alioqui non admitterentur, vt iam suprà diximus, *ex d. cap. 1. §. hoc autem, de iis qui feud. dar. poss. tit. 8. de succes. feud. §. filia, tit. 30. de feud. fœm. tit. 17. de eo qui sibi, vel hered. suis mascul. & fœmi. inuesti. accep. tit. 50. de natur. succes. feud. & tit. 104. Casus quib. fœm. in feud. succed.* Nam in concessione allodij quis vnquam talem conuentionem necessariam esse dixerit? An non potiùs inepta est & ridicula? cùm in allodiis locum habeant regulæ iuris communis: præsertim quod ad successiones hereditarias: nisi cùm allodium quoque datum est in feudum, *tit. 54. de allod. vbi omnes notant.* Atqui ex qualitate pacti in aliquo contractu adhibiti

Feudū est impropriandum, vt fœminæ ad illud admitti possint.

Etiam allodiū potest dari in feudum.

Ex qualitate pacti in con-

sem

ſemper æſtimanda & dijudicanda eſt qualitas & natura contractus, tùm quoque cùm verba repugnant, *l. vbi ita donatur. 27. D. de mort. cauſ. donat. l. Lucius. 24. D. depoſ.* in illis verbis: [*Nam ſi vt tantundem ſolueretur conuenit, egreditur ea res notiſſimos depoſiti terminos.*] *l. ex conducto. 15. §. Papinianus, aliàs l. ſi vno. D. locat.* vbi Vlp. ſcribit, Etiamſi dominus in penſionis remiſſione conductori facta primo anno propter illius anni ſterilitatem, donationis verbum vſurpauerit; tranſactionem tamen illam dicendam eſſe potiùs quàm donationem: adeò vt ſi ſequentibus annis vbertas contigerit, nihil debeat locatori obeſſe remiſſio, ſed integra penſio exigi poſſit, etiam eius anni, cuius remiſſa fuit. Nempe quia non niſi in contractu locationis de penſionis remiſſione tractari poteſt. Sicuti nec de fœminis in conceſſione aliqua, ad eas ſiue admittendas, ſiue excludendas à ſucceſſione; niſi cùm agitur de feudo. Textus eſt perelegans *in l. quidam. 132. verſ.* [*In eo autem qui non adoptauit quem intellectum habeat hæc conceptio, ſi eum aliter quàm vt filium obſeruaſſet, non proſpicio: An & hîc exigemus exheredationem, vel emancipationem, Res in extraneo ineptas?*] *de verbor. obliga.* Nam & ſic dicere poſſumus: In eo Imperatore, qui conceſſionem in feudum non fecerit, ſed in allodium, & per meram donationem non poſſe dici, quem intellectum habeat iſta verborum conceptio, [*Ad familias vtriuſque ſexus:*] nec niſi ineptam poſſe videri eam adiectionem. Quod tamen quis tam impudens eſt, vt de Imperatore auſit dicere? quem nec credibile eſt quicquam fruſtrà, nedum ineptè facere voluiſſe, *l. Imperatores. 30. de reb. author. Iudic. poſſid. aliàs l. 15. de priuileg.*

tractu adhibiti qualitas contractus dijudicanda eſt.

Non ſolet in cõceſſione tractari de fœminis aut excludendis, aut admittendis, niſi cùm de feudo tractatur.

Non eſt credendus Imperator quicquã fruſtrà facere.

cred. Ineptior verò longè futura ſit ea interpretatio, quam aduerſarij comminiſcuntur, qui per occaſionē erroris ab exſcriptore admiſſi in verbis diſpoſitiuis, [*ac familias vtriuſque ſexus,*] hunc ſenſum horum verborum adſtruunt, quaſi Ottonis concedentis mens ea fuerit, vt concederet res ipſas cum familiis vtriuſque ſexus, id eſt, cum perſonis vtriuſque ſexus: non vt res concederet pro maſculis & fœminis. Nam quis credat aliud conceſſiſſe Imperatorem, quàm quod petebatur? Alioquin non eſſet reſponſum congruum, ſi petitioni & ſupplicationi non conueniret, *l. vt reſponſum. 15. C. de tranſact. l. Domitius. 27. D. qui teſtam. facer. poſſ.* Quid verò aliud petebat Aledramus, ſi ſupplicationis verbis credimus, quàm vt Imperator dignaretur ei concedere res & proprietates ad familias vtriuſque ſexus? Aut quis vnquam audiit ita petitum, vel conceſſum, ſiue feudum, ſiue allodium cum iuriſdictione, vt perſonæ duntaxat alterutrius, non etiam vtriuſque ſexus concederentur? Quod etſi aliquando vſurpatum probaretur, de quo nec cogitatum fuit vnquam; quid tamen erat neceſſe verba illa adiicere? An fortè quia ſi adiecta non fuiſſent, habiturus erat Aledramus iuriſdictionem in maſculos tantum, non etiam in fœminas; aut è contrario in fœminas tantùm, non etiam in maſculos? An potiùs quia de eo ſaltem dubitari fortaſſe potuiſſet? Neutrum certè dici probabiliter poteſt, omninóque fatendum eſt, vel inutiliter & ſuperuacuò adiecta ea verba, quod in conceſſione qualibet, ſed in ea præſertim quæ à ſupremo Principe facta eſſet, ridiculum foret, *cap. ſi Papa, de priuileg. in 6.* potiúſque improprianda, vt loquuntur,

Mendum ſcripturæ in illis verbis *ac familias*, pro eo quod ſcribi debuit, & in ipſo originali ſcriptum eſſe tandem compertū eſt, *ad familias.*

Verba illa, *ac familias vtriuſque ſexus*, nullū habere ſenſum.

Verba ſunt improprianda po-

tur, nedum emendanda verba eſſent, quàm vt nihil operarentur, *l. ſi quando.109. vbi omnes notant. de legat. 1.* vel ſic interpretanda, vt in reſcripto & conceſſione id ipſum contineatur, quod per ſupplicationem petebatur, *l. Titia.134. §. idem reſpondit, plerumque, de verb. oblig. l. vlt. C. de fideic. libert.* Ac proinde vt conceſsio cenſeatur facta [*ad familias vtriuſque ſexus,*] quomodo in originali & authentica ſcriptura dictæ conceſsionis tandem reperta, ſcriptum eſſe apparuit, id eſt, quod ipſa etiam fert & dictat ratio Latini ſermonis, [*pro familiis vtriuſque ſexus.*] Quod ipſum quid aliud eſt dicere, quàm quod volumus *pro maſculis & fœminis:* nec hoc tantùm; ſed etiam, quod amplius eſt, [*pro fœminis etiam ex fœminis deſcendentibus:*] de quibus tamen dubitari magis poterat, ſi [*perſonas*] dixiſſet Imperator, non [*familias* ,] quo nomine, *lineas* potiùs ſignificaſſe videtur: cùm ſi propriè ac partitè quis loqui velit, ſexus fœmininus nullam familiam habere poſſit, quando mulier quælibet familiæ ſuæ & caput & finis eſt, *l. pronunciatio. 195. §. vlt. & l. ſeq. de verb. ſignific.* Eſt enim hoc tolerabilius, vt familias dixerit Imperator pro lineis, quàm vt pro perſonis, cùm quiſquis familiam dicit, plures ſemper intelligat perſonas, *vt in tit. ſi famil. furt. feciſſ. dic.* Aliquando verò, vt in propoſito, etiam plures plurium perſonarum gradus, vt *in l. omnia. 32. aliàs l. cùm ita. §. in fideicommiſſo, l. peto. 69. §. fratre, de legat. 2. l. vlt. C. de verb. ſignific.* Atque ita hæc verba, [*ad familias vtriuſque ſexus,*] accipi oportere ſenſerunt etiam plerique ex celebrioribus Mantuanis ſcriptoribus, præſertim Pariſ. *conſ. 22. num.*

tiùs, quàm vt nihil operétur.

Mulier nullam familiam habere poteſt.

Etiam ſcriptores Mantuani noſtram interpretationé admittunt.

num. 2. & 6. num. 45. & 46. & 140. lib. 1. Alipr. *conſ. 13. num. 39. & 82. itémque num. 148. in 2. part.* An verò ex ſupradictis verbis ita ſint vocatæ fœminæ, vt etiam ſimul cum maſculis, aut ante maſculos remotiores ſuccedere debeant, alia quæſtio eſt, de qua poſtea ſuo loco dicendum erit. Nunc enim hoc tantùm agimus, vt per hæc verba oſtendamus, eam fuiſſe Ottonis Imperatoris mentem, vt de feudo concedendo & conſtituendo, non de ſimplici donatione facienda cogitaret.

Confirmatur ſupradicta ratio ex aliis verbis eiuſdem conceſſionis Ottonianç, q ç non alij cõceſſioni, quàm feudali conuenire poſſunt, nec niſi in materia feudorum vſurpantur.

EÔDEM pertinent verba illa eiuſdem conceſſionis. [*Habeántque idem Aledramus, & ſui heredes, poteſtatem vendendi, commutandi, alienandi, pro anima iudicandi, & quicquid eorum decreuerit animus faciendi:*] non ſolùm quia nihil erat neceſſe talem, tamque latam poteſtatem Aledramo dari, eiuſque ſucceſſoribus, ſi id agebatur vt conceſsio fieret tantùm in allodium: cùm nullo ſit opus pacto, vt rei ſuæ quilibet moderator ſit & arbiter, deque rebus ſuis pro arbitrio diſponat, *vulg. l. in re mandata. 21. C. mandat. l. 1. C. de ſacroſ. Eccleſ.* Adeò vt nec pactum valeat, quo aliquid in contrarium conuenerit, *l. pẽnult. D. de pact.* niſi ab initio, & in ipſa re tradenda factum ſit, *l. in traditionibus. 44. eod. l. vltim. C. de pact. inter emptor. & vendit.* Sed etiã propter illam adiectionem *pro anima iudicandi*, quæ clauſula neque in rerum allodialium contractibus & conceſſionibus vſurpari vnquam ſolet, neque ex Latini ſermonis ratione bonum vllum ſenſum habet, tantúmque in materia feudali vſurpatur, pro eo quod alibi dicimus, *legare pro anima, & in piam cauſam:* ſic enim accipitur in vſib. feud. *tit. 9. qualiter olim poter. feud. alien.*

Verba illa, *pro anim: iudicandi*, non ſolent apponi niſi cũ de feudo agitur

§. *dona*

§.donare,& tit.55.de prohib.feud.alien.per Frider. in princip. verſ.habito: Nec vllo iuris noſtri loco reperias,aut prudentes noſtros, quibus incognitum fuit ius feudorum; aut ipſos etiam interpretes, licèt ad barbariẽ procliuiores,ita locutos fuiſſe.Cùm ergo ſit verbum tam inſolẽs, & extra feudalem materiam nunquam vſurpatum,quis non videt,vel ex hac ſola obſeruatione, etiamſi tot alia deeſſent quæ ſuperſunt argumenta,non niſi de feudali conceſſione ac inueſtitura cogitaſſe Imperatorem?Sic dicimus, Eum qui prohibitus eſt vendere, pignorare, donare,alitérve alienare,non prohiberi teſtamento extraneum heredem inſtituere, *l.pater filium.38.§.fundum. de legat.3.*Nempe quia verba contractuũ non pertinent ad ius teſtandi,*l.verba contraxerunt.20.de verb.ſignific.*Et quemadmodum ſi dubitetur de voluntate aliqua teſtatoris,ſítne teſtamentum, aut codicillus, & an legatum, an fideicommiſſum;nõ melius id dignoſcere poſſumus, quàm ex verborum inſpectione,vtrum teſtamẽto conueniant,an codicillis:& an legatorum verba ſint, an fideicommiſſorum,*l.illud.13.§.tractari,de iur.codic.d.l.pater. 38.§.mater,pen.de legat.3.§.vlt.Inſt. de ſingul.reb. per fideic. relict.* quouſque hæc verborum ſolemnitas & differentia in legatis & fideicommiſſis à Iuſtiniano ſublata eſt, *l.* *C. commun. de legat.*Ita nec certiùs ſcire poſſumus an feudum, an allodium concedere Otto voluerit, quàm ex qualitate & condicione verborum, quibus vſus eſt; quæ cùm feudis ſolis, non etiam allodiis, conueniant, prorſus conſequens eſt,vt feudum ab eo, non allodium conſtitutum fuiſſe dicendum ſit.Ideo enim tam lata illa poteſtas[*vendendi,cõmutandi,alienandi,pro anima iudicandi,& quicquid decreuerit animus faciendi,*]

Ex verbis, quibus Imperator vſus eſt,cognoſcitur eius voluntas, quòd feudalem conceſſionem facere voluerit.

Simile ex *l.pater filium.38.§. fundum. de legat.3.*

Aliud ſimile, cũ quæritur an teſtamẽtũ quid ſit, an codicillus, inſpiciendũ eſſe an verba teſtatoris cõueniant teſtamento, an codicillo.

In feudi improprij conceſſione ſolet dari latiſſima pote-

Stat de feudo disponendi, vt appareat feudū non esse rectū, sed impropriū.

quoties feudum improprium conceditur necessaria est: quoniā alioqui feudum rectum & proprium, ac proinde prorsus inalienabile, constitutum intelligeretur. Feudum namque nihil nisi beneficium quoddam est, quod ex beneuolentia ita datur, vt proprietas rei immobilis beneficiariæ penes dantem remaneat: vsusfructus verò illius rei ita ad accipientem transeat, vt ad eū, heredesq; eius, siue masculos, siue fœminas, si de his nominatim dictum sit, in perpetuum pertineat, ad hoc vt ille, & illius heredes fideliter domino seruiant: siue seruitium illud nominatim quale esse debeat, expressum sit; siue indeterminatè sit promissum: Quomodo feudum diffinitur *tit. 23. quib. caus. feud. amitt. in fin.* Proinde mirum non est, eum, cui feudum aliquod datum est, neque vendere, neque permutare, neque oppignorare quicquam ex eo feudo posse, neque donare; at neque pro anima iudicare, id est, in piā causam legare, nisi cùm hæc omnia in ipsa feudi concessione nominatim permissa sunt: cùm nihil horum facere liceat fructuario, qui sicut dominus non est, ita nec ea facere potest, quæ solis dominis permittūtur, *l. interest. 6. l. vsufructu. 9. l. habitatio. 11. C. de vsufr.* Benè igitur ab Ottone prouisum est, data Marchioni Aledramo licentia expressim ac nominatim ea omnia faciendi, quæ alioquin accepto simpliciter feudo facere pro suo iure non potuisset.

Feudi diffinitio.

Fructuarius nō potest ea facere, quæ solis dominis permittuntur.

Ratio quarta, ex aliis posterioribus Imperator. aliorum concessionibus factis, in cōsequentiam concessionis Ottonianæ.

QVARTA ratio ex posterioribus aliorum Imperatorum concessionibus feudalibus ducitur, in varios Aledrami successores collatis, quæ de Marchionatu Montisferrati sic loquuntur, vt non dubitent iam anteà fuisse feudum per inuestituram constitutum: quamuis de alia feudi concessione non appareat, ne quidem per

conie

coniecturas & ſuſpiciones, quàm quæ ab Ottone facta fuerat,& de qua hucuſque diximus. In quibus ſingulis recenſendis ideò nobis immorandum non eſt, quòd in eam rem tot viri clariſſimi; qui ante nos ſcripsêre, operam ſtrenuam præſtiterunt:ſed illam tamen ſpecialiore nota dignam arbitramur,quæ ab Henrico VI. facta eſt Bonifacio II. anno 1190. vbi hæc leguntur verba, [*Imperator volens ad Imperij honorem augere feudum ipſius Marchionis:*] nec enim potuiſſet augeri feudũ, quod antea feudum non fuiſſet:ſicut nec poteſt augeri vel ſuppleri legitima,ſi nihil omninò pro legitima relictum ſit:cùm non entis nullæ ſint qualitates,vt vulgari noſtrorum iactatur brocardico,*ex l.eius qui in Prouincia. 41. D.de reb.cred.* Neque rurſum dubitandum eſt, quin eædẽ eſſe debeant qualitates & condiciones augmenti, quæ principalis conceſſionis,cui augmentum accedit,*l. inter ſocerum. 26. §. cùm inter*: vbi eſt text.elegans in illis verbis, [*Nec ſeparabitur portio dotis,additamẽti cauſa data, ſi poſtea nihil aliud conueniat,*]*D.de pact.dotal.l.etiamſi.8. C. de iur.dot.* Itẽ quæ à Conrado Imperatore Bonifacio III. Marchioni anno 1253. vbi mentio fit *inueſtituræ*, quo nomine nihil niſi feudum in conceſſionibus ſignificatur:ita vt hæc verba, [*feudi & inueſtituræ,*] eodem pẽnè ſenſu promiſcuè accipiantur, vt conſtat ex titulis: *Si de inueſtit.feud.contr.fuer. De content. int.dom.& vaſall. De inueſtit.feudi: Si de inueſtit.inter dom.& vaſall.lis oriat. Quid ſit inueſtit. De inueſt.de re alien.fact. De inueſt.quam Titius accep.à Sempr. De inueſt.in marit.fact.& aliis ſimilib.* Vt proinde ad inducendũ, aut probandum feudũ, nihil interſit an inueſtituræ mentio in aliqua conceſſione

Ac primùm de conceſſione facta ab Henrico VI. in fauorem Bonifacij II. anno 1190.

Ponderantur verba cõceſſionis factæ ab Henrico VI. Imper.in fauorem Bonifacij II. an.1190.

Non poteſt augeri feudũ, quod nullũ eſt.

Eædem debent eſſe qualitates & condiciones augmenti, quæ conceſſionis principalis.

De conceſſione facta per Conradum Imp. in fauorem Bonifacij III. anno 1253.

Inueſtiturę nomine quid propriè ſignificetur,& in vſibus feudorum.

facta ſit,an feudi;ſcilicet ſecundum vſus feudorum extra quos inueſtituræ nomen propriè ſumptum ſanè nihil niſi poſſeſſionem ſignificat, *dict. tit. 2. quid ſit inueſt. lib.2.*Etſi verò fatẽdum eſt poſteriores huiuſmodi conceſſiones certorum duntaxat locorum fuiſſe,non totius Marchionatus,de quo nunc tractamus, & qui totus ab Ottone in vniuerſum conceſſus fuerat: non eo minùs tamen ex iis probatur,quod volumus,totum Marchionatum iam antea fuiſſe feudum. Nam quemadmodum

Augmẽtato regno, vt loquũtur interpretes, pars quæ acceſſit cenſetur eodem iure, quo regnum ipſum.

placet interpretibus,Augmẽtato,vt loquuntur, regno, partem illam augmentatam eodem iure cenſeri debere,quo regnum ipſum;ita vt iiſdem moribus & conſuetudinibus regatur,vt tractat Boer.*d. quæſtio. 50. num. 19.* poſt Alex.*in l.ſi ex toto.8.per ill.text.de legat.1. & conſ.178. in occurrenti caſu,vol.2.* Lancel.Dec.*in d. l. ſi ex toto.* Guid. Pap. *q.265.in l.fin. C.de verb.ſignific.* Ita quale ex poſtfacto apparet,probatúrque augmentum eſſe,tale reliquũ antea fuiſſe credendum eſt. Nec enim nouum eſt,vt ex

Ex iis quæ ſubſecuta sũt probari poteſtquid & quale anteà fuerit, ſaltem præſumptiuè.

iis, quæ ſubſecuta ſunt probetur quid, & quale fuerit, quod antè fuit,ſaltem præſumptiuè,vt aiũt,donec contrarium probetur, *l. ſemper in ſtipulationib.34. de regul.iur.* quam ad hoc citat Bart. *conſ.58. incip. Commune Spoleti, l. ſicut.8. §. ſuperuacuum. D.quib. mod.pign. vel hypoth.ſoluit.l. qui res.98. in fine principij, & §. rem autem caſtrenſis peculij, D. de ſolut.* Neque certior vlla præcedentium conuentionum interpretatio eſt,quàm quæ ex ſecuta obſeruatione colligitur, vt ſuprà diximus, quámque ideo conſuetudinem interpretatiuam dicere noſtri ſolent.*Text. opt. in l.2. verſ. licet enim, C. de acquir.poſſ. l. ſi maior.4.*vbi omnes notant ex ſubſecuta inter condiuiſores ſeparata rerum poſſeſsione,præſumi, probaríq; factam inter eos

Cõſuetudo eſt optima interpres cõuentionum precedentium; & ideo dicitur interpretatiua.

diuiſio

diuiſionem, *C. commun. diuid.* Nam & eo modo teſtatorum voluntates interpretari ſolemus; ex conſuetudine ſcilicet quam habuerunt illi & loquendi & faciendi, *l. ſi ſeruus. 50. §. vlt. de legat. 1. l. nummis. 75. de legat. 3. l. heredes. 21. §. 1. in fin. D. qui teſtam. fac. poſſ. l. 3. §. vlt. de ſuppell. legat.*

De cõceſſione facta ab Henrico VII. in fauorem Theodori Paleologi.

SED omnium apertiſſima in hanc rem probatio eſt, ex conceſſione facta ab Henrico VII. illi ipſi Theodoro Paleologo, de cuius pacto diſputamus: in qua ſcriptũ eſt diſertis verbis, & in ipſa, quod magis eſt, Theodori ſupplicatione, Marchionatum Montisferrati, cum ſuis pertinentiis, fuiſſe & eſſe feudum nobile, & antiquum ſacri Romani Imperij. Quis enim neſcit etiam feudum, quanticunque ſit momenti, per verba enunciatiua & narratiua probari poſſe in antiquis, vt concludit Crauet. *de antiq. tempor. part. 5. num. 10.* poſt Alex. *conſ. 15. lib. 5.* quanto iuſtius in antiquiſſimis? At multo magis per confeſſionem poſſidentis rem, quæ dicitur feudalis: Maſcard. *de probat. concluſ. 768.* Afflict. *in c. 1. nu. 79. tit. ex quib. cauſ. feud. amitt.* poſt Baldum, quem citat *in l. 1. num. 8. C. quand. lic. ab empt. diſced.* & Dynum à Baldo ipſo citatum, *conſ. 15. incip. quidam confeſſus fuit*, idem Dyn. *conſ. 48. incip. in quæſtionibus quæ vertuntur, num. 16. 17. & 18.* Etſi enim feudum per inueſtituram ſolam conſtituitur; aut per aliquid aliud, quod inueſtituræ æquipolleat, non per nudam confeſsionem, ſicut nec cæteri contractus qui re perficiuntur, *l. qui negotia. 34. D. mandat.* facilius tamen eſt vt per confeſsionem probetur; aut ſaltem vt eius probatio per confeſsionem impleatur; quomodo eleganter Paulus loquitur, & ad propoſitum noſtrum accommodatè, tractans de depoſito, quod non minùs quàm feudum re contrahitur,

Feudum probatur etiã per verba enunciatiua in ãtiquis: multo magis in antiquiſſimis.

Item per confeſſionem poſſidentis.

Aliud eſt feudum conſtitui, aliud conſtitutum probari.

in l.Publia.26.§.1. D.depoſiti, iunct.l.codicillis 39.aliàs l.cùm quis.38.§.codicillis,de legat.3.

Obiectio aduerſariorum, vt eludant argumentũ,quod deſumimus ex illa conceſſione Theodoro facta per Henricum VII.

NEC dici poteſt, quod quidam reſpondent, Marchionatum Montisferrati, cùm antea eſſet allodialis, factum fuiſſe feudum Imperij, per eam Theodori ſupplicationem, & confeſsionem, & ab eo duntaxat tempore: cùm iure noſtro ita comparatum ſit, vt quiſquis rem ſuam liberam & allodialem recognoſcit ab alio, prudens & ſciens, tanquam feudalem, vel emphyteuticariam, hoc ipſo faciat eam; aut feudalem aut emphyteuticariam, ex traditis per DD. *ad l. ſi aliquam rem.28. D. de acquir. poſſ.* & per Curt. *conſ.140. num.6.* quaſi confeſsio illa poſsit eſſe vice traditionis & inueſtituræ, vt ait Bald. *ad l.1. C.quand.lic.ab empt.diſced.*

Reſponſio ad ſupradictã obiectionem.

REPVGNANT enim manifeſtiſsimè verba ſupplicationis, quibus non illud tantùm dicitur, Marchionatum eſſe feudum Imperij, ſed fuiſſe iam in præteritum, adeóque fuiſſe antiquum: Quod ſummoperè notandum eſt, ad conuellendam aliam aduerſariorum reſponſionem, qui huius adiectionis eum ſenſum eſſe volunt, quaſi feudum, quod tùm primùm per illã confeſſionem conſtituebatur, non ita conſtitutum tamen fuerit, vt feudi noui, ſed vt antiqui iure cenſeretur. Sic enim feudum concedi plerumque ſolet, vt in antiquum feudum ſit, non in nouum. Fateor: ſed cùm ita ſonant verba inueſtituræ. Alioquin nouum feudum eſt, quod de nouo, & nunc primùm conceditur. Atqui implicat contradictionem, vt feudum illud fuerit antiquum & nouum, id eſt, eo primùm tempore conſtitutum: nec vtrumque ſimul ſtare poteſt. Suntque iſta longè

longè differentia, feudum antiquum fuiſſe, & antiqui iure cenſeri. Poteſt nouum eſſe, & antiqui iure cenſeri, quoties ea fuit voluntas & concedentis & accipientis. Sed non poteſt antiquum fuiſſe, quod habent verba ſupplicationis; & nouum eſſe, quod aduerſarij comminiſcuntur: ſicut & longè aliud eſt, fateri ſimpliciter rem eſſe feudalem: aliud verò dicere rem illam feudum antiquum fuiſſe. Nam quemadmodum non quicquid fuit, adhuc eſt: ita neque poſſit quiſquam dicere, id quod nunc eſt, æquè iam fuiſſe. Multo minùs autem, nunc primùm eſſe incipere id, quod iam antè fuit. Quamquam nec illud abſolutè verum eſt, effici rem feudalem, quæ non erat, hoc ipſo quo quis prudens & ſciens eam talem recognouerit & confeſſus ſit. Illud enim præterea requirit Iureconſultus, *in d. l. ſi aliquam*, vt animus interuenerit confitentis, feudi conſtituendi dandi: alioqui eiuſmodi confeſsione nihil agitur, cùm ſit erronea. Errantis ſi quidem conſenſus nullus eſt, nulla voluntas, inquit *l. ſed hoc ita. 20. de aqua & aquæ pluu. arcen.* cùm error imperitiam detegat, *l. ſi quis per errorem. 15. D. de iuriſd.* Error autem probaretur ex eo ſolo, quòd conſtaret rem illam fuiſſe allodialem; quo nomine ſola etiam præſumptio ſufficeret; multo magis ſufficiens eſſet ea probatio, quæ per inſpectionem fieret primæ conceſsionis ab Ottone factæ, ſi ea, vt volunt aduerſarij, in allodium duntaxat ſonaret, non in feudum. Probatur enim error, quotieſcunque docetur de contrario, *l. cùm de indebito. 25. D. de probat. l. ſi poſt diuiſionem. 4.* vbi Bald. & alij, *iunct. l. cùm teſtamentum. 8. & ſeq. C. de iur. & fact. ignor. l. vnic. vbi omnes. C. de error. calcul.* Ideóque nimirum exigunt etiam

Aliud eſt feudum eſſe antiquum: aliud verò antiqui iure cenſeri.

Non ſufficit recognitã eſſe rem tanquam feudalẽ, vt fiat feudalis, niſi accedat animus feudi cõſtituendi.

Confeſſio erronea non probat.

Probatur error quoties docetur de contrario.

Recognitio rei non feudalis in feudalem, debet fieri à prudente & sciente, vt res fiat feudalis.

etiam aduersarij ipsi, vt eiusmodi recognitio, qualem hanc esse volunt, de qua contendimus, facta sit à prudente & sciente, ne vllus erroris, allegationi locus relinquatur. Vnde verò probant, aut probare vnquam poterunt, Theodorum nostrum prudentem & scientem, id est, cùm sciret se Marchionatum tenere in allodium, non in feudum; confessum tamen esse, & quidem animo feudi noui, ac tùm primùm constituendi, feudum illud antiquum fuisse? Quid enim aliud id esset, quàm prudentem & scientem eum mentitum fuisse, nec minùs cum seipso, quàm cum veritate pugnasse? Si quidem pugnat secum, quisquis dicit idem quid esse, & non esse, quod Logici dicunt, *implicare contradictionem.* Imò probat potiùs ea recognitio & confessio Theodori, non alia eum fuisse opinione atque intentione, in illam vsque diem, quàm vt Marchionatum feudum Imperij; adeoque antiquum esse, si non planè sciret, saltem crederet. Aut igitur verum dixit, si non errauit, quod & in dubio præsumendum est: alleganti enim errorem, incumbit onus probandi, vt diximus. Aut errauit, si falsum dixit, & eo casu non potuisset erronea, ipsius confessio feudum facere, quod antea non erat, cùm animo in eam rem opus fuerit, qui in errante nullus est, *d.l. sed hoc ita. d.l. cùm testamentum.* Etsi verò diximus non esse præsumendum errorem, facilius tamen est, vt præsumi debeat, quàm mendacium. Quod sine dolo & improbitate committi non potest, *l. rem alienam. in fin. D. de pignor. act.* Pœnamque semper illam meretur mendax supplicator, vt carere debeat impetratis, tùm quoque cùm legibus consentaneum oraculum retulit, *l. & si legibus. s. C. si cont. ius, vel vtilit. public.* Quæ omnia

Alleganti errorem, incumbit onus probandi.

Facilius præsumitur error, quàm mendacium.

omnia quis ferat dici de tanto Principe, quantus fuit Theodorus noſter? Admittamus ergo, quod res eſt, voluiſſe Theodorum vera dicere & dixiſſe, cùm expoſuit Marchionatum fuiſſe iam antea feudum antiquum Imperij, ſcilicet quod iam inde à tempore conceſsionis factæ ab Ottone feudum fuiſſet Imperij, ſempérque habitum & poſſeſſum pro tali.

In Principe neque error præſumendus eſt, neque mendacium.

NAM quod iidem aduerſarij replicant, Non eſſe hanc bonam conſecutionem; propterea quòd fieri potuerit vt Theodori temporibus eſſet iam feudum, & quidem antiquum; nec tamen tale conſtitutum ab Ottone, ſed ab aliquo fortaſſe ex iis qui Ottonem ſecuti ſunt Imperatoribus, qui plures vtique interceſſerunt. Hoc verò certè omnium improbabiliſsimum eſt, cùm neque à quo primùm Imperatore alio quàm Ottone id factum ſit, poſsint dicere, neque quo demùm tempore cœperit Marchionatus eſſe feudum Imperij. Quæ tamen omnia probare illi deberent, cùm in illis fundent ſuam replicationem, *ex regula l. 2. & l. in exceptionibus. 19. & paſſ. D. de probat.* Maximè verò cum quis ſe fundat in tempore, *l. cùm te minorem. 9. l. matrem. 17. C. eod. l. eum actum. 17. D. de negot. geſt.* Idque in propoſita ſpecie tanto magis obtinere debet, quòd neque conceſsionum, vt nec aliarum rerum, pluralitas in dubio præſumenda eſt, cùm ſit facti: facta autem non præſumantur niſi probentur, *vulgat. iurib.* neque mutatio voluntatis, vt quod ab vno Imperatore factum eſt legitimè, alius correctum voluerit, & ſine cauſa immutatum, *l. præcipimus. 32. in fin. C. de appellat. iunct. l. eum qui mutatam. 22. D. de probat.* Eſt enim ſemper erubeſcen-

Alia replicatio aduerſariorū. Et ad eam reſponſio.

Probare quiſque debet id, in quo fundat replicationem ſuam.

Semper erubeſcenda eſt va-

rietas iudicij & voluntatis.

da varietas iudicij & voluntatis, vt loquitur *l. vlt. ad fin. C. de mod. multar.* tanquam quæ aut alienæ, aut ſuæ propriæ inſcitiæ quãdam veluti exprobrationem continear, niſi cùm magna eſt, vrgétque cauſa mutationis in melius faciendæ, *l. minimè ſunt mutanda. 23. D. de legib. l. 22. de conſtit. Princip. l. etſi nihil facile. 183. de regul. iur.* Quænam autem ratio ſatis honeſta & iuſta eſſe potuit mutandi allodium in feudum, ſi per conceſſionem Ottonis Marchionatus non in feudum datus fuerat, ſed in allodium, vt aduerſarij contendunt? An non maius beneficium eſt dare in allodium, quàm in feudum? Rurſus an non beneficij reuocatio quædã eſſet, ſaltem diminutio, ſi allodium in feudum conuerteretur? Sed & tritum eſt: Perfectam ſemel donationem, nullas poſteà recipere condiciones, *l. perfecta. 4. C. de donat. quæ ſub mod.* Cur ergo credamus mutatum fuiſſe allodium in feudum, ſine cauſa; præſertim à Principe & Imperatore, cuius beneficia ſanè debent eſſe manſura, vt Iuſtinianus in Nouellis ſcribit: & ampliari etiam per interpretationem quàm latiſſimè fieri poteſt, non etiam reſtringi, *l. 3. D. de conſtit. Princip. l. 2. C. de bon. vacant. l. ex facto. 43. de vulg. & pupill. ſubſt.* Cùm itaque negari non poſſit, quod nec aduerſarij negant, Marchionatum fuiſſe feudum Imperij, & quidem antiquum, temporibus Theodori, qua fronte obſecro dici poteſt fuiſſe antea allodium, vt conceſſionem illam Ottonis, quæ tot habet verba, vt diximus, feudis tantùm conuenientia, de allodio interpretemur potiùs, quàm de feudo?

Beneficij diminutio eſſet, ſi allodium cõuerteretur in feudum.

Poteſt allodiũ infeudari; ſed ab eo qui accepit, non qui dedit.

Non negamus poſſe allodium quoque infeudari, vt ſcriptum eſt *in tit. 54. de allod. lib. 2.* ſed ab eo ſcilicet qui allodium accepit; non autem ab eo qui dedit. Sic enim

is lo

is locus intelligi debet, & ab omnibus interpretibus rectè intelligitur. Addimus in iis quæ ſolo temporis curſu non mutantur: ſicuti præſumptio eſt de tempore præſenti in præteritum, ita & eſſe de præterito ad plus præteritum, vt loquitur & docet Bart. *ad l. quicunque. n. 10. & ibid. poſt eum alij C. de apoch. public. lib. 10.* Igitur quemadmodum Marchionatus feudum fuit Theodori temporibus; ita & iam antea tale illud fuiſſe dicendum eſt: & iam inde ab ipſa Ottonis conceſſione, quæ omnium antiquiſſima eſt, ac inter quam, & eam quæ Theodoro facta fuit ab Henrico VII. alia poſtmodùm nulla de toto Marchionatu facta interceſſit.

Præſumptio eſt ſicut de præſenti in præteritum, ita & de præterito in plus præteritū.

ACCEDIT prædictis, quòd per teſtes quamplures auditos, ad futuram rei memoriam, anno *1306.* inſtante Manfredo Marchione Saluciarum, qui iam tum obtendebat Marchionatum iure feudi ad ſe pertinere, tanquam ad proximiorem agnatum deſcendentem ab Aledramo, qui primus ab Ottone fuerat inueſtitus, probatum eſt clariſſimè, Marchionatum fuiſſe non ſolùm eo tempore; ſed iam antea & in præteritum, Imperij Romani feudum: eamque publicam fuiſſe omnium vocem & conſtantem famam, viuo adhuc non ſolùm Ioanne vltimo Marchione ex maſculina linea Aledrami; ſed etiam Guillielmo eius patre & auo Bonifacio. Nec deſunt ex teſtibus, qui dicant ſe vidiſſe reſcripta varia & conceſſiones Imperatorum, quibus id ipſum continebatur. Ex quibus teſtimoniis dubitandum non eſt, quin feudum ſufficienter probatum ſit, tanquam quod per famam ſolam probari poſſit, etiam inter alios, ſaltem in antiquis, vt iam diximus ex Cra-

Alia reſponſio ex feudi antiqui probationibus, iā olim & ante trecentos annos factis per teſtes.

uer. *de antiq. tempor. part.5. num.9. & 10.* post Alex. *conſ. 15.lib.5.& conſ.269. col.2. & ex prædicta* Maſcard. *Concl. 768. de probat.* Afflict.*deciſ.276.*

Alia reſponſio ex verbis ſupplicationis Theodori, & ex differentia feudi paterni auiti & antiqui.

SED & expreſſio illa Theodori ſupplicantis quòd Marchionatus fuerit feudum antiquum Romani Imperij, oſtendit ſatis altiùs quàm à quarto gradu qualitatem illam feudi repetere illum voluiſſe, ſi interpretibus feudorum credimus, qui hanc paterni & antiqui feudi differentiam conſtituunt, vt feudum paternum dicatur vſque ad quartum gradum aſcendentium, itemque auitum: at verò antiquum ab inde ſuprà: ſic enim Curt. *in tract. de feudis, part.1. princ. quæſt.8.* poſt Bald. *in ſ. hoc quoque, col. fin. in fin. de ſucceſſ. feud.* Non igitur poteſt ea confeſſio referri ad inueſtituram factam Bonifacio II. qui in quarto tantùm gradu fuit, vt in ea conquieſcat; ſed ad vltiores & antiquiores conceſſiones extendenda eſt, vt illam quoque conceſſionem, quæ Aledramo ab Ottone facta eſt, comprehendat.

De nomine *anteceſſorũ*, quod vſurpatum fuit in conceſſione facta Theodoro.

QVIDNI verò cùm diſertis verbis inueſtitus fuerit Theodorus, eo modo & forma, quo & qua anteceſſores & ſucceſſores Marchiones Montisferrati habere & tenere conſueuerunt. Quis enim illo [*anteceſſorum*] nomine comprehendi magis debeat, quàm Aledramus, qui omnium primus Marchio fuit? Aut quinam erunt illi anteceſſorum ſucceſſores, de quibus inueſtitura loquitur, ſi anteceſſorum nomine ſolos eos intelligere volumus, qui Theodorum immediatè, & in proximioribus gradibus, ad quartum vſque præceſſerunt? An potiùs fruſtrà & ſuperuacuò nomen illud [*ſucceſſo-*

rum

rum] in inueſtitura adiectum eſſe fatebimur? Quod vtique dicendum nunquam eſt, vt pluribus tractat Crauet. *conſ.84. num. 12.* poſt multos ibi citatos *ex l. 1. in princ. D. quod met. cauſ. l. 1. in fin. D. ad municip.* Bald. *ad rubr. C. de contr. empt.* Cur denique ex illa generali *anteceſſorum* mentione indefinita, quæ vniuerſali æquipollet, *l. ſi plures. 98.* vbi Bart.& alij *de legat. 3.* Aledramum exceptum volumus, vt qui totius familiæ caput & Princeps fuit, ab ea generalitate excludatur? At longè aliter Caius, *in l. familiæ. 296. in princ. de verb. ſignif.* Familiæ appellatione ipſum etiam Principem familiæ contineri ait. Et vel ex ipſa nominis proprietate [Anteceſſor]is maximè ac propriè dicendus eſt, qui omnes antecedit, & quem nemo. Qua ergo fronte ex *anteceſſorum* numero Aledramum demere volumus, qui ſolùm eo ſenſu anteceſſor fuit, quia omnes anteceſſit, & de quo proinde ſolo ſenſiſſe Theodorum dicendum eſſet, ſi non in plurali numero *anteceſſores*, itémque *ſucceſſores* nominaſſet? Textus eſt in hanc ſententiam accõmodatiſſimus *in l. 1. §. generaliter. D. de legat. præſt.* vbi Vlpianus ſcribit: Prætorem illo edicto generaliter parentes, liberóſque excepiſſe, nec gradus liberorum, parentúmve enúmeraſſe. Ex eóque infert ſtatim; [*In infinitum igitur eis præſtabitur.*] Similiter igitur & in ſpecie propoſita dicamus, Theodorum generaliter, & indiſtinctè anteceſſores ſuos dixiſſe, nec ad quem vſque gradum anteceſſores intellexerit expreſſiſſe. Igitur in infinitum anteceſſores hîc intelligi debere. Quòd ſi in infinitum, ergo Aledramus continebitur; etiamſi nulla ſucceſſorum mentio adiecta eſſet, quæ tamen magnum ad in-

Non debet à generalitate familiæ excludi is, qui totius familiæ caput & princeps eſt.

Applicatio *l. 1. §. generaliter. D. de legat. præſt.*

terpretationis noſtræ confirmationem habet momentum. Neceſſe enim eſt, vt anteceſſorum nomine vetuſtiſſimos quoſq; Theodorus intellexerit, quia anteceſſoribus ſucceſſores,& in plurali quidem numero, addidit.Suntque iſta tam aperta, & omnia, quæ in contrarium objiciuntur, adeò leuia; vt in iis tantopere laborare,tamdiuque immorari,ſtultum penè videatur.

De cõceſſione facta per Carolum IV. Imperatorẽ Ioanni filio Theodori.

ILLVD tamen prætermitti nõ poteſt,quod omnem prorſus dubitationem perimit, ex inueſtitura facta per Carolum IV. Imperatorem Ioanni filio Theodori, de toto Marchionatu,qua potiſſimùm aduerſarij nitũtur, conſtare pereuidenter, Conceſſionem illam,de qua diſputamus, factam ab Ottone Marchioni primo Aledramo fuiſſe in feudum, non in allodium. Fit namque in ea inueſtitura mentio donatorum & cõceſſorum per anteceſſores Imperatores Aledramo primo Marchioni, & aliis Marchionibus Montisferrati:nec tantùm mentio, ſed etiam confirmatio, & quidem in feudum, de quo nec ij quidem dubitant, ſi vnum Hozadinum excipias, qui pro Ducibus Mantuæ ſcripſerunt. Non ob id ſolùm,quòd Theodori inueſtitura præceſſerat, quæ, vt diximus, totum Marchionatum dixerat eſſe & fuiſſe antiquum feudum Imperij;ſed etiam,quia illa ipſa Caroli IV. conceſſio hoc expreſsè ſonat, in illa clauſula, [*Ita videlicet,quòd omnia & ſingula caſtra,bona, terra,res,iura,& dominia,ex prædictis & quolibet eorũdem quæ ſunt de proprietate & dominio noſtro immediato & ſacri Romani Imperij* (multa enim Carolus IV. tanquam ſui dominij concedebat, quæ Marchio

Marchiones Mõtisferrati nec antea tenuerant, nec vnquam posteà tenuerunt) *ipsi Marchioni, heredibus & successoribus suis, vt suprà, in proprietatẽ. Quicquid verò in feudum est, vel esse debet, aut etiam in retrofeudum in præmissis, hoc in rectum & nobile feudum de nouo damus, concedimus, & largimur.*] Cùm enim duo tantùm genera sint earum rerum, quæ concessione illa continentur; vnum illarum, quæ erant de proprietate & immediato dominio Imperatoris; alterum illarum, quæ iam antea in feudum & retrofeudum datæ fuerant, apparet Marchionatum Montisferrati, qui in priore rerum genere contineri nullo modo potest, cùm de immediato dominio Imperatoris non fuerit, à tempore concessionis Ottonianæ, ad posteriores generis bona referri omninò debere; & cõsequenter ex eorum numero esse, quæ Carolus IV. in feudum se dare dixerat. De nouo quidem, vt concessio loquitur, id est, per formam renouationis priorũ inuestiturarum, non autem in feudum nouum. Supponit enim concessio iam ante fuisse illud feudum, cùm ait, [*quicquid verò in feudum est.*] Si quidem feudum non est antequam constitutum sit: nec dici posset de nouo, id est, iterum dari feudum, quod nũquam datum fuisset, *l. ex facto. 19. D. de hered. inst.* sicuti neque confirmari feudum, quod nũquam fuisset constitutum; cùm non entis nullæ sint qualitates, *d. l. eius qui. 41. D. de reb. credit.* nec sit confirmabile id quod non est, *l. quidam reserunt. 14. vers. esse enim debet, D. de iur. codicill.* Denique aliud est, nunc primùm dare aliquid; aliud verò datum significare, aut confirmare, *l. heredes palam. 21. §. 1. vers. nihil enim nunc dat, sed*

Concessio Caroli IV. supponit præcedentem concessionem feudi.

ſed datum ſignificat, D. qui teſtam facer. poſſ.

NEC aliter ea Caroli IV. conceſſio à poſterioribus Imperatoribus accepta eſt, qui quoties per inueſtiturarum renouationem, eam cõfirmarunt, toties feudi mentionem fecerunt. Inter quos Sigiſmũdus anno 1413. cùm inueſtiret filium ſupradicti Ioannis, Theodorum, de Marchionatu, & aliis quibuſcunque terris, dominiis, ciuitatibus, &c. ſubiecit in hæc ipſa verba: [*quæ, quos, & quas prefati Theodori progenitores à prædeceſſoribus Imperatoribus in feudum, ſeu feuda tenuerunt & poſſederunt.*] Item Federicus III. qui anno 1469. Guillielmum Marchionem inueſtiuit in feudum nobile, antiquum, paternum, & auitum, de Marchionatu & omnibus aliis, [*& ſignanter de locis*, inquit, *& caſtris comprehenſis priuilegiis & inueſtitura Diui quondam Romanorum Imperatoris Caroli IV. &c.* Subque eadem forma idem Federicus iterum inueſtiuit Bonifacium Marchionem fratrem dicti Guillielmi, anno 1487. Poſtea Maximilianus I. & tandem Carolus V. alios Marchiones inueſtierunt de eodem Marchionatu Montisferrati, & omnibus aliis contentis in priuilegio & inueſtitura Caroli IV. cuius tenorem ideo in ſuis quoque inueſtituris inſertum voluerunt. Inueſtituram porrò qui dicit, procul dubio feudum dicit: quoniam ſine inueſtitura, aut alio actu, qui inueſtituræ æquipolleat, conſtitui feudum nullo modo poteſt, *cap. 1. in princ. tit. 25. quib. mod. feud. conſt. pot. & tit. 33. de conſ. reſt. feud. in princ.* & vtrobique omnes notant. Quod ſi Caroli IV. conceſſio in feudum fuit, de quo probabiliter nemo vnquam dubitauit, conſequens eſt vt illa etiam, quę ab Ottone

De inueſtitura facta per Sigiſmũdum Imperatorem, anno 1413. in fauorem Theodori II.

De inueſtitura Federici III. in fauorem Guillielmi Marchionis, anno 1469.

De alia inueſtitura facta per eundẽ Federicum, in fauorem Bonifacij fratris dicti Guillielmi, anno 1487. & de aliis ſecutis per Imperatores Maximilianũ, & Carolum V.

Ottone primùm facta fuerat Aledramo, in feudũ fuerit; cùm eam confirmauerit Carolus IV. expressis verbis; facta etiam Aledrami mentione, qui nec ab alio Imperatore, quàm ab Ottone, nec per aliam concessionem, quàm quæ à nobis relata est, Marchionatum primus accepit; Alioqui esset non modò inutilis, sed etiam ridicula confirmatio, quæ concessione factam in allodium confirmaret tanquam feudum: nisi constaret factam ea mente, vt allodium conuerteretur in feudum: quod neque in dubio præsumendum est, neque fieri vnquam solet. Et si quando fieret, non confirmatio illa dici deberet prioris concessionis, sed extinctio potius, & noua concessio, vt tractat Oldrad. *cons. 178. incip. Factum tale est, quidam nobilis, ex l. si fortè uxor. 7. D. de cast. pecul. l. si donatione. 13. C. de collat.*

QVAMQVAM minùs anxiè laborandum videtur, an concessio illa Ottoniana fuerit facta in feudum, necne; cùm in confesso sit, eo saltem tempore, quo inter Theodorum Paleologum, & Aymonem Comitem Sabaudiæ facta de Marchionatu pactio est, fuisse Marchionatum feudum per concessionem & inuestituram ipsi Theodoro antea factam ab Hẽrico VII. Imperatore. Nec tantùm illud constat fuisse antiquum feudum Imperij, vt verba inuestituræ sonant, sed etiam feudum improprium pro masculis & fœminis, & cum libera de eo disponendi facultate: cùm & Ioannes vltimus Marchio de linea Aledrami de eo disposuerit, & Violanda eius soror: aut, quod effectu idem est, per Violandam Theodorus eius filius successerit. Quod fieri non potuisset, si non etiam pro fœminis feudum illud fuisset, *tit. 1. §. hoc autem. De iis qui feud. dar. poss.* in illis verbis,

[*similiter & earum filij*,] *l. si viua matre. 3. vbi omnes notant. C. de bon. matern.* Sic & Guillielmum VII. cognomento Magnum, de hoc feudo & toto Marchionatu disposuisse legimus, eúmque per contractum contulisse in Margaretam filiam suá, cùm eam Ioanni filio Alfonsi Regis traderet in vxorem: In eum scilicet casum, quo nulli ex ipso liberi extarent, qui tamen extiterunt, & superstites fuerunt.

Tempore pacti dotalis, de quo disputamus, habebat Theodorus Marchionatum Mõtisferrati in feudum, sed improprium, & alienabile.

HOC verò ad litis victoriam nobis hac parte satis est, quòd eo tempore conuentionis inter Theodorum, & Aymonem factæ, Marchionatus fuerit feudum improprium pro masculis & fœminis; quodque de eo disponere pro arbitrio suo Marchiones potuerint, idque facere soliti sint. Qualis enim Marchionatus fuit in Aledrami linea: talem quoque in Theodorum, totámque Palcologorum lineam translatum fuisse dubitandum non est, vt solent feuda trãsire ab vna familia in aliam, cum suis omnibus qualitatibus, *tit. 17. de eo qui sibi, & hered. suis mascul. & fœm. & tit. 30. de feud. fœm. & tit. 3. per quos fiat inuest. & per quos recip. lib. 2.*

Responsio ad 2. exceptionem Mãtuanorum.

Quid sonet nomen *heredũ*, in inuestitura facta Theodoro per Henricũ VII. de toto Marchionatu Montisferrati.

ERGO vt ad obiectionẽ aduersariorum diluendam veniamus, quæ toti huic disputationi causam dedit, quamuis alias in feudis, [*heredum*] appellatione soli masculi contineantur regulariter; in proposito tamen negari non potest, quin ea, quæ Theodoro facta fuit ab Henrico VII. inuestitura, pro ipso & ipsius heredibus, non tantùm de masculis intelligi debeat; sed etiam de fœminis: cùm ex præcedentibus inuestituris, & ex secuta earum obseruatione, debeat recipere interpretationem

tionem, *tit. 18. de duob. fratrib. à capit. inueſt. lib. 2.* in illis verbis: [*Vnuſquiſque enim ſibi, ſuisque heredibus videtur proſpexiſſe.*] Heredes enim vocat eos, quos priùs ex forma inueſtituræ maſculos & fœminas dixerat: ſic & in *tit. 26. ſi de feud. defunct. content. ſit inter dom. & agnat. vaſall.* § 7. *verſ. feud. iunct. tit. 48. de feud. non habēt. propr. natur. feud. lib. 2.* Tātoq; magis hæc interpretatio admitti debet, quòd conuenit proprietati dictionis: quandoquidem heredum appellatione, ſolent ſucceſſores omnes cuiuſcunq; ſexus & gradus ſignificari, *l. heredis appellatio. 65. l. heredis. 170. de verb. ſignif. d. l. 1.* §. *generaliter, verſ. ſed nec perſonas, de legat. præſt.* Nec ab ea interpretatione & ſignificatione recedendum eſt, niſi cùm agitur de feudo merè recto ac proprio, vt diximus in præcedētibus, aut in aliis caſib. à iure expreſſis, ſi qui ſunt, vt inquit Bald. Aluar. & alij *ad tit. 6.* §. *quinetiam Epiſc. vel Abbat. lib. 1.* Crauet. *conſ. 256. col. 3. verſ. nam licet verba.* poſt Socin. *conſ. 266. & 252. col. pen. lib. 2.* Et verò vt de hoc ipſo dubitandi cauſa omnis tolleretur, addita videntur in Theodori inueſtitura verba illa ſtatim & immediatè ſequentia, quaſi declarationis, adeoq; ampliationis loco: [*Ita quòd amodò dictus Marchio pro ſe, & heredibus ſuis, dictum feudum habeat, ſicut, & eo modo, & forma, quo, & qua prædeceſſores, & ſucceſſores Marchiones Montisferrati habere & tenere conſueuerunt.*] Solēt enim clauſulæ cōceptæ per verba iſta, [*ita quòd*] non tantùm declarare, ſed etiam ampliare diſpoſitionem, & augere præcedentia, vt poſt alios tradit Pariſ. *conſ. 1. num. 24. lib. 3. & conſ. 90. nu. 26. & ſeq. & conſ. 92. n. 33. lib. 2.* ſicut è contrario verba illa, [*ita tamen,*] declarant

quidem præcedentia, ſed ſic, vt reſtringant, *l. venditor, 13. §. ſi conſtat, D. commun. præd. l. Lucius. 78. §. quæ habebat, D. ad S. C. Trebell.* Quod non ſatis benè videtur obſeruatũ à Decio, *conſ. 227. nu. 6.* poſt Socin. quem refert *conſ. 241. col. antep. verſ. nam dictio, ita quòd, lib. 2.* vbi clauſulas iſtas comparat quaſi eiuſdem ſint poteſtatis, quod non ita eſt. Cùm ergo ſic inueſtitus fuerit Theodorus, vt Marchionatum haberet, [*ſicut, & eo modo, & forma, quo, & qua prædeceſſores ipſius Marchionatum tenere conſueuerũt,*] id eſt, iiſdem omninò conditionibus, ſiue in qualitate, ſiue in ſubſtantia, vt vulgò noſtri tractant, *ex l. ſicut. 4. C. de repud. vel abſtin. hered. l. ſicut. 5. C. de oblig. & action.* Dubitari autem non poſſit, quin Theodori anteceſſores, eorumque ſucceſſores, Marchionatum tenuerint ex die primæ conceſſionis Ottonianæ factæ Aledramo in feudum improprium, pro maſculis & fœminis, & cum libera de eo in fœminas quoque diſponendi facultate. Quis dubitat Theodorum idem pro ſuo iure facere potuiſſe? aut quis credat facturum eum fuiſſe, ſi non ita faciendi ius habuiſſet? An non præſumendus eſt quilibet etiam priuatus iure ſuo feciſſe, quod fecerit potiùs, quàm ius alienum vſurpaſſe? *vulg. l. meritò. 51. D. pro ſocio.* Quanto magis Princeps, qui nihil iniuſtè, nihil iniquè facere vnquam velle credendus eſt; & quo præſente quicquid fit, toto iure teſte fieri videatur, *l. omnium. 19. C. de teſtam.* Quid autem tam alienum à iure, quàm iniuria, nimirum ex eo dicta, quòd non iure fiat? *l. 1. D. de iniur.* Quis denique ſibi perſuadeat id egiſſe Theodorum cum Aymone contrahentem, vt prudens & ſciens actum nullum faceret, quod nec priuatus quiſquã in dubio facere velle præ-

ſumitur,

ſumitur, *vulg.l.quoties.12.de reb.dub.l.quoties.81.l. ſi ita ſtipulatus.126.§. Chriſogonus, verſ.neq; enim malignè, de verb. oblig.l.non ſolùm.31.de oblig.& action.* & ſpecie futuræ dotis amplioris, quam ſciret præſtare non poſſe, generum, induceret ad contrahendum matrimonium, quod alioqui non fuiſſet ipſe contracturus? An non id apertè eſſet genero inſidiari? vt Paulus apud Labeonem loquitur, *in l. penult. D. de iur.dot.* Quòd ſi aliqua in præcedentibus inueſtituris & cõceſſionibus eſſet ambiguitas, quæ certè nulla eſt, maximè propter verba illa, [*ad familias vtriuſque ſexus,*] de quibus diximus in præcedentibus, cur non potiùs ex ſecuta obſeruatione, adeoque præſcripta per tot non annos, ſed ſecula, ſic eas interpretemur, vt Imperatorum mens omnium fuerit feudum pro maſculis, & ſucceſſiuè pro fœminis dare, ac liberam de illo etiam in fœminas diſponendi facultatem concedere, in eum ſcilicet caſum, quo maſculi nulli ſupereſſent? Vnde namque melius quàm ex euentu, ſecutaque obſeruatione, dignoſcere poſſumus quęnam fuerit antea mens & intentio contrahentium? Text.eſt perelegans *in c.cùm veniſſent, ext.de inſtit.l.item ſi.7.aliàs l.ſed Julianus.§.proinde, verſ.ſed ſi ab initio, D.de S.C.Maced.l.ſi qui adulteri.34.C. ad leg.Iul.de adult.l.hoc legatum.45.de legat.3.l.Seiæ.20.§.Tyrannæ de fund. inſtruct.l. iure noſtro.26.§.vlt.D.de teſtam.tutel. l.3.§. quando autem D.de iur.fiſc.* Bald.*conſ.245. incip.villa, vel caſtrum, lib.3.* Paul.Caſtr.*conſ.347.incip.Quia circa donationem, n.14.verſ. tertiò præſumitur, part.1.* Natt.*conſ.406.num.28.* Bald. Ang. Iaſ.& alij *ad l. ſi certis annis.C.de pact.* Socin.*conſ.111.incip. abundè, col.pen.circ.fin.vol.1.* Crauet.*conſ.211.in fin.* vbi loquuntur de obſeruantia etiam non præſcripta. Quod

Ambiguitas ſi qua ſit in aliquo contractu, recipere interpretationẽ debet ex ſecuta obſeruatione

naturali rationi, aut potiùs inſtinctui adeò conſentaneum eſt, vt in beſtiis quoque idem obtineat, ſcilicet vt ex eo, quod poſtea fecerunt, probetur quid antea in animo habuerint, §. *pauonum. 15. Inſt. de rer. diuiſ.* in poſtremis illis verbis, [*Reuertendi autem animum tùm videntur deſinere habere, tunc cùm reuertendi conſuetudinem deſeruerint.*] Quod ſumpſit Iuſtinianus ex Caio *in l. naturalem. 5. §. pauonum, de acquir. rer. dom.* In propoſita autem quæſtione, id eſt, cùm de alicuius inueſtituræ declaratione ac interpretatione quæritur, an ita datum ſit feudum, vt in fœminas quoque de eo diſponi poſſit, conſuetudinem & obſeruantiam ſecutam præcipuè inſpiciendam eſſe; reſpondit Brunus *conſ. 135. lib. 2.* poſt Bald. *in tit. 51. de Cap. qui cur. vend. §. ſimiliter ſi quis.* Eamq; conſuetudinẽ, vel ex vnico actu ſucceſſiuo, iuncto curſu temporis, induci & probari ait Brunus, *eod. conſ. col. 2.* ex traditis per Panorm. *in c. fin. col. 10. extr. de conſuet.* vbi etiam Roch. de Curt. *col. 53. verſ. ſecunda eſt concluſio, quòd ex vnico actu ſucceßiuo, & col. 62. verſ. quintò limita,* Paul. Caſtr. *in conſ. 163. incip. in cauſa, col. 3.* concurrente præſertim tanti temporis antiquitate, quæ habet vim tituli & priuilegij, *l. 3. §. ductus aquæ, de aqua quotid. & eſt.* adeoque legis, *l. vlt. D. de aqua & aquæ pluu. arc.* Sunt enim ſemper tolerabilia, quæ vetus conſuetudo adprobauit, *l. Imperatores. 13. in fin. D. ad municip.* Idque Andræas Alciat. tractans de hoc ipſo caſu noſtro, diſertè ſcripſit, inter ipſa etiam conſilia Mantuæ, *conſ. 22. numer. 38. & ſeq.*

DENIQVE feudum hoc, de quo agimus, eſſe improprium & alienabile, nec aduerſarij ipſi diffitentur, ideoq; pro maſculis & fœminis datum cenſeri debere, etiamſi

etiamsi verba illa deessent, [*ad familias vtriusque sexus.*] Parif. inter Consilia Mantuæ, *cons.4.num.23.& cons.9. num. 29.* post Socin. & Dec. *ibi relatos, & num.61.* Textus est *in dict.tit.26. si de feud. defunct. content. sit int. dom.& agnat.vasall. §. 7.vers.feudum,& tit.48.de feud.non habent.propr.natur.feud.*

In feudo etiam improprio vocantur masculi per prius: fœminæ autem non nisi per posterius.

NEC ideo tamen dici potest ita vocatas esse ad hoc feudum fœminas, vt vel cum masculis:vel etiam,quod ex aduersariis scriptoribus quidam tentauerunt, etiam ante masculos admitti possint. Repugnat enim natura & consuetudo feudi, etiam improprij, quod fœminas nunquam admittit, nisi post extinctos omnes masculos, non solùm si feudum proponatur constitutum his verbis, [*pro masculis,& his deficientibus,pro fœminis,*] *vt in tit. 17. de eo qui sibi vel hered. suis mascul. & fœm. inuest. accep.* sed etiamsi per copulam, & coniunctim, hoc modo, [*pro masculis & fœminis,*] *tit. 6. Episcop. vel Abbat. vel Abbatiss.feud.dare non poss. §. quinetiam,& tit.8. de succes. feud. §. vlt. lib.1.* Itémque si sub nomine collectiuo,vt in proposita specie, in hunc modum, [*pro heredibus vtriusque sexus,*] cùm verbi collectiui non maior possit esse vis, quàm copulæ,quæ omnia copulata simul colligit & coniungit, vt in terminis respondit Alex. *cons. 9. col. 2. vers. nec prædictis obstat, lib.1.* post Angel. quem refert *cons.38.incip.Quidam Joannes decessit:* quamuis à Decio improbatus *cons.88. Ad clariorem, vers. & quamuis,& cons.390. quoniam ex facto, vers. solùm supereſt, & cons. 614. in causa feudali.* Alexandri enim sententiam tanquam veriorem & communiorem cæteri omnes probarunt, teste Roland. à Vallé,

Valle, *conſ.8.num.14. & ſeq. lib.4. & conſ.48.num.49. & ſeq. eod. lib.* Curt. *de feud.in 3. part.princ. quæſt.17.* Pariſ. *conſ.21.num.7. & ſeq.lib.1.* Vno excepto Hozadino, *conſ. 56.num.22.* qui tamen ſibi contrarius Alexandrum aduerſus Decium defendit, *conſ.40. num.8.* & in propoſita ipſa facti ſpecie, vt aduerſariorum præcipuè teſtimonia proferamus, ita reſpondit Cardinalis Simoneta, inter conſilia Mantuæ, *conſ.39. num.21. verſ. item quia hoc importat*, & Pariſ. inter eadem conſilia, *conſ.9.num.195. & conſ.25.num.140.* ait: Ex illis verbis inueſtituræ Aleduuni, [*ad familias vtriuſque ſexus*,] vocari fœminas ordine ſucceſſiuo, id eſt, poſt maſculos, nec niſi maſculis omnibus deficientibus: nam in feudis ſemper vocantur maſculi per prius; fœminæ autem non niſi per poſterius, vt & aliis nonnullis caſibus, de quibus Franciſc. Mauric. *lib.3.tit.7.num.1.& 2.*

Verba quantumuis generalia recipiunt interpretationem ordinis ex ordine voluntatis.

PRO qua etiam Alexandri ſententia contra Decium, adfero textum *in l. omnia.32. aliàs l. cùm ita. §. in fideicommiſſo, l. peto.69. §. fratre, de legat.2. l. vlt. C. de verb. ſign.* vbi ſcriptum eſt: Pluribus vocatis ad fideicommiſſum, ſub nomine familiæ, quod per ſe collectiuum eſt plurium graduum & perſonarum; non omnes tamen ſimul admitti, ſed ex eo ordine quem veriſimile eſt à teſtatore intellectum eſſe, vt proximus quiſque primo loco videatur inuitatus, deinde ſequentes admittantur.

Nec feudum fœmineũ tranſit ad fœminas, niſi deficientibus maſculis.

IN feudo autem adeò verum eſt non poſſe illud tranſire ad fœminas, niſi deficientibus maſculis omnibus, vt nec aliud probandum ſit, etiamſi agatur de feudo fœmineo. Text. eſt in *tit.30. de feud.fœm.lib.2.* vbi additur, quod magis eſt: Neque etiam deficientibus maſculis,

culis, vocari posse fœminas ad eiusmodi feudum, nisi speciali pacto ipsis prouisum sit. Interposito igitur pacto, etiam per nomen collectiuum, æquè dicendum est, ac multo magis, solos masculos admittendos esse per prius; fœminas autem non nisi per posterius, quod supradicti Doctores dicunt, [Ordine successiuo.] Nec parum est, quòd nomen collectiuum hoc operetur in fauorem fœminarum, vt possint admitti post masculos; tamersi nihil in pacto de fœminis expressim dictum sit. Quodcunque enim pactum fit in feudo, de filiarum successione, id est, vt possint fœminæ in feudo succedere, certè contra naturam & consuetudinem feudi est, *tit. 2. quid sit inuest. §. vlt. lib. 2.* & contra leges feudorum, *tit. 1. de his qui feud. dar. poss. §. hoc autem, & d. tit. 6. Episcop. vel Abbat. §. quinetiam, & tit. 8. de succes. feud. §. vlt. & tit. 14. de feud. March. §. si Capitanei, & §. vlt. lib. 1.*

Casus vnicus, in quo possunt fœminæ simul cum masculis in feudo succedere, si speciali pacto ita conuenerit.

VNVS tantùm casus est, quo possint fœminæ simul cum masculis succedere, scilicet cùm speciali pacto ita dictum est, vt *in tit. 104. casus quib. fœm. in feud. succed. §. item si quis*, vbi agitur de feudo sic constituto, [*vt in eo succedant fœminæ sicut masculi.*] Nempe propter verba inuestituræ, quæ hoc casu tam aperta sunt & enixa, vt nullum aut dubitationi, aut contrariæ interpretationi locum relinquant. Sed valdè diuersus est is casus ab hoc, quem nunc tractamus; De feudo, quod quis accepit pro se & suis heredibus vtriusque sexus. Nihil enim ex his verbis inferre possis pro fœminis, nisi quod nos admittimus & contendimus; Etiam fœminas ad huiusmodi feudum vocari. Sed non sicut masculos, vt in præcedenti specie; at post masculos, & iis

demùm deficientibus. Facitque pro hac etiam noſtra ſententia, quod in *dict. tit. 104.* ſubiungitur in *ff. iugales*, de iugalibus à milite quodam ſic inueſtitis, vt in ſe, ſuóſque [deſcendentes] id haberent. Nam cùm illi filio & filia ex ſe ſuperſtitibus defuncti eſſent, & inter eos feudi quæſtio agitaretur, maſculo vniuerſum feudum ſibi vindicante : fœmina verò defendente, vocatam ſe ad feudum cum fratre pariter: & alij pro maſculo, alij pro filia pronunciarent : Reſponſum eſt cum diſtinctione, vt ſi filia ſola ex dictorum iugalium contubernio ſuperſit; ex prædefuncta verò vxore ſuſceptus ſit maſculus, qui proinde ſit conſanguineus tantùm ſorori, admitti debeat pariter filia cum maſculo. Si autem ex eodem matrimonio ſit maſculus, ſolus ipſe admittatur, filia in totum excluſa. Si verò ſola filia ſit ex eo matrimonio relicta, nullo ex eo, vel ex alio matrimonio ſuperſtite maſculo, feudum ſecundatur, ita vt dimidiam quidem partem fœmina ſibi acquirat, reliquam verò dominus, aut eius heres accipiat. Ex quo apparet tùm quoque cùm vocati ſunt maſculi & fœminæ ſub nomine aliquo collectiuo, quale hîc erat nomen [deſcendentium,] non tamen admitti fœminas, ne quidem ex pacto fœminæ, quamdiu maſculus ſupereſt, qui modò ſit ex eodem matrimonio. Hæc enim adiectio neceſſaria eſt, cùm de feudo iugalibus ſimul conſtituto agitur, vt in *dict. ff. 1. iugales*. Extra hunc caſum nec neceſſaria eſt, nec bona adiectio, manétque generaliter vera concluſio : Maſculis extantibus, ex quocunque tandem ſint matrimonio, fœminas nunquam admitti, ne quidem ad feudum fœmineum, niſi in caſu *d. tit. 104. caſus quib. fœm. in feud. ſucced. ff. item ſi quis.* id eſt,

Applicatio textus *in §. iugales, tit. 104. caſus quib. fœm. in feud. ſucced.*

eſt, cùm verba pacti tam apertè id exprimunt, & euincunt, vt contrariam interpretationem recipere nullam poſſint. Nec ſanè video quid ad hunc textum reſpondere, aut qua arte vel cauillari, vel effugere illum Decius ipſe, aut pro Decio alius quiſquam poſſit. Proinde nil eſſet neceſſe in auxilium noſtrum aduocare hac parte eandem obſeruationem ſecutam, de qua iam ſuprà diximus; quæ tamen vtrumque ſimul probat in perſona Violandæ, quæ fuit & ſoror Ioannis vltimi Marchionis ex linea Aledrami, & mater Theodori Paleologi: & quæ ſicuti viuo Ioanne non ſucceſſit nec in totum, nec in parte, vt nec alia vlla ante, aut poſt eam fœmina, extantibus maſculis: ita poſt mortem Ioannis defuncti ſine liberis, nulloque iam maſculo ſuperſtite, ſucceſſit in dicto Marchionatu; aut ſaltem, quod effectu idem eſt, ſucceſſionis viam aperuit Theodoro filio, quem Imperator Henricus VII. inueſtitum voluit in conſequentiam primæ illius inueſtituræ Ottonianæ, tanquam qui ex iis perſonis eſſet, quas Ottoniana illa inueſtitura comprehenderat.

Violanda ſoror Ioannis vltimi Marchionis ex linea Aledrami, & mater Theodori Paleologi ſucceſſit in Marchionatu ex cõceſſione Ottoniana, nullis ampliùs ex tota Aledrami familia ſuperſtitibus maſculis.

NON obſtat ſuperioribus, quod aduerſarij obiiciunt, Sereniſſ. Ducem Carolum tranſuerſalem & collateralem fuiſſe Io. Georgio vltimo Marchioni ex linea Paleologorum, vltra ſeptimum gradum; ideoque ad feudi ſucceſſionẽ, etiam ſuppoſita pacti validitate, admitti non potuiſſe: Quaſi ex iuris feudalis ratione ita comparatum ſit, vt ſucceſſio in deſcendentes quidem ex recta linea perueniat vſque in infinitum: At verò in agnatos, ex latere venientes, non niſi ad quartum vſque gradum, aut ad ſummum, non niſi vſque ad

Alia obiectio aduerſariorum ex eo quòd Sereniſſ. Sabaudię Dux Carolus fuerit trãſuerſalis Io. Georgio vltimo Marchioni ex linea Paleologorum vltra 7. gradum.

ſeptimum, *ex tit. 1. de his qui feud. dar. poſſ. §. hoc quoque, & cap. 1. §. hoc quoque, de ſucceſſ. feud. tit. 8. lib. 1. & tit. 14. de feud. March. §. ſi Capitanei, eod. lib. cap. Imperialis, §. ſatis benè, de prohib. feud. alien. per Lothar. tit. 57. lib. 2.* & ex traditis per Andr. de Iſern. ad *d. §. hoc quoque, qui feud. dar. poſſ.* Bald. *in d. §. ſi Capitanei, & ad Auth. defuncto, C. ad S.C. Tertyll.* Aret. & Ioann. Fabr. *ad §. vlt. Inſt. de cognat. ſucceſſ.* Iaſ. *ad l. certum. C. vnde legit.* qui ferè omnes adfirmant eſſe hanc non modò veriorem, ſed etiam communiorem Doctorum ſententiam.

Reſponſio ad obiectionem, ex Diſtinctione magis communiter probata ab interpretibus, cùm quæritur an feudum tranſeat ad deſcendentes, aut tranſuerſales vltra 4. aut 7. gradum.

NAM reſpondemus, ſiue iure & ratione, ſiue Doctorum authoritate decertandum ſit, illam eſſe & veriorem, & frequentiore interpretum calculo receptam diſtinctionem: An agatur de feudo paterno, id eſt, quod ab alicuius aſcendentis communis perſona inceperit (ſic enim diffinitur *in d. tit. 1. de his qui feud. dar. poſſ. §. cum verò:* & apertiùs *tit. 11. de ſucceſſ. fratr. vel grad. ſucced. in feud. verſ. quod ita, & tit. 50. de natur. ſucceſſ. feudi, verſ. paternum, lib. 2.*) An de fraterno & nouo: vt ſi feudum ſit paternum & antiquum, quod primordialiter, vt loquuntur, tranſierit de primo inueſtito, & acquirente in deſcendentes, ex eo, tunc tranſeat ad tranuerſales deſcendentium in infinitum: id eſt, etiam vltra ſeptimum gradum, & ſine vlla graduum præfinitione ac determinatione. Si verò feudum ſit fraternum & nouum, quod ea lege datum ſit, vt ad agnatos peruenire poſſit, non vltra quartum; aut ad ſummum, non vltra ſeptimum gradum admittantur: Sic enim Iulius Clarus *in §. feudum, quæſt. 79. verſ. difficultas eſt,* poſt Zaſium *in tract. de feud. part. 8. num. 5.* & Guill. Bened. *in repet. cap. Raynutius, in verb. & vxorem, num. 91. de teſtam.*

Afflict.

Afflict. *ad tit. 31. ſi vaſall. feud. priuet. cui defer. lib. 2. in vlt. notab.* Paul. Caſtr. *conſ. 279. incip. Viſa petitione, nu. 1. lib. 1.* Dec. *ad l. certum. num. 8. C. vnde legit. & conſ. 85. nu. 5.* & alij per iſtos relati, quos congerere longum & ſuperfluum eſſet. Sed iis addo Mynſingerum *lib. 2. Obſer. cap. 95.* Quòd ſi iure agimus, & textuum authoritate, habemus pro ſententia noſtra textum apertiſſimum *in tit. 50. de natur. ſucceſſ. feud. lib. 2.* vbi tractatur ex profeſſo quænam ſit natura feudi, quantum ad aſcendentes, quantum etiam ad deſcendentes, quantum denique ad tranſuerſales. Et quidem quod pertinet ad aſcendentes, ait textus, nullomodò eos ſuccedere. Ex deſcendentibus verò maſculos ſolos ſuccedere, non etiam fœminas, nec maſculos deſcendentes ex fœminis. Sed poſt filium, nepotem ex filio ſolum; & ſic, id eſt, poſt eum deinceps cæteros ex maſculis deſcendentes maſculos, vſque in infinitum. At in tranſuerſalibus, & ex latere venientibus adhibendam eſſe diſtinctionem, an feudum ſit paternum, an fraternum, & nouum: vt ſi ſit fraternum, non ſuccedat in eo frater, niſi ea lege feudum datum ſit, vt vno defuncto ſine maſculis, alter ſuccedat (ſic enim locus ille neceſſariò ſupplendus eſt, ex *dict. tit. 1. de his qui feud. dar. poſſ. §. cùm verò, ex tit. 12. de fratrib. de nouo benef. inueſt. lib. 2.*) Si verò ſit paternum, id eſt, ab aliquo ex ſuperioribus, quiſquis ille ſit, acquiſitum; ad omnes deſcendentes per maſculos perueniat [*vſque in infinitum.*] Quæ verba tam ſunt aperta, vt non magis cauillationem quàm reſponſionem vllam poſſint admittere: & conuincunt manifeſtè, quod vnum aduerſarij reſpondent, loqui eum textum, de deſcendentibus tantùm, non etiam de tranſuerſalibus

Explicatio *tit. 50. de natur. ſucceſſ. feud. lib. 2.*

ſuccedentibus. Fuiſſet longè melius, nihil prorſus, quàm adeò malè, falſoque, & contra ipſiſſima textus verba reſpondere.

Explicatio *tit. 11. de ſucceſſ. fratr. vel gradib. ſuccedt. in feud.*

ALIVS in eandem rem textus eſt, *in tit. 11. de ſucceſſ. fratr. vel gradib. ſuccedent. in feud. lib. 2.* vbi ſimiliter ſcriptum eſt: Mortuo eo qui beneficium tenebat, primam cauſam eſſe liberorum. Filiis enim exiſtentibus maſculis, vel ex filio nepotibus, vel aliis maſculis, deinceps per maſculinum ſexum deſcendentibus, cæteros remoueri agnatos. Ad filias verò, ſeu neptes, vel proneptes, vel ex filia nepotes, aut pronepotes, ſucceſſionem feudi non pertinere. Prolem enim fœminini ſexus, vel ex fœmineo ſexu deſcendentem ad huiuſmodi ſucceſſionem aſpirare non poſſe, niſi eius condicionis ſit feudum, vel eo pacto acquiſitum. Deinde ſubiicitur: [*His verò deficientibus, vocantur primò fratres, cum fratrum præmortuorum filiis : Deinde agnati vlteriores.*] Et ſi enim non addit textus verba illa [*vſque in infinitum*,] quæ ſunt addita in alio textu ſuprà citato; ſufficit tamen ſcriptum eſſe, quòd admitti debeant [*agnati vlteriores*,] generaliter & indiſtinctè, nullis gradibus agnatorum enumeratis, vt ſtatim illa fiat conſecutio: [*Ergo in infinitum*,] quomodo Vlp. noſter argumentatur *in d. l. 1. §. generaliter, de legat. præſt.* Cur enim diſtinguamus, vbi lex non diſtinguit? *vulg. l. de precio. 8. D. de public. in rem act.* In propoſita verò quæſtione tanto magis hoc obtinet, quod [*vlteriorum*] nomine textus vtitur: cuius nominis propria ſignificatione continentur, vt apparet, remotiſſimi quique. Sunt enim omnes quo remotiores, eo vlteriores.

Cur

Cur ergo minùs vocabuntur ſuo ordine ij, quibus nomen ſub quo fit vocatio magis propriè conuenit? Aut vbinam gentium melius, quàm in eo loco, in quo agitur ex propoſito, de ſucceſſione collateralium, debuerat addi ea reſtrictio & interpretatio, quam adhibent aduerſarij, [*vſque ad quartum, aut ad ſeptimum duntaxat gradum?*] Alioqui an non decipere hoc eſſet potiùs, quàm docere? Nec eſt quod quis dicat, locum illum, qui indiſtinctè loquitur, ſupplendum & interpretandum eſſe ex aliis locis, in quibus quarti & ſeptimi gradus mentio fit. Nullus enim omninò iuris feudalis locus eſt, quo ea ſuppletio & interpretatio probari poſſit, vt mox oſtendemus. Imò verò in contrarium, & pro noſtra ſententia, vt diximus, Textum habemus apertiſſimum, & extra omnem cauillationem poſitum, *in d. tit. 30. de natur. ſucceſſ. feud.* cùm cæteri omnes textus, qui contrà proferuntur, alias atque alias recipiant interpretationes. Nam & tritum, licèt periculoſum interpretum ferè omnium verbum eſt: [*Non eſſe faciendum fundamentum ſuper textu, qui recipit varios intellectus, præſertim cùm adeſt textus in contrarium,*] vt in propoſito: iuris enim probationes non minùs debent eſſe concludentes, quàm probationes facti: quæ ſi dubiæ ſint & variæ non releuant, *l. non hoc. C. vnde legit. l. neque natales. 10. & paſſ. C. de probat. l. ſemper in ſtipulationibus. 35. ibi* [*Quid ergo ſi neque Regionis mos apparet, quia varius fuit?*] *de regul. iur.* Imò tanto concludentiores, quanto certius eſt ius, quàm factum, *l. 2. D. de iur. & fact. ignor.*

SED quid opus eſt pluribus? Eſt & alius pro nobis textus non minùs apertus *in tit. 31. ſi vaſall. feud. priuet. cui defer.* Explicatio & applicatio textus *in tit. 31. ſi*

vasall.feud.priuet.cui defer. *deſer.lib.2.*vbi ſcriptum eſt: Vaſalli delinquẽtis feudum, licèt ad agnatos aliquando pertineat; tamen ad filium pertinere nunquam poſſe; nec filium ad illud aſpirare, niſi id iterum à domino licitè acquirat ſibi gratiam faciente, ſubiicit exemplum: [*Verbi gratia*, inquit, *ſi non ſint alij ex latere quibus aperiatur, ad eius petitionem admittuntur qui quarto gradu ſunt remoti, ab eo qui id acquiſiuit, & etiam vſque ad infinitum: dum tamen hos conſtet ab eo per maſculos deſcendiſſe.*] Ex quibus verbis probatur liquidiſſimè: Tantum diſtare vt ius agnatorũ in ſucceſſione feudi quarto gradu concludatur & coanguſtetur, quod aduerſarij volunt, vt aliquo caſu, id eſt, cùm vaſallus feudo propter delictum priuatus eſt, incipiat ius ſuccedendi à quarto gradu. Quod & ſcriptum eſt *in tit. 26. ſi de feud. defunct. cont. ſit int. dom. & agnat. vaſall.* §. *ſi vaſallus, lib.2.* Niſi quòd de ſolis agnatis, qui in quarto gradu ſunt, textus ille loquitur, nec addit [*& etiam vſque ad infinitum.*] At quis credat ſic incipere ius ſuccedendi à quarto gradu agnatorum, vt in eo conquieſcat, nec progrediatur vlteriùs? Quod ſi admittas progredi poſſe vlteriùs, quæro, ad quem igitur gradum? an ad ſeptimum duntaxat, vt vellent aduerſarij? Atqui nullus in toto iure feudali textus eſt, qui ſeptimi gradus hoc caſu meminerit. Cur non ergo potiùs in infinitum, vt diſertè ſcriptum eſt *in d. tit.31. ſi vaſall.feud. priuet.*? Hoc autem admiſſo, quis credat ideò meliorem eſſe debere condicionem agnatorum, vt in feudo ſuccedát in infinitum & vltra gradum quoque ſeptimum, ob id ſolùm quòd vaſallus ob ſuum delictum feudum amiſerit? An debet eſſe

Applicatio *tit. 26. ſi de feud. defunct. cõt. ſit int. dom. & agnat. vaſall.*

esse melior cõdicio agnatorum eius qui deliquit? Longè potiùs deterior, vt ex eo constat, quòd agnati trium priorum graduum, quamuis innocentes; ab ea tamen successione omnimodò excluduntur, tanquàm de quibus verendum sit magis, ne eosdem ad delinquendum spiritus gerant, quos agnatus ille qui deliquit tam arcto iis vinculo sanguinis coniunctus. Hæc enim sola proculdubiò fuit ratio excludendorum proximiorum. Sed an ea res facere potest, aut debet, vt cæteri remotiores tanto sint fauorabiliores, vt in vlteriore gradu succedant, quàm si agnatus nõ deliquisset, aut simpliciter sine masculis decessisset? Ita namq; fieret, vt pœna vnius, esset præmium alterius, contra *l. si sequens. 11. in princ. D. de S.C. Silan.* Itemque vt deterior fieret condicio domini, ob id quòd vasallus delictum admisisset: quo tamen nomine certum est, tanto meliorem esse debere, vt etiam filij vasalli, caterique proximiores, si qui sint ante quartum gradum, omnes excludantur, *d. tit. 31. & d. §. si vasallus, d. tit. 26.*

Nec illud rursus dici potest, quod iidem aduersarij tentant, vt nihil penitus intentatum relinquant, [*Esse casum illum specialem.*] Ne aliter posito iure Imperator per auaritiã, aut per vindictam magis, quàm ex ratione, aut æquitate aliqua, tale ius cõstituisse videretur. Quod vtrumque ab Imperatoria maiestate alienum prorsus videtur, *l. vnic. §. si quis Imper. maled. l. vnic. § pen. C. de caduc. tollend.* Obseruandum enim est, quod omnes admittunt, loqui eos textus de vasalli delicto, quod non in ipsum dominum, sed in alium quemlibet admissum sit. Quoties enim feudo quis priuatur ob delictum aliquod admissum in ipsum dominum, iuris cer-

Replicatio ad id quod respõdẽt aduersarij, *Specialẽ esse casum, de quo in dict. tit. 31. si vasall. priuet. feud. cui defer.*

tissimi est, deuolui feudum & redire ad dominum, exclusis agnatis omnibus,& proximioribus,& remotioribus,vt hanc habeat dominus suæ iniuriæ vltionem,inquit textus, *in §. denique,tit. 24.quæ fuit prim.cauſ. benef. amitt.lib.2.& tit.37.an ille qui interf.fratr. dom. eod. lib. & tit.5.quib.mod. feud.amitt. lib.1.* Iul.Clar.*in §. feudum,q.66.* Ergo neque vindictæ, neque auaritiæ ratio haberi vlla potest in Imperatore, aut in alio quolibet domino, ad quem feudum hoc casu reuertitur. Fatendúmque est solo agnatorum fauore constitutum esse,vt qui quarto gradu remoti sunt,& vlteriores admitti possint,exclusis proximioribus; idque ex summa æquitate: ne alieno scelere tot innocentes prægrauentur,in quos nulla verisimilis suspicio cadere possit delicti,siue admissi, siue admittendi. Vt verò in fauorem eorum, qui quarto gradu sunt, & vlteriorum vsque in infinitum succedi possit,in eo feudo quod vasallus ob delictum suum admiserit, proculdubiò fit ex iuris communis feudorum ratione,& regula; non iure aliquo speciali, cuius inducendi aduersus dominum nec vlla satis probabilis ratio afferri posset.

Replicatio ad aliam responsionem aduersariorum, qui verba illa, *vsq; ad infinitū*, intelligunt vsque ad 7 gradum.

ILLVD verò longè minùs probabile est, quod aduersarij addunt, verba illa, [*vsque ad infinitum,*] sic intelligi debere,ac si scriptum esset, [*vsq; ad septimum gradum*;] quasi possit dici gradus infinitus,qui est finis successionis, *arg.§. vlt. Inst.de succeß.cognat.iunct. §. cæterùm, Inst.de legit.agnat succeß.* Quis enim hanc ferat interpretationem, vt infinitas illa succedendi septimo gradu constringatur:cùm etiam in hereditatibus & successionibus iuris communis, ad decimum saltem vsque gradum succedi possit:*d.§. vlt. Inst.de cognat.succeß.* Constat siquidem

ſiquidem latiùs patere iura ſucceſsionum feudalium, adeò vt, qui in milleſimo quoque gradu ſunt, poſsint in feudo ſuccedere, ſi aliud nihil obſtet. Afflict. *ad d. §. ſi Capitanei, notab. 4.* vbi etiam cæteri *de feud. March. & in d. tit. 31. ſi vaſſall. feud. priuet. notab. vlt.* cum aliis in hanc ipſam rem iam ſuprà citatis. Quaſi in feudis non tam ſucceſsio ſit, vt in hereditatibus, quàm ſucceſſorũ quædam continuatio, quæ fit à primo acquirente in omnes ex eo deſcendentes in infinitum, licèt iidem illi ſint ſibi collaterales. Deinde an nõ ſunt iſta omninò non diuerſa tantùm, ſed etiam contraria, [*ſuccedi vſque ad ſeptimum gradum, & ſuccedi vſque in infinitum?* Textus eſt *in d. tit. 1. de his qui feud. dar. poſſ. §. hoc quoque*: vbi differentia illa conſtituitur inter ſucceſsiones deſcendentium & collateralium, quòd feudum ad venientes ex latere vltra ſeptimum gradum non progreditur: At in maſculis deſcendentibus nouo iure vſque in infinitum extenditur. Quid ergo illud eſt, [*vſque in infinitum*,] niſi hoc ipſum quod volumus, [*etiam vltra ſeptimum gradum*?]

Quo ſenſu dictę ſint olim, & dicantur hodie, actiones perpetuæ.

NEC ſimile eſt quod affertur de perpetuis actionibus, quæ licèt perpetuæ dicantur, non eo minùs tamen triginta, vel ad ſummum quadraginta annis finiuntur, *l. 3. & 4. C. de præſcript. 30. vel 4. annor.* Nam imò verò [perpetuæ actiones] olim non ob aliá cauſam dicebantur, quàm quòd nullo vnquam tempore finirentur, *Inſt. de perpet. & tempor. act.* Poſteriores Imperatores ſuis conſtitutionibus fecerunt ex perpetuis temporales: & cùm hodiè perpetuas appellamus, nomen vetus retinemus, ad differentiam aliarum actionum, quæ iam olim erant temporales: ſed verbi vim ac poteſtatem non re-

tinemus. Neque enim reuerà ſunt hodiè perpetuæ, quæ factæ ſunt temporales.

Quàm diſſimile ſit quod affertur de ſocietate in perpetuum cõtracta.

DISSIMILE quoque illud eſt, quod adferunt de ſocietate in perpetuum contracta, quæ finitur morte, *l.1.D.pro ſocio.* Aliud enim eſt dicere, [in perpetuum:] aliud verò, [in infinitũ:] ſicut & aliud, [in æternum,] *l.nulla.70.eod.tit.* Deniq; quomodo poſſet ſocietas quantumuis mortua viuere, niſi quandiu ſocij ipſi viuunt? Sicuti fatemur nec poſſe in infinitum ſuccedi, ſi finiti, & extincti ſint omnes ij qui ſuccedere poſſunt. Sed hoc dicimus quandiu vel vnus agnatus ſupereſt, in quocunque tandem gradu ille ſit, poſſe illum ſuccedere. Quod certè vel fatendum eſt verum eſſe, vel negandum quod tot textibus expreſſum eſt, poſſe illos in infinitum ſuccedere.

In ſucceſſionibus hereditariis poteſt ſuccedi etiam vltra 10. gradum.

NEC denique illud verum eſt, quod pro vero ſupponunt aduerſarij, in ſucceſſionibus hereditariis non ſuccedere agnatos vltra decimum gradum, *ex d.§.vlt. de cognat. ſucceſſ.* Non enim ſic Iuſtinianus loquitur, vt dicat; agnatos vltra decimum gradum non ſuccedere, quod falſiſſimum eſt, cùm poſſint ſuccedere; etiamſi longiſſimo inter ſe gradu diſtent, *§. cæterùm, 3. Inſt. de legit.agnat. ſucceſſ.* id eſt, longiore etiam quàm decimo; ſed ait, poſſe illos ſuccedere etiamſi decimo gradu ſint: ad differentiam, ſcilicet, ſucceſſionis cognatorum, quæ à Prætore, & ex mera eius indulgentia, ſic inducta eſt, vt ſextum gradum extra quaſdam perſonas non poſſit excedere, *d.§.vlt.* Latiùs nimirum patẽt verba legis XII. Tab. quàm Edicti, cùm lex duodecim Tabularum non niſi *agnato proximo* hereditatem detulerit. Agnatus autem proximus ille ſit, quẽ alius nemo antecedit, quantum

tumcunque longiſsimo gradu diſtet, id eſt, ſupra decimum, *l. 2. §. hæc hereditas, D. de ſuis & legit. l. qui duos. 9. D. de reb. dub.* Nec aliam ob cauſam diſtinctionem & enumerationem graduum lex prætermiſit, quàm vt appareret de agnatis in infinitum legem ſenſiſſe. Quemadmodum & in cognatorum ſucceſsione obtineret, ſi Prætor nullos in deferenda bonorum poſſeſsione, [*vnde cognati,*] gradus præſcripſiſſet, *d. l. 1. §. generaliter, D. de legat. præſt.* qui textus in hanc ſententiam ideò recurrit ſæpiùs, quòd omnium accommodatiſsimus eſt. Ideo nimirum *in d. cap. vnic. ſi vaſall. feud. priuet. cui defer.* poſt verba illa [*& etiam vſque ad infinitum,*] addit textus, [*dum tamen hos conſtet ab eo per maſculos deſcendiſſe.*] Non ſolùm quòd difficilior eſſe ſoleat probatio in perſonis eorum, qui ab aliquo vltra ſeptimum gradum deſcenderunt; ſed etiam vt intelligamus ad ſucceſſionem agnatorum illud duntaxat quærendum eſſe: an qui vult ſuccedere probet ſe per maſculos à primo inueſtito deſcendiſſe: non etiam de illo laborandum quoto gradu ſit. Alioqui erat multo conuenientius, magiſque neceſſarium, diſtinctionem illam graduum addere, de qua dubitari probabilius poterat, quàm neceſſitatem illam probationis exigere, de qua ne anus quidem dubitaſſet. Quis enim tanquam agnatus poſſit ex pacto & inueſtitura ſuccedere, niſi qui ſe agnatum eſſe probet eius qui primus fuit inueſtitus? At neque potuiſſet quadrare adiectio illa graduum, poſt verba illa, [*& etiam vſque ad infinitum,*] quæ nec ſeptimi, nec alterius quantumlibet remotiſſimi gradus limitationem patiuntur.

Iterum de ſententia *cap. vnic. ſi vaſall. feud. priuet.*

QVOD verò aliter reſpondent quidam ex aduerſariis, vt ſubtiliores videantur, prorſus intolerabile eſt.

Replicatio ad aliam reſponſionem aduer-

fariorum circa textum *in d. c. vnic. si vasall. feud. priuet.*

Aiunt enim textum illum non loqui de collateralibus, ſed tantùm de deſcendentibus à primo acquiſitore, ex verbis illis vltimis, [*Dum tamen hos cõſtet ab eo per maſculos deſcendiſſe.*] In deſcendentibus autem non negant ſuccedi vſque ad infinitum; ſed negant admitti eos qui vltra ſeptimum gradum coniuncti ſunt illi cui ſucceditur, Eſto, inquiunt, quòd à primo acquiſitore diſtent longè vltrà: ſic enim Socin. Iun. *conſ. 76. num. 74. lib. 1.*

NOS verò admittimus quidem tractari eo loco de agnatis deſcendentibus ab eo qui primus feudum acquiſiit; ſed hos ipſos dicimus eſſe inter ſe collaterales & tranſuerſales, ac proinde probari optimè ex illo textu id quod nos volumus: Etiam vltrà ſeptimum gradum agnatos inuicem ſuccedere, quotocunque gradu inter ſe diſtent, dummodò ſint deſcendentes à primo inueſtito, id eſt, dummodò feudum ſit paternum. Nam de feudo paterno agi eo loco conſtat, vel ex hoc maximè quòd in feudo nouo & fraterno nullus quæſtioni locus eſſe poſſet. Cùm in eo feudo nec fratres ipſi ſuccedant, nec agnati remotiores, ne tum quidem ſi feudi poſſeſſor ſine maſculis deceſſerit. Quanto minùs ſi feudum ob aliquod delictum amiſerit? *tit. 1. de his qui feud. dar. poſſ. §. cùm verò, verſ. ſin autem, & tit. 8. de ſucceſſ. feud. §. vlt. & tit. 20. de benef. fratr. & qualit. fratr. in benef. fratr. ſucced. lib. 1. tit. 12. de fratr. de nouo ben. inueſt. & tit. 18. de duob. fratr. à Capit. inueſt. lib. 2. & tit. 90. fratrem fratri in nouo benef. non ſucced.* Neque rurſum intelligi textus ille poteſt de deſcendentibus ab eo qui feudum amiſit: non ſolùm quia loquitur expreſſim de eo qui feudum acquiſiuit; ſed etiam quia quod initio textus ſcriptum eſt, Vaſalli filium nullatenùs

nùs ad id feudum aſpirare poſſe, quod pater ob delictum amiſerit: ſic omninò accipi debet, vt neque ipſe filius primi gradus, neque quiſquam ex ipſius deſcendentibus admitti poſſit, vt diſertè ſcriptum eſt, *d. tit. 26. ſi de feud. defunct. content. ſit int. dom. & agnat. vaſall. §. 7. verſ. ſi vaſallus, in illis verbis* [*Neque enim deſcendentes:*] quæ ſic accipi ſanè debent, ac ſi additum eſſet [*vſque ad infinitum:*] quod tamen addi neceſſe ideo non fuit, quòd ſufficeret expreſſam eſſe ſententiam per nomen collectiuum plurium graduum, quale eſt [*deſcendentium,*] nulla graduum diſtinctione & enumeratione facta ad infinitos gradus complectendos, *d.l. 1. §. generaliter, de legat. præſt.* Loquitur ergo textus de agnatis collateralibus, de quibus & *d. §. ſi vaſallus*, in illis verbis, [*Sed agnati qui quarto gradu ſunt:*] ſed deſcendentibus tamen ab eo, qui primus feudum acquiſiuit. Quod cum ea interpretum diſtinctione, quam ſuprà retulimus, omninò conuenit. Diſtinguunt enim, vt diximus, an feudum paternum ſit, an fraternum: id eſt, an primordialiter, vt loquuntur, tranſierit à primo acquiſitore in deſcendentes ex eo, vt ſemel factum ſit paternum: an verò rectà venerit ad collaterales primi inueſtiti: vt priore caſu ſuccedant inuicem collaterales vſque ad infinitum, non tanquam collaterales, ſed tanquam deſcendentes, inter quos fatentur ipſi etiam aduerſarij dari ſucceſſionem in infinitum. Poſteriore verò non ſuccedant, qui ſunt vltra ſeptimum gradum. Nec quicquam noſtrà refert, vt dicamus collaterales ſuccedere, quatenus collaterales ſunt: an quatenus deſcendentes; dummodò verum ſit, vt eſt, quod contendimus, eos qui ſunt inuicem ſibi collaterales ſuccede-

re,

re, quamuis non ſuccedant quà collaterales ſunt, ſed quà deſcendentes. Non enim de formalitate, vt loquuntur Philoſophi, diſputamus; ſed de re ipſa & effectu rei, vt *in l. ſi paterfamilias. 15. §. qui duos, D. de adopt.* Idcircò autem in collateralibus iſtis qualitatem deſcẽdentium intuemur potiùs, quàm collateralium; quòd licèt ſibi inuicem ſuccedant, non tamen tanquam collaterales ſuccedant, ſed tanquam deſcendentes; quia nimirum ſuccedunt aſcendenti, qui primus fuit inueſtitus; non autem collaterali, qui aut ſine maſculis deceſſit, aut beneficium amiſit, Iul. Clar. *d. quæſt. 79. de feudis, num. 3. verſ. difficultas eſt,* Andr. de Iſern. *in tit. 19. Conſtit. feudal. D. Lothar. Imper. §. ſi quis miles, lib. 1. per ill. text.* Vbi dicitur ſi quis miles ſine filio maſculo deceſſerit, & nepotem reliquerit, ſuccedere nepotem auo *in vicem patris.* Et ſi reliquerit filium & fratrem, ſolum quidem filium ſuccedere: ſed ſi filius fratris mortuus ſit, fratrem patris ſuccedere in beneficium aui defuncti, id eſt, non tam defuncto vltimo, quàm auo, qui primus feudum acquiſiit: Bald. *ad tit. 11. de ſucceſſ. fratr. & gradib. ſucced. in feud. & ibid.* Præpoſ. & Laudenſ. Idem Præpoſ. *in tit. 1. de his qui feud. dar. poſſ. §. & quia vidimus.* Curt. *in tract. de feudis, part. 3. verſ. ſucceſſiuè expedito tractatu.* Origine ſcilicet beneficij inſpecta, quæ inſpici ferè ſemper ſolet & debet, *Auth. ex teſtamento C. de ſecund. nupt. l. 3. C. de S. C. Maced. l. tutor. 69.* [*Et non titulus actionis, ſed debiti cauſa reſpicienda eſt.*] *D. de fideiuſſ.* Textus accommodatior *in tit. 14. de vaſall. decrep. ætat. qui feud. refut. vt filij inueſtir.* vbi dicitur feudum à vaſallo refutatum, & iterum à domino conceſſũ, filiis & vaſalli, non tam noui quàm paterni feudi iure

Explicatio *tit. 19. Conſtit. feudal. D. Lotharij Imperat. §. ſi quis miles.*

di iure censeri, quamuis reuera sit nouum, quia fuit ab initio paternũ. Hinc est quod dicimus, [*Feudum acquiri non minùs successione, quàm inuestitura*] *d. tit. 11. de succes. fratr.* id est, non minùs acquiri per successionem in locum primi, quàm si successor ipse fuisset à domino inuestitus: quasi successio in locum inuestiti sit species quædam inuestituræ. Atqui per inuestituram ius acquiritur primo inuestito: Ergo & cùm cæteri agnati succedunt in eo feudo, nõ ab alio videntur ius habere, quàm à primo inuestito, aut potiùs ab inuestiente: quasi & ipsi per successionem inuestiti, nõ minùs, quàm qui prior inuestitus fuit, vt fiat par & vniformis determinatio, *ex dict. reg. l. iam hoc iure. 4. de vulg. & pupill. substit.* Indéque etiam fit vt agnatus quilibet transuersalis possit in feudo succedere, etiam repudiata hereditate, non modò eius qui vltimus defunctus est, de quo nemo dubitat; sed illius quoque, qui primus inuestitus fuit, *tit. 45. an agnat. vel fil. poss. ret. feud. repud. hered.* Vbi additur quod est consequens, nihil eum de debitis hereditariis ideò soluere debere. Quod vtique non ita esset, si is, qui in feudo succedit, heres esse intelligeretur vltimi decedentis, & ei succederet, qui nec primo inuestito succedit: nisi cùm feudum hereditarium est, de quo postea dicemus. Ideoque nec tam dicitur succedere alteri, quàm in feudum & beneficium alterius, *tit. 20. de benef. fratr. & qual. frat. in benef. fratr. succed. & tit. 24. quemadm. feud. ad fil. pert. lib. 1.* Quare nec illud probo, quod nostri quoque scriptores admittunt, eos omnes qui in feudo succedunt, succedere primo acquirenti. Nam si ita esset, quomodò, aut qua fronte feudum retinere vellent, hereditate repudiata, & ita

Quid sit quod dici solet, feudũ acquiri non minùs successione, quàm inuestitura.

Agnatus quilibet transuersalis, potest in feudo succedere, etiam repudiata hereditate, non modò vltimi defuncti, sed etiam primi inuestiti.

Non omnes qui in feudo succedunt, ideò primo acquirẽti succedunt.

ius ſucceſſionis, quod ſemper indiuiduum eſt, diuidere? Tantùm abeſt vt ſuccedant vltimo defuncto, qui feudi poſſeſſor fuit. Quid ergo eſt? Succedunt in vicem & locum primi inueſtiti, vt loquitur textus *in d.* §. *ſi quis miles*, quod longè diuerſum eſt. Sic enim dicimus, vulgarem ſubſtitutum ſuccedere in locum & vicem primi heredis inſtituti, *l. coheredi. 41.* §. *vlt. de vulg. & pupill. ſubſt.* Et tamen nemo dixerit primo heredi ſuccedere vulgarem ſubſtitutum, quem è contrariò conſtat ſuccedere teſtatori, *d. l. coheredi. in princip. l. ſi Titius. 27. eod. l. quandiu.* vbi Bart. & omnes notãt *de acq. hered.* Sic fideicommiſſarius in vicem & locum heredis directi ſuccedit; ideoque loco heredis eſſe dicitur, *l. 2. & paſſ. D. ad S. C. Trebell.* Nec ideo tamen ſuccedit heredi, ſed teſtatori, *l. 1. l. ita tamen. 27.* §. *qui ex Trebelliano, eod. d. l. coheredi.* §. *cùm filiæ, de vulg. & pupill. ſubſtit. l. ſequens. quæſt. 67. de leg. 2.* Sic denique emptor hereditatis, ne tot alia exempla conquiramus, ſuccedit in locum heredis, qui aditam hereditatem vendidit, *l. 2.* §. *cum quis debitori, D. de hered. vel act. vend.* & tamen quis heredem eum dixerit primi venditoris adhuc viuentis? *l. 1. eod.* Succedit igitur defuncto, cuius hereditas eſt, non heredi, licet non niſi per mediam heredis perſonam, *l. 2. & paſſ. C. eod.* Similiter & in propoſito, agnatus quiſquis ille ſit, & cuiuſcunque gradus, ſuccedit in locum vltimi poſſeſſoris, itémque primi inueſtiti. At neque poſſeſſori vltimo, neque primo inueſtito ſuccedit, ſed per medias vtriuſque & cæterorum, quotquot intermedij ſunt, perſonas: veruntamen eo colore, quaſi ſit & ipſe inueſtitus immediatè, tranſeunte ſcilicet in eum beneficio inueſtituræ per viam ſucceſſionis. Et verò

Aliud eſt ſuccedere primo inueſtito, aliud verò ſuccedere in locum primi inueſtiti.

verò quid fuiſſet neceſſe monere, feudum paternum tranſire in filios maſculos heredes patris, ſi in feudis, aut vltimo poſſeſſori, aut primo inueſtito ſuccederetur? Præſertim cùm non aliter poſſit filius feudum paternũ retinere, quàm ſi paternam hereditatem retineat, *d. tit. 45. an agnat. vel fil.* Quis enim neſcit filium patri ſuccedere, & quidem ipſo iure, *l. in ſuis. 11. de lib. & poſth. l. in ſuis. 14. D. de ſuis & legit.* At quia in feudis non ſucceditur, niſi iure & ratione inueſtituræ; nec ſemper in inueſtitura exprimitur quis ſucceſſurus ſit, exponendum fuit quibus perſonis, & quibus gradibus feudi ſucceſſio poſt primum inueſtitum deferenda eſſet.

Feudum paternum alienari non poteſt à vaſallo, etiamſi dominus conſentiat, & non agnati quoque omnes conſentiant: ad *tit. 39. de alienat. patern. feud.*

INDE etiam eſt, quòd feudum paternum alienari non poteſt à vaſallo; etiamſi dominus conſentiat, niſi conſentientibus agnatis indefinitè, vt ſcriptum eſt *in tit. 39. de alien. patern. feud. lib. 2.* id eſt, omnibus & cuiuſcunque gradus. Neque enim lex diſtinguit de agnatis qui ſint intra, vel vltra quartum, aut ſeptimum gradum; quomodo tamen fuerat diſtinguendum, ſi agnati non niſi ad certum vſque gradum ſuccedere poſſent. Ad quid enim prodeſſet illorum quoque conſenſum exigere, qui ipſi ſuccedere nunquam poſſent? *arg. l. quoties. 15. C. de fideic. l. ſi poſt mortem. 10. §. liberi, D. de bonor. poſſ. contr. tabul.* Sicut ergo alienationi feudi paterni conſentiri omnes agnati debent, in quocunque gradu ſint, & ſine vlla graduum diſtinctione & enumeratione: ita conſequens eſt, vt dicamus in eo feudo agnatos quoque tranſuerſales omnes ſuccedere cuiuſcunque ſint gradus, vt ex neceſſitate conſentiendi, inferamus ad ius ſuccedendi.

Explicatio *d. tit. 39. de alien. patern. feud.*

EODEM pertinet quod *in d. tit. 39. de aliena. feud.*

patern. adiicitur, prohibitam quidem esse etiam inter agnatos alienationem beneficij, scilicet non paterni, vt sequentia explicant: sed tamen si paternum fuit, concedendam esse ac permittēdam, vt scilicet posset feudum alienari non modò in proximiorem agnatum, quomodo malè nōnulli explicant; sed etiam in remotiorem quemlibet, dummodò sit ex agnatis, sine vlla etiam graduum distinctione, nullóque requisito agnatorum proximiorum cōsensu. Sicut is qui fideicommissum in familia relinquere iussus est, etiam remotiorem, modò ex familia sit, potest eligere, *l. vnum ex familia. 67. §. 1. vers. itaque, de leg. 2. iunct. l. filius familias. 114. §. antep. de legat. 1. l. is qui complures. 94. de legat. 3.* nisi cùm fideicommissi gradus præscripti sunt, vt in *l. cum pater. 77. §. pen. de leg. 2. l. heredes mei. 57. §. vlt. ad S. C. Trebell.* Quod tamen falsò diceretur, si non alius agnatus posset in feudo paterno succedere, quàm qui in septimo ad summum gradu esset. Si quidem iniuria fieret proximioribus agnatis, qui soli successionis sunt capaces, si non requisito eorum consensu alienatio permitteretur in remotiorem, qui esset vltra gradum succedendi, cùm habendus ille sit, quod ad hoc, pro extraneo, qui succedere non potest. Ex eo igitur quod textus ait: Posse feudi paterni alienationem fieri in agnatum quemlibet, etiam non requisito consensu domini, nec agnatorū (sic enim is locus intelligi necessariò debet) & nulla facta restrictione ad quartum vsque aut septimum gradum, intelligimus posse igitur in eo feudo paterno, non tantùm descendentes, sed etiam agnatos quotocunque tandem gradu distent, siue à primo inuestito, siue ab vltimo feudi possessore, vsque ad infinitum succedere, tanquam

Feudum paterni potest alienari, etiam in agnatū remotiorem, proximioribus quoque non consentientibus.

quam qui omnes, licèt inter se sint transuersales, attamen sint descendétes ab eo qui primus fuit inuestitus.

NEC sanè possum intelligere quid sibi velint aduersarij, cùm negant admitti agnatos, qui vltra septimum gradum coniuncti sunt, vltimo possessori. Esto, inquiunt, quòd à primo acquisitore distent vltra longè: quasi verò fieri possit vt à primo acquisitore, à quo ponimus eos descendere, distent illi longiore ac remotiore gradu, quàm quo distant ipsi inter se. Quod certè repugnat iuris Canonici regulæ, quæ vult: [*Quoto aut agnatus, aut cognatus quisque gradu distat à stipite, toto & distare inter se, si sint in linea æquali: Aut si in linea inæquali, quoto distat is qui remotior est,*] *cap. vlt.* vbi Glos. & omnes Canonistæ *de consang. & affin.* Ergo quemadmodum concedunt aduersarij, posse in feudo paterno agnatos succedere, illos etiam qui à stipite ac primo inuestito distant in infinitum: ita & fateantur necesse est: non minus posse illos succedere qui inter se distant in infinitum, id est, quantumlibet remoto gradu: vt quod scriptum est *in tit. 50. de natur. succes. feud.* Naturā successionis feudi eam esse, vt descendentes succedant in infinitum: ex latere autem omnes per masculos descendentes similiter vsque in infinitum: eandem vtrobique recipiat interpretationem ex propria illorum verborum, [*vsque ad infinitum,*] significatione: nec quātum ad descendentes intelligatur propriè: quantum verò ad collaterales impropriè & vsque ad septimum duntaxat gradum. Quis enim iudex tantam varietatem, & siue significationis, siue interpretationis inconstantiam possit

Possunt in feudo paterno succedere agnati, quotocunque gradu distent à primo inuestito: ergo & quotocunque gradu distent inter se.

vnquam propitiis auribus admittere? Placet autem valdè quòd textus ille ſic loquitur: [*Ex latere omnes per maſculos deſcendentes,*] ne dubitare quis amplius poſſit, quin veriſſimum ſit: Eoſdem agnatos & collaterales ſibi eſſe inuicem, & deſcendentes à primo inueſtito, diuerſis nimirum reſpectibus.

Explicatio *tit. 8. de ſucceſſ. feud. §. hoc quoque.*

Hoc verò ita eſſe quod volumus, vt agnati collaterales ad ſucceſſionem feudi admittantur, etiamſi diſtent tam inter ſe, quàm à ſtipite vltra ſeptimum gradum, probatur etiam ex eo ipſo loco, quem proferunt aduerſarij, vt errorem ſuum tueantur: Is eſt *in tit. 8. de ſucceſſ. feud. §. hoc quoque, lib. 1.* vbi tractatur de ſucceſſione feudi paterni, quod ad agnatum reuertitur: *Et olim obſeruabatur,* inquit, *vſque ad quartum gradum tantùm, ſecundum quoſdam: Hoc ideò quia poſtea non vocatur feudum paternum. Alij autem dicunt vſque ad ſeptimum gradum.* Quibus verbis apertiſſimum eſt ſignificari ius vetus tantùm, quod olim obtinebat, nec amplius obtinet, ac cuius memoria iam tùm erat adeò vetus & antiqua, vt de eo iure quodnam & quale ante hac fuiſſet, controuerteretur. Quidam enim dicebant tale fuiſſe, vt non ſuccederetur vltra quartum gradum: alij vt nõ vltra ſeptimum. Neutrum igitur hodie obtinet: Alioquin ſi non magis hodie, quàm olim, vltra ſeptimum gradum ſuccederetur, quid attineret tractare de iure vetere? aut ius vetus illud dicere, quod etiãnum tale maneret? Quem verò ſenſum habere poſſunt verba illa: *Alij autem dicũt vſque ad ſeptimum gradum,* niſi eum quem haberent, ſi ſcriptum eſſet: *Alij autem dicunt, quòd olim obſeruabatur vſque ad ſeptimum gradum:* quomodo ſi ſcriptum eſſet, nemo dubitaret quin ius vetus iis verbis ſignificaretur

diuer

diuersum à iure nouo. Sic enim & prudentes nostri explosas aliorum sententias referre solent per verba præteriti imperfecti, *l. Papinianus putabat. 23. D. de donat. int. vir. & vxor.* secundum eam interpretationem & emendationem, quam nos ad illum locum attulimus, *lib. 2. Coniect. cap. 6. l. lecta. 40. vers. & si vt ille putabat, D. de reb. credit. l. si venditor. 6. §. 1. ibi, Nobis aliquando placebat, D. de seru. export. & aliis sexcentis.* Ius verò antiquum & antiquatum quibusnam verbis exprimi potuit apertiùs, quàm illis, *Olim obseruabatur quòd vsque ad septimum gradum succederetur?* vt intelligeremus, non igitur sic obseruari hodie; sed succedi in infinitum, quomodo scriptũ est tot aliis locis suprà citatis, vt leges legibus concordentur, quod semper, quantum fieri potest, faciendum est, *l. vnic. C. de inoffic. dotib.* Nec sanè ratio bona erat, qua mouebantur qui dicebant: Ita olim fuisse obseruatum, vt ad quartum duntaxat gradum succederetur, quasi non potuisset obseruari, vt etiam vsque ad septimum, quòd post quartum gradum non dicatur amplius feudum paternum. Nam hoc etiam admisso, quid vetat dicere: Fieri feudum auitum cùm desinit esse paternum, quemadmodum & si auitum quoq; esse desineret, vtique tanto magis fieret antiquum: An verò paterni feudi naturam ob id retinere minùs deberet, quòd paternum esse desiisset ac auitum, aut etiam antiquum factũ fuisset? Nam quod distinguimus inter feudum paternum & nõ paternum, quoties de successione feudi disputamus, non ideò facimus quasi hac parte feudum paternũ separãdum sit ab auito & antiquo, quod vtrũq; semper paternum est; sed ad differentiam feudi noui, quod nos alio nomine fraternum appellamus, *d. tit. 8. §. vlt.*

Feudum non dicitur paternum, ad differentiam auiti, nec auitum ad differentiã antiqui; sed habet hæc tria nomina ad differentiam feudi noui & fraterni.

vlt.& tit.20.de benef.fratr.& qualit.frat.in benef. fratr. succed.lib.1.& d.tit.50.de natur.succeſſ.feud. Cæterùm ſi bona eſſet hæc ratio, propter quam credere deberemus obſeruatum olim fuiſſe vt vltra quartum gradum ſuccedi non poſſet, fatendum eſſet ne quidem hodie ſuccedi poſſe vſque ad ſeptimum. Quod tamen nec aduerſarij ipſi audent dicere: quos planè ſi interrogem, Ex quo iuris loco probent ſuccedi poſſe in feudis vſque ad ſeptimum gradum, proferre nullum certè poſſint. Textus enim *d.tit.8.§. hoc quoque*, eorum duntaxat ſententiam refert, qui dicunt obſeruatum olim fuiſſe vſque ad ſeptimum gradum: ſed an ſententia illa vera ſit, an illorum potiùs, qui negabant obſeruatum fuiſſe vltra gradum quartum, textus non aperit, totúmque ius illud vetus in dubio relinquit. At non etiam nouum: quod cùm non poſſit aliud non eſſe à vetere; conſequens omninò eſt, vt hodie nec quarti, nec ſeptimi gradus ratio vlla habeatur. Cuiuſnam igitur? Alterius certè nullius. Ergo ſucceditur hodiè vſque in infinitum: nec neceſſe eſt vt textum illum dicamus abrogatum eſſe per poſteriorem, *tit. 50. de natur. ſucceſſ. feud.* cùm vtriuſque loci planè idem ſit ſenſus: niſi quòd *in tit. 50.* nihil expreſſum eſt de iure vetere, quo nec valdè nos indigemus, dummodò ius nouum, quo vtimur, teneamus.

Nullus iuris feudalis textus eſt, ex quo probari poſſit, in feudis ſuccedi vſque ad ſeptimum gradum.

Explicatio *tit. 1. de his qui feud. dar. poſſ. §. hoc quoque.* quo etiã textu Mantuani mouentur.

NEQVE alius meo iudicio ſenſus eſt eius, quod ſcriptum legimus *in d.tit. 1. de his qui feud. dar. poſſ. §. hoc quoque*, Beneficium, id eſt, feudum ad venientes ex latere vltra fratres patrueles non progredi ſucceſſione, ſecundum vſum ab antiquis ſapientibus conſtitutum, licèt moderno tempore vſque ad ſeptimum geniculum ſit vſurpatum. [*Quod in maſculis*, inquit, *deſcendenti*

cendentibus nouo iure vsque in infinitum succedi-
tur.] Nam tametsi textum illum de feudo paterno
am aduersariis intelligas, non de eo quod à primo in-
festito rectà & primordialiter transierit in collaterales,
vt quidam ex nostris volunt, de quo nos parum labo-
ramus, apparet nihil aliud agi in eo textu, quàm vt ius
vtrumque referatur quod in feudo paterno & obtinuit
& obtinet. Obtinuit antea quidem vt non progrede-
retur feudi successio vltra fratres patrueles, id est, vltra
quartum gradum; quasi post eum gradum non dica-
tur amplius feudum paternum, *d. tit. 8. de succes. feud.*
§. hoc quoque. Postea verò cœpit vsurpari, hoc est, mo-
dernis, nec ita dudum elapsis temporibus, vt vsque ad
septimum gradum feudi successio esset. Tandem deni-
que obtinuit iure nouo, quo nos hodie vtimur, vt ii-
dem illi collaterales qui antea non succedebant, nisi
ad quartum vsque aut septimum gradum, succedant
vsque in infinitum. Nec quod dicit, [*in masculis des-*
cendentibus,] facere debet vt existimemus mutari ca-
sum, vt loquuntur, & tractari iam de ascendentium suc-
cessione in descendentes, non de collateralium in col-
laterales. Quis enim credat mutari casum in antithesi
iuris veteris, & noui: & eum qui ita scripsit tam insul-
sum fuisse, vt quid in collateralibus olim & iure vete-
re obtineret, expresserit, non etiam quid hodie obti-
neat iure nouo? Rursum quid in descendentibus in re-
cta linea hodie obtineat, & iure nouo; non autem quid
olim obtinuerit? Et verò quis vnquam audiit ius vetus
aliquando ita fuisse, vt ascendentibus non succederent
descendentes vsque in infinitum? Et tamen negari non
potest quin hæc locutio, [*Quod in masculis descendenti-*

Differentia iu-
ris veteris &
noui, cùm agi-
tur de succes-
sione feudi in-
ter transuersa-
les causam ha-
bentes à primo
inuestito.

bus nouo iure vſque in infinitum extenditur,] illam quoque ſententiam vi ſua includat, Iure vetere aliter haud dubiè obſeruatum fuiſſe. Quis enim de iure nouo tractandi & loquendi locus in ea re, in qua vnum & idem ius ſemper fuerit, nunquam aut abrogatum, aut immutatum? Hodie igitur ſuccedunt iure nouo vſque in infinitum iidem maſculi deſcendentes, qui antea non niſi vſque ad quartum primò, deinde vſque ad ſeptimum gradum ſuccedebant. Atqui ea graduum diſtinctio in agnatis collateralibus obſeruabatur, non in deſcendentibus poſt aſcendentes ſuccedentibus. De iiſdem ergo agnatis collateralibus, & collateraliter ſuccedentibus, intelligi omninò debet, quod ait textus, [*Succedere eos nouo iure vſque in infinitum*,] vt intelligamus hac parte abrogatum fuiſſe vtrumque ius vetus, quod antea obtinuerat: nec hodie quicquam eſſe, quod de quarto, aut ſeptimo gradu tractari poſſit in ſucceſſione collateralium agnatorum, non magis quàm cùm liberi poſt parentes ſuccedunt. Idque demõſtrat etiam verbum *extenditur*, quod eſt in textu. Priùs enim dictum fuerat feudum ad venientes ex latere vltra fratres patrueles non progredi ſucceſſione, ſecundum vſum ab antiquis ſapientibus conſtitutum, quamuis moderno tempore vſque ad ſeptimum geniculum fuerit vſurpatum. Quod itaque ſequitur [*Nouo iure vſque in infinitum extenditur*,] de illo ipſo feudo eſt, quod antè dictum fuerat non progredi vltra quartum & ſeptimum gradum, & quod extendi neceſſe fuit vt vltra dictos gradus progrederetur: quemadmodum etiam extenſum fuerat à quarto gradu ad ſeptimum, quæ prima fuit extenſio: poſtquam ſola illa facienda ſupererat,

vt à

vt à gradu ſeptimo in infinitum vſque feudum progrederetur. Antitheſis enim eſt in verbis illis, *Non progreditur, Extenditur*: itémq; in illis, *Nouo iure*, quæ ſcilicet opponuntur ſuperioribus illis verbis, *ſecundum vſum ab antiquis ſapientibus conſtitutum*: & rurſum illis, *moderno tempore*. Sed in eo quod addit textus, *in maſculis deſcendentibus*, antitheſis nulla eſt, quia de illis ipſis ſolis tractatum fuerat in præcedente parte eiuſdem §. ad excluſionem ſcilicet collateralium non deſcẽdentium à primo inueſtito: quos certiſſimũ eſt nullomodò poſſe in feudo ſuccedere: neque tanquã in feudo paterno, cùm quantum ad eos attinet qui communẽ parentem & ſtipitem non habent, feudum paternum dici non poſſit, *d. tit. 1. §. cùm verò, & d. tit. 50. de natur. ſucceſſ. feud.* Neque tanquam in fraterno, aut nouo, cùm in eo non ſuccedant agnati, ne quidẽ illi qui in ſecundo & proximiore gradu ſunt (nec enim iure ciuili vllus eſt primus gradus agnationis, niſi qui ſecundus in quo eſt frater) ſi non ſpeciali pacto in contrarium actum ſit, vt in eo quoque feudo ſuccedi poſſit, *d. §. cùm verò, & d. tit. 8. de ſucceſſ. feud. §. vlt. & aliis ſuprà citatis*. Quod cùm euenit, fruſtra eſt quærere ad quem & quotum vſque gradũ ſuccedere agnati poſſint, quia pacti verba inſpicienda ſunt, & textus inueſtituræ, vt neque plures, neque pauciores gradus admittantur ad ſucceſſionem feudi, quàm de quibus admittẽdis expreſſim dictum eſt, cùm nullo alio quàm pacti iure admitti poſſint. Qua potiſſimùm ratione moueor, vt probare non poſſim, quod ex noſtris quidam volunt, viri alioquin pereruditi, textum hunc, de quo diſputamus, intelligendum eſſe de feudo fraterno & nouo potiùs, quàm de paterno: cùm in fraternum

Contra eos qui putant in *d. tit. 1. de his qui feud. dar. poſſ.* tractari de feudo nouo & fraterno, non de paterno.

quæſtio illa cadere nunquam poſſit, ad quem vſque gradum venientes ex latere in eo ſuccedant. Et verò in paterno tantùm feudo, non etiam in fraterno varietatem illam fuiſſe iuris & obſeruationis veteris, vt primò non niſi vſque ad quartum graduin, deinde vt etiam vſque ad ſeptimum ſuccederetur, tam apertè ſcriptum eſt *in d. tit. 8. de ſucceſſ. feud. §. hoc quoque*, vt nihil potuerit ſcribi apertius: ſicut è contrario varietas iuris & obſeruationis nulla vnquam fuit in ſucceſſione feudi paterni progrediente ab aſcendentibus rectà in deſcendentes, nullis collateralibus intermixtis: ſemper enim progreſſus ille fuit in infinitum: nec quicquam aliud in eam rem vnquam requiſitum, niſi vt qui volunt in eo feudo ſuccedere, non ſolùm ſint maſculi, ſed etiam probent ſe ab eo deſcendiſſe, qui primus fuit inueſtitus: *d. tit. 31. ſi vaſall. feud. priuet. cui defer. lib. 2.* quæ probatio plerumque propter temporis antiquitatem difficillima eſt. At neque ſufficit vt probent ſe & maſculos eſſe, & à primo inueſtito deſcendiſſe, ſi non etiam probent ſe deſcendiſſe per maſculos. Poſſent enim & maſculi eſſe & deſcendentes à primo inueſtito, ſed tamen per fœminas, qui non minùs incapaces ſucceſſionis eſſent, quàm ipſæ fœminæ, *d. tit. 8. de ſucceſſ. feud. §. vlt. lib. 1. & de natur. ſucceſſ. feud. tit. 50. lib. 2.* Idque benè additum eſt in *d. tit. 31. ſi vaſall. feud. priuet.* illis verbis, [*per maſculos,*] quæ non debuerant prætermitti *in d. tit. 1. de his qui feud. dar. poſſ. §. hoc quoque*, vt nec prætermiſſa ſunt *in d. tit. 50. de natur. ſucceſſ. feud. ibi*, [*Ex latere omnes per maſculos deſcendentes.*] Niſi fortè prætermittendi color is fuit, quòd maſculi, qui per fœminas deſcendunt, non tam maſculorum, quàm fœmina

minarum iure censeantur, nec melioris condicionis esse debeant, quàm fœminæ, ex quibus,& per quas ab antiquioribus masculis descenderunt,vt *in l. si viua matre. 3. C. de bon. matern.* Ergo de masculis solis, & quidem per solos masculos descendentibus ex masculis, textus noster loquitur, vt appareat non loqui eum nisi de feudo paterno. Non autem vt putemus loqui eum de descendentibus, qui non sint sibi inuicem collaterales.Esset enim hæc non extensio superiorum,sed mutatio casus, vt ex supradictis constat.

VNVS tantùm scrupulus diluendus supereſt,quem aduersarij iniiciunt, *ex tit. 52. de prohib. feud. alien. per Lotharium, §. satis benè*,vbi tractat Imperator Lotharius de milite,qui bina beneficia à duobus dominis acquisiuerat, & decedens duos reliquerat filios, qui beneficia paterna inter se diuiserant. Alter eorum suo domino pro beneficio quod ad eum peruenerat fidelitatem, nullo anteposito & excepto,fecerat, sicuti pater. Alter verò frater pro suo beneficio alteri domino suo similiter, quia nullum alium dominum habere videbatur, nullo anteposito, fidelitatem fecerat. Defuncto posteriore fratre sine filiis, vtrumque feudum in vnam, vt priùs, venerat personam (sic enim haud dubiè legendum est, vt in Fragmentis Ardijonis : aut si minùs immutare velis, *in vnam venit, vt priùs personam*) & sic dominus posterior talem fidelitatem quærebat à priore fratre,qualem posterior frater fecerat,vt scilicet eam præstaret iuraret que simpliciter,nullo alio excepto domino, cùm tamen esset alius eius feudi dominus superior. Ille fortassis, cui prior frater iurauerat,aut alius

Responsio ad *l. 52. de prohib. feud. alienat. per Lothar. §. satis benè.*

quiſquis ille eſſet (nihil enim refert) quod verba illa indicant, [*Quia nullum alium dominum habere videbatur:*] ſupplendum enim neceſſariò eſt, [*cùm tamen haberet,*] vt poſſit fieri locus quæſtioni. Reſcribit Lotharius, has amputans altercationes, quod frater poſterior fecit, ſcilicet iurando ſimpliciter (nam & hîc emendandus textus eſt, in quo legitur vulgò *in dando*, pro *iurando*) nihil obeſſe fratri ſuperſtiti: *Licet*, inquit, *in ſecundam & tertiam generationem, & vſque in infinitum peruenit, ſi hoc actum erit.* Hîc verò inſultant, & ſibi gaudent aduerſarij, contendentes, quod apertiſſimum eſt, nec quiſquam inficiatur, tractari eo loco de feudo paterno; nec eo minùs tamen requiri hoc actum eſſe, vt in eo ſuccedatur vſque in infinitum, ad inducendam inter agnatos etiam à primo inueſtito deſcendentes ſucceſſionem feudi in infinitum & vltra ſeptimum gradum. Quid enim attinebat verba illa addere, *ſi hoc actum erit*, ſi iuris communis feudalis ratio ita ferebat, vt in eiuſmodi feudo ſuccedi poſſet in infinitum, ac ſine vlla graduum diſtinctione? Specioſa ſanè obiectio eſt, tantoque fortior, quòd textus ille poſterior eſt cæteris omnibus, qui in vtriuſque ſententiæ confirmationem adducuntur, vt proinde nouiſſimum ius continere videatur, quod per alios textus abrogatum fuiſſe dici non poſſit. Torquent ſe noſtri mirum in modum, vt ad obiectionem hanc reſpondeant, & alij quidem aliter reſpondent. Sed vereor ne nondum fortaſſe quiſquam dixerit, quod dicere & reſpondere oportuit.

Interpretatio ſupradicti textus in illis verbis, *ſi hoc actum erit.*

NIMIRVM, ſi quid noſtri iudicij eſt, non requiri à Lothario, quod aduerſarij præſupponunt, ſpecialiter actum eſſe, vt in eo feudo maſculi deſcendentes per

maſcu

maſculos ſuccedant in infinitum, quomodo ſpecialiter agi neceſſe eſt, & dici, vt filiæ in feudo ſuccedant, *tit. 1. §. hoc autem, de his qui feud. dar. poſſ.* quod certè falſiſſimum eſt, vt probauimus: ſed illud tantùm ſupradictis verbis ſibi velle Lotharium, quod pluribus hiſce verbis exprimere potuiſſet, [*Si hoc actum erit, vt in eo feudo ſuccedatur, non ſolùm in ſecundam, aut tertiam generationem; ſed etiam in infinitum.*] Quæ ſententia eò recidit, quaſi ſcriptum ſit: *ſi hoc actum non erit, vt feudum ad ſecundam, vel tertiam duntaxat generationem perueniat; ſed vt vſque in infinitum.* Nec enim fuiſſet neceſſe addi verba illa, *ſi hoc actum erit*, niſi præceſſiſſent illa, *licèt in ſecundam & tertiam generationem peruenit.* Quia quoties de certis gradibus loquimur, neceſſe eſt ponere id actum eſſe, vt vel in vltimo illorum graduum ſucceſſio conquieſcat, vel vſque in infinitum progrediatur, vt quod textus ait: *ſi hoc actum erit*, ſic accipi debeat, ac ſi ſcriptum eſſet, *prout actum erit*: aut, vt ad ſecundam vel tertiam vſque generationem tantùm progrediatur ſucceſſio; aut vt vſque ad infinitum. At cùm de nullo gradu, nullàque generatione mentio facta eſt, nil neceſſe eſt ponere actum eſſe de ſuccedendo in infinitum, vt vſque ad infinitum ſuccedatur. Ad quem enim duntaxat gradum ſuccederetur, nullis per inueſtituram præſcriptis gradibus? *d. l. 1. §. generaliter, de legat. præſt.*

SED & longè aliud eſt requirere vt quid actum ſit: aliud verò requirere vt actum ſit ſpecialiter. Id enim duntaxat ſpecialiter actum intelligi poteſt, quod expreſſim & ſpecialiter dictum eſt, *l. vlt. C. de nouat. l. ſemper in ſtipulationibus. 35. de reg. iur. iunct. l. qui vſumfructum. 58. de verb. oblig. l. aliam. 29. D. rat. rem haber.* Multa verò ſunt

Aliud eſt requirere vt quid actum ſit: aliud verò requirere vt actũ ſit ſpecialiter.

ſunt, quæ in contrahendo aguntur tacitè, etiamſi non dicantur, *l.pen.D.de euict.l. quòd ſi nolit.31.§. quia aſſidua, D.de ædilit.edict.* Eiuſque rei exemplum apertum & elegans eſt in nouationibus, quæ nec olim aliter fiebant, quàm ſi id actum eſſet, *l.2.l. ſi Stichum.8.§.1. & ſeqq. & paſſ.D.de nouat.* Neque tamen requirebatur vt id actum eſſet ſpecialiter ante, *d.l.vlt.C. eod.* niſi in caſibus illis *d. l.qui vſumfructum, & d.l.aliam.* ſi non potius Triboniano adſcribenda eſt dictio, [*Specialiter*,] in illis legibus poſita. Quod ſenſit vir doctiſſimus Iacob. Cuiac. *in Comm. ad tit.de verb.oblig.ad d.l.qui vſumfructum.* Præſumebatur enim actum pleriſque caſibus & ex variis coniecturis, vt fieret nouatio, etiam ſi nominatim & ſpecialiter id dictum non eſſet, vt puta ſi quid plus, aut minus poſteriore ſtipulatione, quàm priore cõtineretur: aut ſi noua perſona in poſteriore ſtipulatione interueniret: aut alia huiuſmodi, quæ Iuſtin. recenſet ac corrigit *in d.l. vlt. C. de nouat.* Itaque quoties legimus in Pandectis, *Nouationem fieri, ſi id actum ſit*, ſemper ſic interpretari debemus, vt tamen hoc ipſum actum intelligatur, ſi nihil in contrarium actum ſit. Quædam enim ſtipulationes ideo tantùm interponebantur, vt nouatio fieret, nouáque actio eſſet. Quales erant Prætoriæ ſtipulationes, quæ cautionales appellabantur, *l.1.§. cautionales, de Præt. ſtipul.*

Applicatio *l. dotem.30.D. de iur.dot.*

NEC diſſimile eſt, quod Paulus noſter ſcribit, *in l. dotem.30.D.de iur.dot.* Dotem quę in prius matrimonium data eſt, non aliter conuerti in poſterius matrimonium, quàm cùm hoc agitur; ſed ſtatim ſubiicit, *Dum hoc agi ſemper interpretemur, niſi probetur aliud conueniſſe.* Cum quo & Vlpianus conſentit *in l. Diuus Seuerus. 40. eod.tit.*

ERGO

ERGO & in propoſito, etiam ſi ſcriptum eſſet *in d.l. §. ſanè*, [*Succedere agnatos in feudo paterno vſque in infinitum, ſi id actum erit*,] nulla etiam ſecundæ, aut tertiæ generationis facta mentione, quod non ita eſt: adhuc tamen ſuppleri poſſet & deberet is locus per adiectionem poſitam *in d.l. dotem:* [*Dum tamen hoc agi ſemper interpretemur, vt in huiuſmodi feudo ſemper & vſque in infinitum ſuccedatur, niſi probetur in contrarium cõuenisſe, vt ad certum vſque duntaxat gradum ſuccedatur.*] Multa enim aguntur quæ non dicuntur, & quæ veniunt tacitè ex natura contractus, & negotij de quo tractatur: Alioqui nunquam non appareret quid actum eſſet, ſi aliud nihil actum intelligeretur, quàm quod dictum fuiſſet, contrà quàm tamen ſcriptum ſit, *in d.l. ſemper in ſtipulationibus*, aliiſque plurimis iuris noſtri locis.

APPARET igitur ex ſuperioribus, nullum iuris locum ſententiæ noſtræ obſtare, quæ ab interpretibus quoque frequentiore calculo recepta eſt: ei verò fauere quamplures, ad quos reſponderi nihil poteſt. Et conſequẽter non poſſe obiici Sereniſſimo Duci Sabaudiæ, quòd Carolus auus, tempore litis inſtitutæ, & in cuius primum perſona feudum apertum eſt, vltra ſeptimum eſſet gradum agnationis: cùm fateãtur aduerſarij, quod nec poſſint negare, ſi velint, fuiſſe Carolum ex maſculis deſcendentibus ab Aledramo primo inueſtito; & ex dicto Theodoro: adeoque fuiſſe ſolum maſculum, eo tempore quo litem inſtituit, ſuperſtitem.

Illatio ex præcedẽtibus, Carolum Ducem Sabaudiæ, auũ Ser^mi. Ducis, potuiſſe ſuccedere in feudo Marchionatus Montisferrati, quamuis eſſet vltra 7. gradum conſtiturus.

QVARE nec illud valdè curandum eſt, vt ad id reſpondeamus, quod iidem aduerſarij obiiciunt, multíſq; rationibus euincere conantur, In feudis ſuccedi vltimo

In feudis neq; vltimo poſſeſſori, neque primo inueſtito

Succeditur, nisi cùm feudi est hereditarium.

feudi possessori, non autem primo inuestito, vt nostri volunt. Nam si verum amamus, neque vltimo possessori, neque primo inuestito succeditur, cùm feudum non est hereditarium: sed quisquis succedit, à solo domino qui primum inuestiuit, aut saltem ab iis qui in locum eius successerunt, totum ius suum habere intelligitur, iure potius tacitæ cuiusdam inuestituræ, id est, quasi & ipse inuestitus. De quo certè dubitabit nemo, qui feudorum ius & progressum adprimè intelligat, qui, & qualis describitur *in d. tit. 1. de his qui feudum dar. poss. ff. & quia vidimus*. Vbi scriptum est, feuda hæc olim habuisse initia: Antiquissimo tempore sic fuisse in dominorum potestate feudum connexum, vt quando vellent possent aufferre rem in feudum à se datam. Postea verò eò ventum esse, vt per annum tantùm firmitatem haberent feuda. Deinde statutum esse, vt vsque ad vitam fidelis producerentur, ita vt ne quidem ad filios iure successionis pertinerent. Inde progressum esse, vt etiam ad filios deueniret: (sic enim legendum est, non vt vulgò *ad filias*, vt constat ex sequentibus illis, *in quem scilicet*, non *in quam*, quomodo scribendum fuisset, si de filiabus proximè dictum esset: Item ex *ff. hoc autem, eiusdem tit.*) Mox additur, *in quem scilicet dominus velit hoc beneficium confirmare*. Ex quibus verbis intelligimus necessariam olim fuisse specialem cõfirmationem in persona eius filij, qui in feudo esset successurus: nec aliter potuisse illum ad feudum admitti, quàm si specialem illam confirmationem obtinuisset à domino. Quę porrò confirmatio quid aliud esse, aut videri poterat, quàm præcedentis inuestituræ renouatio, & noua veluti quædam inuestitura? Idque adeò verum est, vt nec si filius

Initium & progressus iuris feudorum.

heres

heres patris fuisset, in eo tamen feudo citra specialem confirmationem succedere potuisset. Non magis quàm hodie filius eius, qui sine vlla inuestitura feudi possessionem nactus est, iubente domino, eamque rem quandiu vixit feudi nomine retinuit. Quo casu constat heredem eius, id est, etiam filium masculum, qui heres sit, in hoc iure nullomodò patri succedere; quia scilicet feudum sine inuestitura constitui nullomodò potest, *tit. 25. quib. mod. feud. constit. potest, in princip. lib. 1.* Quis verò dixerit inuestiti filium, qui & ipse fuerit ab eodem domino inuestitus, succedere primo inuestito in eo feudo? Imò verò succedit non tam in ius, quàm in locum primi inuestiti: hoc est, in ius par & æquale ei iuri, quod primus inuestitus habuit ab inuestiente. Et quamuis hodie nulla eiusmodi opus sit speciali confirmatione, postquam ita stabilita sunt feuda, vt ad omnes filios æqualiter perueniant; quemadmodum scriptum est *in d. §. & quia vidimus*: hoc ipsum tamen quod hodie obtinet, vt sine vlla speciali cõfirmatione filius paternum feudum retinere possit, non aliam vim & rationem habet, quàm quòd eò tandem progressum sit, vt in persona filij; aut si plures sint, in omnium personis, feudum æqualiter tacitè confirmatum intelligatur. Cui consequens est vt idem ergo ius hodie sit filij in feudo paterno succedentis citra confirmationem vllam specialem, quod olim erat interueniente confirmatione. Ac proinde vt qui succedit in feudo, succedat iure quasi inuestituræ nouæ; aut saltem veteris renouatæ; non autem quasi heres primi inuestiti, non magis quàm vt quasi heres vltimi possessoris. Ideóque benè textus in *tit. de feud. March. §. si Capitanei, lib. 1.* sic loquitur, non vt

De filio & herede eius qui sine vlla inuestitura feudi possessione nactus est, iubente domino.

Filij hodie succedunt in feudo iure tacitæ cuiusdam confirmationis.

dicat, ſuccedere fratres vel nepotes in beneficium patris & aui; ſed ſuccedere in beneficium [*per inueſtituram patris & aui.*] Beneficium enim eius eſt qui dat, non eius qui accipit, vt eleganter Seneca in libris de Beneficiis: nec poteſt dici beneficium patris, aut aui, quod pater, aut auus à domino habuit, manetque beneficium domini, ex cuius liberalitate frater, aut nepos feudum retinet, perinde ac pater, aut auus habuit; nec minùs quàm ſi confirmatio aliqua interueniſſet. Quo veluti remedio benè proſpectum eſt dominis, vt feudi & beneficij nomen retineret res in feudum data, ne per longioris temporis antiquitatem eueniret, vt obliuio inuaderet, cuius beneficium antea fuiſſet, id eſt, cuius beneficio ea res ad poſſeſſorem ſuum peruenisſet. Semper autem verum eſt peruenisſe beneficio eius ſolius, qui primus dedit, licèt alius hodie ſit, qui poſſidet, quàm cui primùm data fuit. Non enim tollere debet memoriam beneficij, ſed augere potiùs vaſallorum ſucceſſio & ſucceſſorum multiplicatio. Sic dicimus heredes legitimos in hereditatibus ſuccedere quaſi ſcriptos, *l. ab exheredati. 126. de legat. 1.* Non quòd reuera ſcripti ſint; ſed quia veniunt ex tacito iudicio defuncti, perinde ac ſi eſſent ſcripti; & ob eam nimirum cauſam fideicommiſſo grauari poſſunt, *l. conficiuntur. 8. iunct. l. 3. in princ. D. de iur. codicill.* Sic Papinianus, Codicillos ante teſtamentum factos negabat aliter valere poſſe, quàm ſi teſtamento, quod poſtea factum eſſet, vel codicillis confirmarentur, aut eorum voluntas quocunq; iudicio retineretur, *l. ante tabulas. 5. eod. tit.* Sed tamen magis placuit Imperatoribus Seuero & Antonino, vt etiam ex codicillis, qui teſtamẽtum præceſſerunt, poſſit fideicommiſſum peti; ſi modò

Simile de heredibus ab inteſtato ſuccedentibus, tanquã tacitè inſtitutis.

Aliud exemplũ ſimile tacitæ cõfirmationis.

si modò non appareat eum, qui testamentum fecit à volũtate, quam in codicillis expresserat, recessisse. Quasi hoc ipso, quo non apparet mutatam fuisse voluntatem, credendum sit satis confirmatos tacitè fuisse codicillos; nec sit necessaria specialis illa confirmatio, quam Papinianus exigebat, vt Iustin. scribit *in §. non tantùm, Inst. eod. tit. de codic.* Non quasi nulla confirmatio necessaria sit, sed quoniam tacita sufficiat, quæ expressæ ac specialis loco est. Similiter & in feudis dicimus, specialem illam primæ inuestituræ confirmationem non esse hodie necessariam, quę olim erat necessaria, *d. § & quia vidimus.* Non quasi post mortem primi inuestiti nulla sit opus confirmatione ac inuestituræ renouatione; sed quia sufficit tacita, quæ facta intelligitur hoc ipso, quo is in feudo succedit; quem leges feudi iubent succedere, aut pactiones, aut conuentiones appositæ in inuestitura ad successionem admittunt. Quisquis ergo succedit, per inuestituram quidem primi succedit, sed non tam primo inuestito, quàm quasi & ipse suo nomine inuestitus; nec tam succedit feudatario, quàm in feudo.

Applicatio exẽplorum supradictorum.

INDE fit, quod iam attigimus, vt qui succedit in feudo, si non sit filius, sed tantùm agnatus; adeóque etiamsi sit nepos ex filio, non cogatur hereditatem, quamuis delatam, agnoscere: nec magis primi inuestiti quàm vltimi possessoris, nisi cùm feudum est hereditarium, *tit. 45. an agnat. vel fil. defunct. poss. retin. feud. repud. hered.* Paris. *cons. 2. num. 3. lib. 1.* Dec. *cons. 395. col. pen. num. 7. & cons. 44. num. 5.*

Applicatio *tit. 45. an agnat. vel fil. defunct. poss. retin. feud. repud. hered.*

IN eamque rem textus est elegantissimus, & apertissimus *in tit. 17. de eo qui sibi, vel hered. suis mascul. & fœmin. inuest. accep. lib. 2.* vbi licèt respondeatur pro mas-

Explicatio *tit. 17. de eo qui sib. vel hered. suis mascul. & fœmin. inuest. accep. lib. 2.*

culo, qui feudum totum ſibi vindicabat, quòd ſolus heres eſſet eius qui primus inueſtituram acceperat, excluſa fœmina: non ideò tamen admittitur maſculus quòd ſit heres, ſicut nec ideo excluditur fœmina quòd heres non ſit: ſed vtrumque idcirco duntaxat, quòd in ſucceſſione feudi non pareat locus fœminæ, quandiu maſculus aliquis ſupereſt, ex eo qui primus de hoc feudo fuerit inueſtitus. Vt proinde ſi maſculus nullus fuiſſet, non eo minùs ſucceſſura fuerit filia, quòd primi inueſtiti heres non eſſet. Quamquam, ſi verum amamus, quod ait textus, [*Maſculo quidem hoc feudum totum ſibi, quia ſolus eius, qui primò inueſtituram accepit, heres maſculus ſit, vindicante:*] non ita debet accipi, quaſi in ea ſpecie maſculus eſſet ſolus heres primi inueſtiti; ſed ſic potiùs, vt ex vſu feudorum, *heredem* dixerit, pro *deſcendente*. Ob idque adiicitur ſtatim, *maſculus*. Id enim tantùm contendebat filius ex altero filiorum ſuperſtes, ſe ſolum eſſe deſcendentem maſculum: non autem ſe ſolum eſſe heredem, & vniuerſalem ſucceſſorem eius, qui primus fuerat inueſtitus. Neque ſanè fieri poterat in illa ſpecie, vt maſculus eſſet ſolus heres, cùm is qui ſibi, & heredibus ſuis maſculis & fœminis feudum acceperat, deceſſiſſet, relicta filia vnica herede ex aſſe, quæ quidem poſtmodùm nupta ſuſceperat duos filios ex marito, cui in dotē feudum dederat: iiſdemque ab inteſtato heredibus relictis deceſſerat, atque ita feudum ad omnes ſimul æqualiter peruenerat. Itaque cùm alter filius deceſſiſſet, relictis duabus tantùm filiabus; alter verò ſuperſtite maſculo, dubitari non poterat, quin neptes ex perſona patris ſui ſucceſſiſſent auiæ; & ex auiæ perſona,

proauo,

proauo, qui primus feudum acceperat; non minùs quàm masculus ex alio filio superstes ex persona itidem patris sui, *§. cùm filius, Inst. de hered. quæ ab intest. defer.* Idque est quod textus ait: [*fœminis verò totam sui patris partem sibi defendentibus.*] Non poterat igitur masculus dicere se solum heredem & successorem vniuersalem proaui, qui primus fuerat inuestitus: nec eo minùs tamen succedit in toto feudo, vt appareat in successione feudi non magis inspici quis succedat primo inuestito, quàm quis vltimo possessori: quia scilicet succeditur quidem per primam inuestituram, id est, propter primam inuestituram, quæ in descendentium omnium personis confirmata intelligitur, vt diximus; Sed non primo inuestito; at pari iure quo primus inuestitus, licèt non nisi post eum, & quodammodò propter eum: hactenus scilicet vt probandum habeat, qui succedit, se à primo illo inuestito descendisse, non quasi ei succedat, sed vt appareat esse illum ex iis personis, in quibus prima inuestitura confirmata intelligitur.

In feudis sicut non succeditur primo inuestito, ita nec vltimo possessori.

Successionis nomen habet duplicē significationem, naturalem, & ciuilem.

Sed si verum est quod volumus, In feudis non succedi primo inuestito, contrà quàm vulgò Interpretes sentiant; multo magis illud verum est, non succedi vltimo possessori. Nec contrarium est quod scribitur *in d. tit. 1. de his qui feud. dar. poss. §. & quia vidimus, vers. cùm verò fratri sine legitimo herede defuncto, fratrem in beneficio, quod patris eorum fuit, succedere.* Debet enim id intelligi de successione non ciuiliter, sed naturaliter sumpta: id est, ita vt frater dicatur fratri succedere, non quasi succedens in vniuersum ius, quod frater habuerit; sed quasi subintrans in locum fratris. Quemadmodum

modum in tractatu legis Vellææ, dicitur nepos ſuccedere in locum filij, & ſuccedendo rumpere teſtamentum aui, non per viam ſucceſſionis hereditariæ (nec enim poterat filiusfamilias eo iure habere heredem, præterquàm ſi de peculio caſtrenſi teſtatus fuiſſet, *l. vlt. §. 1. D. ad S.C. Tertyll. l. 1. & 2. D. de caſtren. pecul.*) ſed ſubintrando in locum patris, & occupando primum gradum, quem pater viuus occupauerat, *l. Gallus, 29. §. ſequenti parte, & §. videndum, D. de liberis & poſthum.* Ex quo loco, itémque ex *l. coheredi. 41. §. vlt. de vulg. & pupil. ſubſt. & aliis ſuprà citatis*, apparet longè aliud eſſe [Succedere quem in locum alterius:] & [ſuccedere in ius alterius tãquam heredem.] Nec proinde neceſſe eſt vt recurramus ad eam reſponſionem, quam nonnulli adferunt, vt *ſuccedendi* verbum hîc impropriè vſurpatum ſit: ſed tantùm diſtinguenda eſt duplex huius verbi ſignificatio: naturalis vna, ciuilis altera: quarum quæ naturalis eſt, ea non impropria, ſed magis propria videri debet. Sic namque dicimus, Bonorum appellationem eſſe duplicem, naturalem & ciuilem: Naturaliter bona dici ex eo quòd beent & proſint, ac proinde illa quæ plus habent commodi quàm incommodi: quæ propria huius nominis ſignificatio eſt, *l. bonorum. 49. l. propriè. 83. de verb. ſignific.* Ciuiliter verò & impropriè, id eſt, contra ipſam nominis etymologiam, illa etiam quæ plus habent incommodi, quàm commodi, *l. 1. 2. & 3. D. de bonor. poſſ.* vbi obſeruandum eſt, quòd Vlp. ſic loquitur [*In hoc loco propriè bona appellabuntur.*] Non enim ſimpliciter ait, Propriè dici hæc bona, ſed addit, *in hoc loco*, id eſt, in Edicto de bonorum poſſeſſionibus: quia bonorum poſſeſſio

Aliud eſt ſuccedere quẽ in locum alterius: aliud verò ſuccedere in ius alterius, tanquã heredem.

possessionem voluit Prætor esse vice hereditatis, vt & bonorum possessorem vice heredis, *l. Prætor. 117. de reg. iur. l. hereditatis. 138. de verb. signif. l. 2. D. de poss. hered. petit.* Sed extra illum tractatum, non dicuntur propriè bona, quæ plus habent incommodi, quàm commodi, *d. l. propriè. l. non possunt. 11. D. de iur. fisc.* Similiter & [Succedere alteri] propriè dicitur & naturaliter, qui in alterius locum succedit. Vnde & [Succenturiati milites] olim dicebantur : Impropriè verò & ciuili magis, quàm naturali nominis significatione, qui succedit in ius & in bona alterius. Primo modo succeditur in feudis, secundo autem in hereditatibus. Succeditur autem in feudis primo modo, non minùs vltimo possessori, quàm primo inuestito : imò multo magis cùm inuestito ius quæsitum sit per inuestituram propriam: vltimo autem possessori per alienam, *d. cap. 1. §. si Capitanei, de feud. March.* Alex. *conf. 29. quoniam abundè, nu. 3. lib. 1.* post Bart. Bald. & alios *ibi relatos :* vt proinde maior ratio sit existimandi, Eum qui succedit in feudo, quisquis ille sit, succedere in ius primi inuestiti, quàm succedere in ius vltimi possessoris. Verum tamen illud est, neque in huius, neque in illius ius succedere; sed in vtriusque locum, vt ostendimus : quasi dato per ordinem feudo masculis omnibus descendentibus à primo inuestito, vt dici solet de fundo pluribus ex ordine per fideicommissum relicto, vt à præmorientibus transeat in superstites : Puta si testator fundum in familia relinqui iusserit, vt *in l. omnia. 32. aliàs l. cùm ita. §. in fideicommisso, l. peto. 69. §. fratre, de legat. 2.* quasi singulis & omnibus ad vitam duntaxat inuestitis, *tit. 26. si de feudo defunct. content. sit int. dom. & agnat. vasall. §. Ti-*

Simile de fundo pluribus ex ordine per fideicommissum relicto.

tius, lib. 2. & tit. 3. per quos fiat inueſt. §. ſed etiam res, & tit. 39. de alien. feud. patern. eod. lib. Nec tam videtur vna conceſſio facta primo inueſtito, & ex ordine omnibus ab eo deſcendentibus, quàm tot conceſſiones & inueſtituræ, quot erunt perſonæ ſuccedentium, vt iam ante nos ſcripſit Calder. *conſ. 13. tit. de feud.* poſt Andr. de Iſern. *in cap. 1. §. quid ergo, & §. donare, qualit. poter. olim feud. alien.* & Camer. *in c. 1. §. præterea Ducatus, de prohib. feud. alien. per Frider.* Vbi obſeruandum eſt, præſertim *d. tit. 39. de alienat. feud. patern. in princ.* quòd textus ait, In alienatione feudi paterni debere agnatos omnes conſentire, *ad quos*, inquit, *beneficium ſit quandoque reuerſurum*, vt ſignificet non ſuccedere illos ex iure aliquo nouo, ſed ex vetere, primæ nimirum inueſtituræ: nec tam ad eos feudum venire, quàm reuerti: denique non tam perſonæ ſucceſſionem eſſe, quàm feudi & beneficij, vt loquitur text. *in tit. 11. de ſucceſſ. fratr. vel gradib. ſucced. in benef. ibi: Ad cognatos enim eius beneficium non pertinet, neque beneficij ſucceſſio*, & aliis pleriſque locis. Vnde etiam eſt quòd inueſtituram vltimo quoq; poſſeſſori factam non ſolùm nouam inueſtituram appellamus, ſed etiam veriùs, & magis propriè, [Renouationem inueſtituræ,] vt appareat non tam eſſe illud ius nouum aliquod in perſona vltimi poſſeſſoris, quàm renouatum idipſum ius vetus, quod per mediam primi inueſtiti perſonam in omnibus ex eo deſcendentibus perſonis fuerat iam inde ab initio, vt ita dixerim, radicatum, *tit. 19. Conſtit. feudal. D. Lothar. Imper. §. ſi quis miles*, in poſtremis illis verbis [*Frater patris in beneficium aui defuncti ſuccedit,*] *lib. 1. & tit. 26. ſi de feud. defunct. content. ſit, §. Titius, lib. 2. & d. tit. 14. de feud. March. §.*

Beneficiũ non tam acquiri intelligitur illis, qui in feudo ſuccedũt, quàm ad eos reuerti.

ſi Ca

si Capitanei, lib. 1. Habẽt quidem omnes illud ipsum ius, quod habuit primus acquirens; sed non ab ipso primo acquirente: multo minùs ab vltimo, sed ab eo domino qui primum acquirentem inuestiuit, quique omnibus à primo inuestito descensuris beneficium iam inde ab initio dedisse intelligitur, tanquam non in ius, sed in locum primi successuris, idemq; ius per mediam quidem primi personam, sed ex proprio tamẽ capite habituris.

Aduersariorũ obiectio, & ad eam responsio.

In feudo succedunt priores tanquam proximiores, qui sunt ex eadem linea, exclusis transuersalibus aliarum linearum: Et quare, & quo iure.

NEC est contrarium quod in feudo succedunt priores tanquam proximiores, qui sunt ex eadem linea, exclusis transuersalibus aliarum linearum, *d. tit. 10. de natur. success. feud. vers. dummodò scias, & vers. & hoc est, vsque ad finem.* Id enim rationem illam habet, non quòd vltimo possessori feudi succedatur; sed quia per diuisionem factam inter plures filios primi acquisitoris, quorum vni feudum totum obtigit, sicut acquiritur ius ei vt totum feudum habeat, exclusis non quidem in perpetuum, sed interim fratribus: Ita & quæ ex ipso descendit linea, quandiu aliquis ex ea masculus supersit, necesse est vt transuersalem fratrum lineam excludat, non quòd superstes masculus sit proximior vltimo defuncto, aut primo inuestito, sed quasi sit ipse prior in inuestitura comprehensus, tanquam quæ facta sit primo inuestito pro eo & masculis quidem omnibus ex ipso descensuris; sed tamen pro ea priùs linea cui feudum obtinget. Præfertur itaque cæteris tanquam proximior superstes ex linea cui feudum obtigit, nec tanquam proximior simpliciter ei qui decessit vltimus, sed tanquam proximior inuestitus: & quamuis succederet vltimo defuncto, & tanquam ei proximior, succederet

Cur in feudis inſpiciatur quis proximior ſit vltimo defuncto.

tamen in locum, non in ius ipſius. Proinde inſpicitur quis proximior ſit vltimo defuncto, non vt in ius ipſius ſuccedatur; ſed tantummodò vt ſciatur quis in eius locum ſubintrare debeat, ad feudum iure proprio & ex prima inueſtitura occupandum. Nam & ſimiliter in fideicommiſſo fundi, quem quis in familia relinquere iuſſus eſt, proximior quidem videtur primo loco inuitatus, & quidem proximior vltimo decedenti, qui iam fideicommiſſum obtinuit, *d. l. peto. 69. §. fratre, de legat. 2.* ſed non quaſi in eo fundo ſuccedat defuncto vltimo poſſeſſori, ſed hactenus duntaxat, vt in eius locum ſubintret, eúmque occupet.

Alia obiectio aduerſariorũ.

In feudis ſuccedunt etiã illi, qui neque nati, neque concepti fuerũt, morientе primo inueſtito: Et quare: & quo iure.

MINVS etiam illud obſtat, quod iidem aduerſarij obiiciunt, ſi ex perſona primi inueſtiti, non item vltimi poſſeſſoris in feudo ſuccederetur, futurum vt non alij poſſent ſuccedere, quàm qui moriente illo qui primus inueſtitus fuiſſet, aut iam nati, aut ſaltem concepti reperirentur, cùm alioqui proximior dici non poſſit, qui alium nullo proximitatis, aut ſanguinis iure contingit, *l. 1. §. ſi quis proximior, D. vnd. cognat. l. Titius. 9. & ſeq. D. de ſuis & legit.* Quod tamen non ita eſſe certum eſt. Succedit namque in feudo quiſquis ex eorum numero eſt, qui in prima inueſtitura cõprehenſi ſunt, quantocunq; gradu diſtet à primo inueſtito, vt ſuprà diximus, ſi modò probetur ex eo deſcẽdiſſe, *d. tit. 31. ſi vaſall. feud. priuet. cui defer. & d. tit. 50. de natur. ſucceſs. feud.* licèt neque natus, neque conceptus fuerit tempore mortis primi inueſtiti: dum tamen aut natus, aut ſaltem conceptus fuerit, moriente eo qui fuit vltimus feudi poſſeſſor.

Reſponſio ad

NAM reſpondemus ex hac obiectione, Nihil aliud infer

inferri posse, vt neque ex præcedente, quàm quod nos vltrò ac libèter admittimus, In feudis non succedi primo inuestito, iure vllo hereditario, non magis quàm vltimo possessori; sed in vtriusque locum subintrare illum qui feudum occupat. Qui porrò non aliter potest subintrare & occupare locum primi inuestiti, quàm si priùs subintret locum vltimi possessoris, per cuius quippe personam, aliasque intermedias prædecessorum primo inuestito coniungitur. Vltimi autem possessoris locum ita demùm subintrare potest, si eo moriente fuerit in rerum, aut saltem in hominum natura, & in vtero. Non quasi in iura, quæ vltimus ille habuit, successurus, vt malè aduersarij existimant: sed quia feudum statim aperiretur domino, & ad eum reuerteretur, si eo instanti, quo vltimus possessor moritur, nemo extaret, aut expectari deberet, qui ad feudum ex prima inuestitura admitti posset. Semel autem reuersum ad dominum, postea discedere ab eo, sine noua inuestitura nunquam posset: vt & *in l. Paulus. 47. §. pen. D. de bon. libert.* Bart. *in l. item Prætor. 9. de suis & legit. & ad l. quod dicitur. de verb. oblig. l. si ego. 9. §. si res, D. de iur. dot.* Alia ergo causa est successionum hereditariarum, in quibus non alius potest succedere, quàm qui vel natus, vel saltem conceptus fuit, viuo eo cui vult succedere: Alia verò feudalium, in quibus nihil aliud exigimus, nisi vt qui succedit, ex eo qui primus inuestitus est, descederit per rectam lineam masculinam. Et ratio diuersitatis euidens & obuia illa est, quòd in hereditatibus is demùm succedit, cui lex, aut Prætor defert successionem; quæ porrò nunquam defertur, nisi filio, aut matri, aut agnato, aut cognato proximiori illius, de cuius bonis agitur: At feudalis suc-

obiectionem aduersariorũ.

Ratio diuersitatis inter feudales successiones, & hereditarias.

ceſſio non tam ex lege aliqua defertur, quàm ex conuentione & inueſtitura, & ex volũtate domini feudum concedentis: à qua voluntate alienum eſt quærere, an qui ſuccedere vult, natus fuerit, aut conceptus viuo eo, qui primus fuit inueſtitus. Sed illud tantùm inſpiciendum eſt, an ſit ex illis, de quibus cogitauit dominus, & qui ſunt in inueſtitura comprehenſi.

In feudis omnibus, ſed maximè dignitatum, ſucceditur inter tranſuerſales deſcendẽtes in infinitũ.

ET ſi verò generaliter in feudis omnibus obtinet, quod diximus, vt in iis detur ſucceſſio in infinitum, etiã inter trãſuerſales deſcendẽtes à primo inueſtito, quando feudum ſemel fuit radicatum in perſona vnius ex deſcendentibus, *ex d.tit.50.de natur.ſucceſſ.feud.& tit.31.ſi vaſall.feud.priuet. cui defer. lib.2.* id tamen multo certius & indubitatè procedit in feudis dignitatum, quale eſt hoc de quo tractamus Marchiæ Mõtisferrati: ſic namq; Baldus, & poſt eum Præpoſ. Laudenſ. Afflict. & cæteri *in c.1.de feud.March.lib.1.* Iul.Clar. *de feud.quæſt.79.* Dec. *in l.certum.nu.91. C. vnde legit.* Guill.Bened. *in verb.& vxorem nomine Adelaſiam, prælud.4. num. 92.* cum aliis innumeris, qui in hanc rem citari poſſent. Nec ferè eſt, ſi aduerſarios excipias, qui à Baldo diſſentiat. Eſt enim hoc ſanè conuenientiſſimum, vt ad perpetuanda huiuſmodi feuda dignitatum, ſuccedatur ſaltem in iis vſque ad infinitum, quòd non modò agnatis ſuccedentibus, ſed etiam ipſi domino feudi honorificentius id videri debeat tales habere quamplures feudatarios, licèt neceſſaria ſit in ſingulis ſucceſſoribus renouatio inueſtiturę, vt tanto magis obligetur quiſquis feudum poſſidet, ad fidelitatem domino exhibendam, *d.tit.14.de feud.March. in princ.* ſcilicet niſi in prima inueſtitura comprehenſi ſint generaliter omnes à primo inueſtito deſcendentes,

Explicatio tit. 14. *de feud. March. in princ.*

vt

vt in casu proposito. Sic enim is locus intelligi necessariò debet. Nec obstat quod *in §. si Capitanei, ad fin. eod. tit.* textus loquitur tantùm de cõsobrinis, in illis verbis, [*Et similiter intelligendum est in consobrinis.*] Nam siue vulgatam lectionem retineas, quæ retineri commodè potest, & intelligi de filiis sororum, si ponas feudum fœmineum esse, de quo *in tit. 30. de feud. fœm. lib. 2.* siue cum Hotomano emendes & legas, [*sobrinus,*] non, [*consobrinus:*] siue cum Cuiacio intelligas de patruelibus, quorum isti in quarto gradu sunt, illi in sexto, *l. Iurisconsultus. 10. D. de gradib. & adfin.* non ait textus non succedi nisi vsque ad consobrinos, aut sobrinos; sed exempli tantùm causa de iis loquitur, tanquam de quibus dubitari minùs posset, quin ad feudi successionem admittendi essent, etiam inspecto iure illo vetere, de quo suprà diximus *ex §. hoc quoque, tit. 1. de his qui feud. dar. poss. & tit. 8. de succes. feud. §. hoc quoque.* Prẽter id quod dici etiam potest *in d. §. si Capitanei*, non tractari de feudo Marchiæ, de quo in principio tituli; sed de beneficio nouo simpliciter, cuius successionem strictiorem, minúsque fauorabilẽ esse plerique Doctorum volunt, quos retulimus: etsi nos omnium feudorum, siue simplicia sint, siue dignitatum, eãdem rationem esse arbitramur, vt si verba inuestituræ non repugnẽt, succedãt in iis omnes descendentes à primo inuestito, vsque ad infinitum.

Conclusio.

MANEAT igitur firma conclusio, non eo minùs potuisse Carolum Ducem Sabaudiæ in Marchionatu Montisferrati succedere, quòd vltra septimum gradum distaret, tã à Ioanne Georgio vltimo Marchione, quàm à Theodoro, cùm sit in confesso fuisse illum ex masculis

In confesso est Ser^mum Sabaudiæ Ducẽ Carolum, qui pri-

mos hãc litem instituit, fuisse ex masculis descendentibus à Theodoro.

lis descendentibus à Theodoro, qui primus fuerat inuestitus ex familia Paleologa, qui tamen & ipse quoque ex linea Aledrami per fœminam descenderat, & ex iis erat, quos prima inuestitura Ottoniana comprehenderat.

Alia aduersariorũ obiectio, ex eo quòd hoc feudum sit hereditariũ: Carolus autẽ Dux Sabaudiæ non fuerit heres primi inuestiti, neque ex proprio capite, neque per mediã vltimi possessoris personã.

AT rursus insultant aduersarij, negantque potuisse Carolum succedere, quòd feudum, de quo agimus, sit hereditarium, tanquam quod Theodorus olim acceperit pro se & suis heredibus masculis & fœminis. In feudo autem hereditario non alius possit succedere, quàm qui sit heres primi inuestiti, siue ex suo capite, siue per mediam vltimi possessoris personã, ex traditis per DD. *in tit. 17. de eo qui sibi, vel hered. suis, lib. 2.* Iul. Clar. *de feud. q. 9. vers. nunc prosequendo*, post Dec. *cons. 445. num. 8.*

Variæ responsiones.

VERVM leuissima obiectio est, & ad quam optimè responderunt, qui pro Sereniss. Duce Carolo iam olim scripserunt.

Prima responsio.

PRIMVM quia feuda dignitarum hoc specialiter iure vruntur, vt non admittant successionem vllam hereditariam, nec tam ex causa successionis hereditariæ deferantur, quàm ex pacto & inuestitura, vt scriptum est *d. tit. 14. de feud. March.* & ibi notant, præsertim Bald. *& in d. § hoc quoque, de succes. feud. & ad d. tit. de eo qui sibi, vel suis hered.*

Secũda responsio.

DEINDE quia quod dicimus, Feudum hereditarium ad eum qui heres non sit pertinere non posse, hũc sensum habet, vt si cui delata sit hereditas, non possit ea repudiata feudum retinere, quomodo loquitur text. *in tit. 45. an agnat. vel filius, lib. 2.* Nõ autem ita vt feudum hereditarium amittere agnatus debeat, ob id solùm, quòd

Explicatio *tit. 45. an agnat. vel filius lib. 2.*

quòd heres esse non possit, etiamsi maximè velit, non delata ei hereditate. Alioquin esset in potestate possessoris morientis sine masculis, alium heredem instituendo feudum eripere agnato proximo, qui tamen tanquam agnatus succedere debeat ex lege feudi. Feudum enim quamuis hereditariũ, tamen feudum est, iisdémq; legibus & condicionibus regitur feudorum, quibus & feudum simplex, rectumque regitur; nisi quantum ad hoc, quòd hereditarium est, nec repudiata hereditate per eum cui delata fuerat retineri potest: quod secus esset in feudo nõ hereditario, *d. tit. 45. an agnat. vel fil. lib. 2.* Quamquam & cùm feudum hereditarium est, placet nostris, & rectè, non illud requiri, vt qui in feudo succedit, heres sit in vniuersum primi inuestiti: sed sufficere vt sit heres ex aliqua parte vel minima: quasi in feudis non cõsideretur hereditas distributiuè, sed sola heredis qualitas denominatiuè, inquit Io. Baptist. Surdus *ad d. tit. an agnat. vel filius, num. 24. & 25.* post Iacob. de Bellouisu & Bald. ibi relatos: Bart. *in l. vt iurisiurandi. §. si liberi, D. de oper. libert.* Bald. *ad tit. 3. de succes. feud. vers. quæro vtrum filius*, Alex. *cons. 26. incip. ponderatis, num. 9. lib. 5.* In proposito autem negari non potest, quin Ser^mus. Dux Carolus successerit Theodoro primo inuestito in castris Lancei, Ciriaci, & Casellarum, quæ Theodorus in dotem dederat filiæ suæ Violandæ, vt essent ei loco legitimæ, & quæ etiamnum à Ser^mo. Duce nostro possidentur. Etsi enim certum est, legitimam non tam hereditatis partem esse, quàm bonorum, quia non nisi deducto ære alieno constituitur, vt omnes tractant *ad Auth. nouissima, C. de inoff. testam. ex l. Papinianus. 8. ff. quarta autem, D. de inoff. testam.* Attamen illud quoque

In successione feudi etiam hereditarij, non nocet volenti succedere, quòd non sit heres, si non sit ei delata hereditas.

Vt quis succedat in feudo hereditario, nõ requiritur q̃ sit heres ex asse, sed sufficit vt sit heres ex parte aliqua, vel minima.

Filius, qui legitimam habet, quomodo habere debet titulo institutionis, pro herede partiario quodammodò est.

non minùs certum est, legitimam relictam titulo institutionis, quomodo relinqui eam hodie debere omnes Interpretes consentiunt, *ex ſ. aliud quoque capitulum, Nouell. 115. vt cùm de appell. cognoſc.* perinde admittere ius adcrescendi in tota hereditate, ac si legitimarius haberet partem hereditatis, vt tradit Bart. *ad l. quoties. 13. C. de hered. instit.* Atqui cùm dicimus dotem succedere loco legitimæ, *ex l. quoniam. Nouell. 29. C. de inoff. testam.* & ex traditis per DD. *in l. Titio cẽtum. §. Titio genero, de condic. & demonstr.* de ea legitima intelligitur, quę relicta sit titulo institutionis: adeò vt liberos, quibus legitima in contractu dotali data & prorogata est, non sit necesse in testamento institui, aut exheredari, cùm habeantur iam pro institutis in legitima, vt tractat Iul. Clar. *in ſ. testamentum, quæst. 38.* Habendi ergo etiam sunt pro heredibus, hactenus saltem, vt non minùs feudi sint capaces etiam hereditarij, quàm si reuera heredes essent ex parte aliqua hereditatis, vt non tam titulus successionis spectetur, quàm causa & origo bonorum, *arg. l. tutor. 69. D. de fideiuſſ.* Præsertim cùm dos illa, quæ loco legitimæ cõstituta fuerat Violandæ à Theodoro patre, in dictis castris Lancei, Ciriaci, & Casellarum, constituta esset in parte feudi, non in cæteris bonis minimè feudalibus: qui casus maiorem fortassis haberet dubitationem. Quidni enim capax sit habendi totius feudi hereditarij is, qui iam partem aliquam eiusdem feudi habeat, licèt alio iure quàm hereditario? Nec enim sicut hereditas, ita & feudum negari potest consistere propriè in re aliqua singulari. Estque in hanc sententiam textus, meo iudicio & perelegans & accommodatus, *in l. etsi non totam. 13. & seqq. D. si quis omiſſ. cauſ. testam.* vbi scriptum

Legitima per patrem constituta filię in bonis feudalibus, facit eam capacem totius feudi, etiã hereditarij.

Applicatio *l. etsi non totam. 13. & seqq. D. si quis omiſſ. cauſ. testam.*

ptum eſt, Etſi nõ totam aliquis hereditatem, partémve eius, ex qua heres inſtitutus eſt, ab inteſtato poſſideat; ſed vel minimam portiunculam, vel etiam vnam aliquam rem ſingularem, teneri eum Edicto illo, *ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam.* ad ſolutionẽ legatorũ & fideicommiſſorum, quamuis non propriè pars hereditatis in vna re intelligatur, *§. ſi quis vna. Inſt. de fideic. hered.* Nam ſi in actione odioſa id obtinet, qualis illa eſt quæ ex Edicto illo competit, qua parte pœnalis eſt, licèt ex parte actoris contineat rei perſecutionem, *l. de libertatibus. 12. §. 1. eod. tit.* quidni multo magis idem dicendum eſt in caſu fauorabili, qualis ille eſt, de quo nunc tractamus, vt fiat capax habendi totius feudi is, qui iam partem feudi habet? quiſque ex iis eſt, qui feudum totum ex inueſtitura habere poſſunt? Etſi namque in feudis ius adcreſcendi non habet locum: eſt tamen fauorabilior ſemper feudi ſucceſſio in eius perſona, qui iam partem feudi poſſidet; præſertim cùm agitur de feudo dignitatis, quod ſui natura indiuiſibile eſt, vt tractant omnes *ad tit. 14. de feud. March.* Nec enim per diuerſas & ſeparatas inueſtituras acceperat Theodorus in feudum ab Imper. Hẽrico VII. caſtra Lancei, Ciriaci, & Caſellarum, ſed per eam ipſam inueſtituram, per quam & totum reliquum Marchionatum acceperat. Cur non ergo pro parte heres Theodori cenſeri debuit Dux Carolus, quantum ad cauſam feudi attinebat, cùm partem feudi ab eo ipſo poſſideret, titulo quidem dotis, ſed in vicem tamen portionis legitimæ & hereditariæ ſucceſſionis? Facit textus *d. tit. 17. de eo qui ſibi, vel hered. ſuis, lib. 2.* Afflict. *in prælud. feudor. num. 92.*

Feudum dignitatis ſui natura indiuiſibile eſt.

Tertia reſponſio.

SED præcipua pro nobis ad obiectionem iſtam, reſponſio, & ratio eſt, quòd non ſolùm ex inueſtitura vel Ottoniana, vel Henriciana, quarum illa Aledramo, hæc Theodoro Paleologo facta eſt, Marchionatũ petit Ser^mus. Dux Sabaudiæ; ſed ex pacto dotali, quo conuenit inter Theodorum, & Aymonẽ Com. Sabaudiæ, cùm Violanda Theodori filia Aymoni Comiti nuptui traderetur, vt ſi Ioannẽ Theodori filiũ, & ipſius maſculos contingeret decedere ſine maſculis, Marchionatus totus ad maſculos ex eo matrimonio deſcẽdentes perueniret. Quis enim requirat, vt heres ſit Theodori, aut maſculorum ex Theodoro deſcendentium is, qui agat ex pacto contra Theodorum ipſum, eiúſque maſculos deſcendentes interpoſito? Quis vnquam audiit, Ex pacto non alium agere poſſe, quàm qui heres ſit eius contra quem pactum fuit interpoſitum? Eius potiùs heredem illum eſſe oporteret, qui pro ſe, ſuíſque heredibus pactus fuiſſet. Nec enim aliis ſolent pacta prodeſſe quàm paciſcentibus, aut ipſorum heredibus, *l. ſi pactum. 9. D. de probat.* Conſtat autem Ser^mus. Sabaudiæ Ducem per medias tot Ducum & Comitum perſonas heredem eſſe Aymonis & Violandæ, qui pactum illud pro ſe, ſuíſque maſculis inierunt. Quamquam nec neceſſe eſt, vt Aymonis & Violandæ ſint heredes, qui ex pacto volunt ſuccedere, cùm veniant ex pacto & prouidentia Theodori, ac veluti iure cuiuſdam ſubſtitutionis conuentionalis: pro qua obtinenda ſufficit vt ſe probent ex iis eſſe, de quibus pactum loquitur: id eſt, ex maſculis, qui ab Aymone & Violanda deſcenderunt: nempe quia non tam Aymoni & Violandæ ſuccedunt, quàm Theodoro, qui eam ſibi,

Sereniſſ. Sabaudiæ Dux petit Marchionatũ non ſolùm ex inueſtituris ſuorum anteceſſorum; ſed etiam ex pacto dotali conuento inter Theod. Paleologum, & Aymonẽ Comitem Sabaudiæ.

Sufficit Sereniſſ. Sabaudiæ Ducem eſſe heredem illorum, qui pro ſe, ſuíſque heredibus pacti ſunt.

Ad ſubſtitutionẽ conuentionalem admitti poſſunt omnes, de quibus ſubſtitutio loquitur.

ſibi, ſuiſque & bonis, & heredibus legem dicere & voluit, & potuit: quod ſatis eſt, vt ex eo pacto admitti poſſint etiam illi qui nulla ex parte ſint heredes & ſucceſſores Theodori: ex traditis per Afflict. *tit. 26. ſi de feud. defunct. content. ſit int. dom. & agnat. vaſall. §. feudum ea lege datum, notab. 8.* Brun. *conſ. 135. col. 18. verſ. Reſpondetur quod ipſa venit ex contractu.* Faciunt notata per DD. *de fideicommiſſo conuentionali, in l. quoties. 3. C. de donat. quæ ſub mod. & in l. qui Romæ. 122. §. coheredes, de verb. oblig.*

Argumentum fortiſſimum ex ipſorum aduerſariorum confeſſione, & ſuppoſitione.

ET verò ſi Ioannes Theodori filius deceſſiſſet, relicta filia vnica, quam ſibi heredem ſiue ex teſtamento, ſiue ab inteſtato reliquiſſet, nec aduerſarij ipſi negant, futurum vt ex pacto ſuccedere in Marchionatu Violanda debuiſſet: Id enim apertè agebat Theodorus, vt ſicuti maſculos ſuos & maſculorum maſculos præferri volebat Violandæ filiæ ſuæ, omnibúſque maſculis ex ea deſcendentibus; ita filiam ſuam propriam, maſculóſque omnes in infinitum ex ea deſcendentes anteponeret filiabus filij ſui, cæterorumque maſculorum ex filio deſcendentium. Nec id ratione noua, vel obſcura, cùm proximiore ſanguinis vinculo eum contingeret filia primi gradus, & conſequenter maſculi omnes ex ea deſcendentes, quàm neptis ex filio, maſculique ex ea nepte deſcẽdentes. Vt autem proximior teſtatori quiſque eſt; ita & dilectior eſſe videríque debeat, *l. cùm pater. 77. §. pen. de legat. l. heredes mei. 57. §. vlt. D. ad S. C. Trebell.* Et tamen non potuerat Theodorus non præuidiſſe futurum, vt Violandam filiam non haberet heredem; etiamſi Ioannes vnica tantùm filia ſuperſtite moreretur; ſed filiam potiùs Ioannis, quem ipſe heredem ſibi

& vniuerſalem ſucceſſorem deſtinabat. Ita namque ordo iuris & naturæ ſuggerebat, vt filia patri & ſuperſtes & heres eſſet, *l. ſcripto.7.§.vlt.D. vnde liberi,l.nam etſi.D. de inoff. teſtam.* itemque vt heres heredis eſſet heres teſtatoris, *l.vlt.C.de hered. inſtit. l.ſi quis.7.§.in omni ſucceſſione,D. de acquir. hered.* Ergo pactum illud dotale, quo conuenit inter Theodorum & Aymonem, vt quandocunque maſculos Theodori ſine maſculis decedere contingeret, Marchionatus totus ad maſculos, qui ex Aymone & Violanda naſcerentur perueniret,ſic neceſſariò ex ipſius Theodori mente accipiẽdum eſt,etiamſi Aymonis maſculi nulla ex parte heredes Theodori forent.

Alia ratio & obſeruatio ex verbis pacti dotalis, de quo diſputamus.

SED & illud præcipua obſeruatione dignum eſt, quòd pactum de quo agimus,ita conceptum proponitur,vt ſi Theodorus ipſe ſine maſculis decederet, & aliquæ tamen filiæ ex eo ſupereſſent, nihilominùs Marchionatus eſſet & eſſe deberet pleno iure dictæ D.Violandæ & ſucceſſorum ſuorum, in augmentum, & ex cauſa dotis dictæ Violandæ: filiabus verò dicti Theodori prouideretur ſecundum dignitatem Marchionatus, per dictam Violandam & heredes ac ſucceſſores eius, de congrua & ſufficienti dote, pro matrimoniis copulandis, vel per aliam viam caſtitatis, ſeu religionis, ſi ipſam magis eligerent. Hæc enim pacti verba ſunt,ex quibus apparet nihil minùs cogitaſſe Theodorum, quàm vt Violandam filiam, eiúſque poſteros maſculos aliqua ex parte heredes haberet. Alterutrum enim caſum, ex duobus quos præuiderat, euenire neceſſe erat, vt ſcilicet vel Theodorus ipſe ſine maſculis dece-

decederet, masculíve eius sine masculis, vel masculi ex eo, eiúsve masculis aliqui semper supereſſent. Posteriore casu nullam succedendi spem Violandæ filiæ, nec ipsius masculis relinquebat : priore verò iam inde ab eo tempore Marchionatum dabat in dotem, dotísque augmentum, sub ea scilicet condicione quandocunque illam exiſtere contingeret. Nec proinde casus vllus contingere poterat, quo Violanda succedere Theodoro patri potuiſſet, cùm is alia bona præter dictum Marchionatum nulla haberet. Neque enim potuiſſet iure hereditario vnquam succedere in Marchionatu, quem ex causa dotis iam habuiſſet. Denique duplicem dotem Theodorus Violandæ filiæ suæ dabat. Primam purè, nulláque condicione suspensam castrorum Lancei, Ciriaci, & Casellarum : alteram totius Marchionatus, si moreretur ipse sine masculis, aut masculi eius sine masculis. Nihil enim vetat dari, aut promitti dotem sub condicione, *l. promittendo. 41. §. si à debitore, l. licèt. 43. §. 1. verſ. similiáque modo, D. de iur. dot.* Stultum ergo est obiicere, Ser^mum. Ducem Carolum ideò succedere in Marchionatu non potuiſſe, quòd Theodori heres non fuerit, cùm ex causa dotis, quæ Violandæ constituta fuerit, non tantùm personalem actionem ad petendum & persequendum Marchionatum habuerit; sed etiam, quod longè plus est, dominium ipsum Marchionatus, tanquam iam ab eo tempore translatum in Violandam, sub condicione quæ tandem extiterit. Nam & illud quoque tritum est, posse dominium non minùs quàm possessionem transferri sub condicione, & interim esse quodammodò in pendenti, *l. si ego. 9. §. si res, eod. tit. de iur. dot. l. seruus. 43. §. cùm seruus, de acquir. rer. domin.*

Duplex dos data Violandæ vxori Comitis Aymonis à Theodoro patre, vna purè, altera sub condicione.

domin.l.de hereditate.19.§.quid autem, D. de caſtren. pecul. l. quædam.15.de reb. dub. l. qui abſenti.14.§.1.D.de acquir.poſſ. Itaque licèt quandiu Theodorus, eiúſque maſculi per maſculinam lineam deſcendentes, vixerunt, dominium Marchionatus ad eos pleno iure pertinuerit: quia non ideò minùs noſtrum quid poſſumus dicere, quòd eius dominium à nobis abire aliquo caſu poſſit, *l.non ideo. 66.D. de rei vindic.* Attamen ſtatim atque pacti dotalis condicio extitit, finita Theodori linea maſculina per mortem Io. Georgij vltimi Marchionis ex linea Paleologorum, verum fuit dicere, totius Marchionatus dominium ipſo iure, ac citra nouam vllam traditionem, aut reſtitutionem, ad Ser^mum. Sabaudiæ Ducem Carolum ex pacto illo dotali peruenisſe. Id enim operantur verba illa conuentionis: [*Sint & eſſe debeant pleno iure dictæ D. Violandæ, & ſucceſſorum ſuorum, in augmentum & ex cauſa dotis,*] vt factum hominis nullum requiratur ad transferendum dominium, tanquam dicta lege bonis ipſis, non perſonis. Quid enim tam naturale, quàm voluntatem domini volentis rem ſuam in alium transferre ratam haberi? inquit Caius *in l.qua ratione.9. §. hæ quoque res, D. de acquir. rer. domin.* Idque indubitatum ſanè eſt in caſu noſtro, cùm in eo inſtrumento dotali, de quo nunc agimus, reperiatur appoſita clauſula conſtituti, per quam nemo dubitat quin vera, realis, & actualis poſſeſſio transferatur; non minùs quàm per veram & realem traditionem, *l. quod meo. 18. cum ibi notat. D. de acquir. poſſeſſ. l. quædam mulier. 77. D. de rei vindicat.* Siquidem, vt iam probauimus, transferri poteſt poſſeſſio etiam ſub condicione, *ex d.l.qui abſenti.14.§.1.D.de acquir. poſſ.* Quamquam

neque

neque nouum est, vt ex variis causis dominium sine possessione transferatur, & ipso iure, *l.1.§.vlt.l.2.& 3.D. de public. in rem act.* Inter quas possit quis meritò ponere causam dotis, tanquam quę inter fauorabilissimas enumeretur, adeò vt eius fauore receptum sit, si Bartolo, & Interpretibus credimus, valere donationē inter patrem & filiam, ex causa dotis, contra omnes iuris regulas, *ex l. Pomponius Philadelphus.35.famil.erciſc.not.ad l.2.C.de inoffic. donat.* sicut & inter causas pias censetur. Text. est elegās *in l.cùm is.32.§.mulier, de condict.indeb.* Vnde est quod vulgò nostri iactitant, Ecclesiam, fiscum, & mulierem pari passu ambulare circa priuilegia, Bald. Nouell. *in tract. de dote, part.8.priuileg.6.num.17.* post gloss. *in l. si ex pecunia. & l. si vt proponis. C. de rei vindic. l. dotis. 9. C. de iur. dot. ex l. 2. C. de priuil. fisc. & d. l. cùm is. 32. §. mulier, de condict. indeb.* Atqui certum est & Ecclesiæ, & cuiuslibet piæ causæ priuilegium illud esse, vt in eam dominium transferatur sine vlla traditione ac possessionis apprehensione, *l. vt inter.23.aliàs l.vlt. C. de sacros. Eccles.* Andr. Tiraq. *de priuil. piæ causæ, priuil. 107.* Sicut & fiscus idem habet priuilegium, *l. commissa.14.D. de publican. & vectig.* Quidni ergo idem priuilegium etiam dos habebit? secundum ea quæ tractat idem Tiraq. *priuil. 86. in fin.* & alis quamplurimis eiusdem tractatus locis. Nec obstat, quòd contractus dotis ex eorum numero est, fuítque semper, qui re contrahuntur & traditione perficiuntur, *ex l. dotale.13.§.1. D. de feud. dotal. iunct. l. de diuisione. 5. in fin. D. solut. matr.* Neque enim iure Pandectarum tale vllum erat priuilegium piæ causæ, vt in eam dominium transferri posset sine possessione: quod Iustinianus primus induxit *in d. l. vt inter.* A quo de-

Dotis causa pia est, & consequenter fauorabilis.

Priuilegiū pię causæ est inter cætera, vt in eius fauorem dominium etiā sine possessione transferri possit.

mùm tempore cœpit etiam cauſa dotis, tanquam pia idem priuilegium habere, quod antea nunquam habuerat. Idque tanto faciliùs admittendum eſt, quòd iam antè idem Iuſtinianus in dote reſtituenda induxerat, vt rei dotalis reſtituendæ dominium rectà in mulierem tranſiret citra vllam traditionem, vt pluribus tractat idem Baldus *in Nouell. dict. priuileg. 6. ex l. in rebus. 30. C. de iur. dotium.* Quod igitur in dote reſtituenda per expreſſam Iuſtiniani legem conſtitutum eſt, cur non facilè poſt inductum exemplum piæ cauſæ, trahatur etiam ad dotem, quæ marito conſtituta ſit, ei præſtandam? Cuius vtique nemo dixerit cauſam eſſe minùs fauorabilem: cùm in dote reſtituenda ſolius mulieris fauor verſetur: in ea verò, quę marito ex conſtitutione præſtanda eſt, & mulieris fauor & mariti, qui cùm onera matrimonij ferre cogatur, *l. pro oneribus. 20. eod. tit.* decipiendus ſanè non eſt, cùm non fuerit ille aut indotatam, aut minùs dotatam vxorem ducturus, *l. Titia. 62. in fin. D. eod. l. ſi donaturus. 9. §. 1. de condict. cauſ. dat. l. vlt. §. 1. in fin. D. quæ in fraud. credit. iunct. l. 4. §. apud Iulianum, & l. 5. §. pen. D. de doli mali except. l. ſeruo legato. 69. §. ſi teſtator, de legat. 1.* Quamquam in propoſita ſpecie nil his auxiliis indigemus; cùm, vt dictum eſt, habeamus clauſulam conſtituti, quæ traditio ficta eſt, & veræ traditioni æquipollet, licèt modus ipſe tradendi ſit fictitius.

Rei dotalis reſtituendæ dominium, ſoluto matrimonio, tranſit recta via in mulierem, citra vllam traditionem.

Fauorabilior eſt dos ſoluenda, quàm reſtituenda.

Applicatio & explicatio *l. ſi ego. 9. §. ſi res, D. de iur. dot.*

SED & magnum pro hac ſententia præbet argumentum, quod ex Vlpiano ſcriptum eſt *in d. ſi ego. 9. §. ſi res, D. de iur. dot.* Si quando rei dotalis traditio facta quidem ſit marito, ſed ita vt ex aliqua cauſa dominium ſtatim transferri in maritum non potuerit; vt puta propter

pter ſuſpenſam condicione aut expreſſa, aut tacita, vim traditionis, vt in illius §. ſpecie: poſtea verò exiſtente condicione, ſit neceſſariò exquirenda voluntas heredum, quibus interim acquiſitum fuerat dominium; nec velint illi conſentire, benignius eſſe fauore dotium neceſſitatem imponi heredi cõſentire ei quod defunctus fecit: aut ſi diſtulerit, vel abſit, etiam nolente eo, vel abſente, dominium ad maritum ipſo iure transferri, ne mulier maneat indotata. Hæc etenim Vlpiani verba ſunt, in ea ſpecie, quæ nihil habet cum noſtra diſſimile; niſi quod ibi traditio vera interuenerat, quam diſputatio noſtra ſupponit in caſu noſtro nullam interueniſſe veram, ſed tantùm fictam. Sed non poteſt ea diſſimilitudo argumenti noſtri vim retundere, nec ſi poſſeſſio nulla tranſlata eſſet, ne per fictam quidem traditionem: cùm non minùs alienum ſit à iuris regulis, vt transferatur dominium facta traditione, ex qua nõ potuerit transferri in ipſo inſtanti traditionis, quàm vt ſine vlla traditione transferatur. Nullius enim ad dominium transferendum momenti eſt traditio, quæ eo ipſo inſtanti quo fit, inefficax eſt ad faciẽdam tranſlationem, *l. traditio. 20. l. nunquam nuda. 31. & paſſ. D. de acquir. rer. domin. l. traditionibus. 20. C. de pact. l. ſi à Titio. 72. D. de rei vindic. l. ſi quis alienam. 46. D. de action. empt. l. 2. D. de except. rei vend. & tradit. l. apud Celſum. 4. §. antep. D. de doli mali except.* Quemadmodum igitur iam olim obtinebat, vt rei dotalis dominium, etiam ex longo poſt factam inefficaciter traditionem interuallo; nihilominus ipſo iure transferretur ad maritum, inuitis quoque heredibus illius qui dotem dederat; quamuis eorum tanquam dominorum conſenſus exquirendus

Nihil intereſt an traditio ſit vera an ficta.

Traditio nullius momenti eſt ad transferendum poſſeſſionem ſi eam non poſſit trãſferre illo inſtãti quæ fit.

eſſet: Quidni hodie, poſt auctum tantopere hac parte ius & priuilegium, & piæ cauſæ, & dotium, idem admittemus, eo quoque caſu, quo nulla traditio facta ſit; ſi modò conſtitutio præceſſerit dotis, ſine qua non fuerat maritus contracturus? Maximè verò cùm aperta fuit illa voluntas contrahentium, vt dominium rei dotalis ipſo iure in maritum transferretur, quemadmodum in propoſita ſpecie. An non enim ſatis dicit, *ipſo iure*, qui dicit, *pleno iure*, nullis præſertim additis verbis, quæ faciendæ traditionis neceſſitatem imponant. Nam neque fieri poterat eo tempore interpoſiti pacti dotalis, vt Marchionatus facto ipſo traderetur Violandæ, aut eius coniugi Aymoni Comiti, cùm penes Theodorum naturaliter manere deberet, eiúſque poſteros maſculos, quandiu maſculus aliquis ex linea maſculina ſupereſſet. Quòd ſi vſusfructus retentio pro traditione eſſe creditur, etiam ad dominium transferendum, *vulg. l. quiſquis. 28. C. de donat.* non abs re eſt vt retentio poſſeſſionis per eum facta, qui dominium ſibi retinet in tempus vſque exiſtentis condicionis, pro traditione haberi debeat; non ad transferendum ſtatim dominium, ſed in eum ſaltem caſum, & in id tempus, quo euenerit condicio. Maximè ſi concurrat eorum ſolùm contradictio, qui conſentire deberent, quique ex pacto illo ſunt obligati: [*Fauore ſcilicet dotium, & ne mulier maneat indotata:*] vt ſcriptum eſt, *in d. §. ſi res, in fin.* An enim mulier manſura ſit indotata, vel minùs dotata, nihil refert, cùm ex promiſſa & conſtituta dote, nihil aut marito, aut mulieri aufferendum ſit, *d. l. Titia. 62. in fin. de iur. dot.* Sicuti nec quicquam interest an detur quid, aut promittatur in dotem, an in

Satis agitur vt dominiũ transferatur ipſo iure, cùm id agitur vt pleno iure transferatur.

Retentio ſola vſusfructus pro traditione eſt.

Non attẽditur contradictio eorum qui cõſentire debent, & qui ex pacto ſunt obligati.

Nihil interest an detur quid, an promittatur in dotem.

augmen

augmentum & additamentum dotis, *l. inter socerum. 26. ff. cum inter, D. de pact. dotal. l. etiamsi. 8. C. de iur. dot. l. promittendo. 41. D. eod.* Quamquam, vt iam prædiximus, minùs necessaria est tota hæc disputatio in casu nostro, in quo habemus possessionem translatam per clausulam constituti, quæ non minùs potest ad transferendam possessionem ex contractu conditionali, quàm traditio sub condicione facta, vt in *d. ff. si res:* nisi quòd casus noster tanto fauorabilior est, quòd in eo adiecta fuit condicio casualis, quæ quandocunque existens retrotrahitur ad tempus contractus, nec vllum admittit medium inhabile; non magis quàm si contractus ab initio purè factus fuisset, *l. potior. 11. & l. qui balneum. 9.* vbi omnes notant, *D. qui potior. in pignor. hab.* At in specie *d. ff. si res*, erat cõdicio merè potestatiua, futurarum scilicet nuptiarum, quæ inter inuitos non contrahuntur, *l. si cogente. 22. D. de rit. nupt.* In quo genere condicionum, quas Iureconsulti, [Promiscuas] nostri, [Potestatiuas] vocant, certum est eas non retrotrahi in præiudicium iuris, quod medio tempore alij quæsitum est, *l. 1. D. qui potior. in pignor. hab.* Vnde est quod in specie *d. ff. si res*, consensus heredũ illius qui res tradiderat, ita vt secutis nuptiis dotales efficerẽtur, consensus requirẽdus fuit, qui in casu nostro requirendus certè non est.

Per clausulam constituti trãsfertur possessio etiam ex contractu cõdicionali.

Condicio casualis semper retrotrahitur ad tempus cõtractus.

Condiciones promiscuæ seu potestatiuæ nõ retrotrahuntur in præiudicium iuris quod alij medio tempore quæsitũ est.

HINC porrò intelligimus quàm leuis etiam illa obiectio sit, qua potissimùm nituntur aduersarij, quòd pactum illud dotale factum sit de futura successione contra iuris regulas, *ex l. hereditas. 5. C. de pact. conuent. tam sup. dot. l. ex eo. 4. C. de inutil. stip.* Non enim pactum hoc interpositum est, vt esset vice testamẽti, quemadmodum

Alia obiectio aduersariorũ, ex eo quòd pactum dotale, de quo agimus, sit de futura successione contra iuris regulas. Responsio.

Pactum de quo disputamus nõ est de futura successione; sed constitutio & augmẽtum dotis sub condicione.

in dict. l. hereditas, nec de hereditate & successione vniuersali, vt in specie eiusdem legis: sed animo cõstituendæ dotis & augendæ, vt verba contractus sonant. Qui casus nominatim excipitur *in dict. l. hereditas*, iis verbis, [*Quæ dotis titulo tibi non sunt obligata:*] Neque hoc agebatur per pactum illud de quo disputamus, vt vel maritus vxori, vel vxor marito succederet; sed vt filia ab eo tempore haberet in dotem ex contractu inter viuos non modò tria illa castra Lancei, Ciriaci, & Casellarum, quæ purè constituta & tradita fuerant; sed etiam totum Marchionatum, sub ea tamen condicione: si quandoq; contingeret patrem, aut eius liberos masculos, mori sine masculis. In quo nihil certè fiebat contra rationem

Nihil prohibet in dotem dari bona mulieris omnia, & partim purè, partim sub condicione.

iuris. Nam sicuti nulla lege prohibetur mulier bona sua omnia in dotem dare, *l. nulla lege. 4. C. de iur. dot. l. mulier bona. 72. D. eod.* ita nec prohibetur parens omnia bona sua filiæ in dotem constituere etiam purè: multo magis si, vt in proposito, partim purè, partim sub condicione, *l. promittendo. 41. ff. si à debitore, D. de iur. dot.* dummodò non sit dos inofficiosa, *l. vnic. C. de inoff. dotib.* solisque liberis, qui per eiusmodi dotem immodicam legitima portione defraudarentur, actio, aut querela inofficiosæ dotis competeret; non parenti, qui bona sua vniuersa in dotem constituisset, *d. l. vnic.* Nec refert hac

Dotis inofficiosæ actio nõ cõpetit parẽti, qui dotem dedit, sed eius liberis.

parte, id est, quantum ad validitatem constitutæ dotis, an dos per traditionem constituta sit, an per promissionem: sicut neque an purè, an sub condicione, *d. l. promittendo. 41. in princ. & §. si à debitore, D. de iur. dot.* quoniam

Alienatio quæ purè fieri potest, multo magis potest fieri sub condicione.

alienatio quæ purè fieri potest, multo magis potest fieri sub cõdicione si actus legitimos excipias, qui neque diem recipiunt, neque condicionem, *l. actus legitimi. 77. de reg.*

de reg.iur. Nec rursum interest an condicio talis sit, quæ viuo patre dotem constituente existat, an quæ non nisi post ipsius mortem: cùm nihil vetet etiam ab heredibus & contra heredes actionem incipere, si non tãtùm dilata petitio sit; sed etiam substantia ipsa & initium obligationis post tempus mortis obligati, *l. vnic. C. vt action. ab hered. & contr. hered. incip. iunct. l. si iam facta. 11. §. 1. D. de condic. & demonstr.* Nimirum existente quandocunque condicione actus habetur pro puro: & consequenter eandem vim & potestatem habet, quam haberet si purè interpositus fuisset, *d. l. qui balneum. 9. l. potior. 11. §. 1. D. qui potior. in pignor. hab. l. vlt. §. 1. D. de vulg. & pupill. substit.* Quamquam condicio pacti dotalis, de quo tractamus, talis fuit, quæ viuo adhuc ipso Theodoro impleri potuit, licèt euentu non nisi aliquot post mortem eius seculis impleta sit. Quid enim si Theodorus sine vllis masculis, superstite tãtùm, præter Violandam, aliqua filia decessisset? Vtique condicio extitisset dotalis constitutionis de toto Marchionatu factæ. Est enim hæc prima pars condicionis conceptæ iis verbis: [*Si contingeret dictum D. Marchionem, vel eius liberos masculos, ex legitimo matrimonio procreatos, decedere, quoquo tempore, absque liberis masculis.*] Extitisset, inquam, viuo adhuc Theodoro: in ipso nempe instanti mortis, in quo scilicet certum esse cœpisset moriturum eum sine masculis, si modò aut nullam vxorem, aut vxor vacuum ventrem habuisset, *l. ventre præterito. 84. D. de acquir. hered. l. si filius. 16. D. de liber. & posth.* Instãs autem mortis palam est vitæ adscribendum esse, non morti, quia mortuus non mori

Possunt actiones incipere ab heredibus, & cõtra heredes.

Condicio pacti dotalis, de quo agimus, potuit impleri etiam viuo Theodoro.

Tempus & instãs mortis adscribitur vitæ, non morti.

moritur, sed viuus. De quo sunt textus elegátes & aperti *in l. vlt. D. de condic. instit. l. qui duos. §. 8. §. 1. D. de manum. testam.* Quid ergo prohibuisset valere pactum de quo agimus, si eiusmodi casus contigisset? An fortè potuisset obiici, quod nunc aduersarij obiiciunt, factum fuisse de futura viuentis hominis successione & hereditate, quod viuo adhuc Theodoro paciscente vires suas exeruisset? ac priusquàm vlla esset ipsius hereditas? Nec enim hereditas constituitur in vltimo instanti mortis, sed in primo instanti quod sequitur mortem, cùm viuentis hominis non magis hereditas vlla, quàm heres quisquam esse possit, *l. 1. D. de hered. vel act. vendit. l. 1. D. pro hered.* Valuisset igitur proculdubio, quasi toto Marchionatu ab initio in dotē purè constituto: quamuis viuo Theodoro agi ex ea constitutione nunquam potuisset. Nam nec quicquam vetat ita dotem à patre constitui, vt tamen ab eo viuo nō petatur, si modò ab heredibus eius possit incipere exactio, *l. cùm pater. 11. D. de pact. dotal. d. l. vnic. C. vt action. ab hered. & contr. hered. incip.* Quod si fatendum necessario est, vt est, pactum illud non fuisse interpositum de futura Theodori hereditate & successione; sed de toto Marchionatu in dotem dando, sub condicione quidem; sed quæ tamen viuo Theodoro poterat existere, & antè quàm de ipsius successione & hæreditate tractari potuisset: Quis dicat eo minùs valere pactū debere, vel ob id magis de futura ipsius successione initum videri, quòd ex euentu contigerit pacti condicionem longo post Theodori mortem spatio extitisse in persona Io. Georgij vltimi ex linea Paleologorum, sine masculis defuncti? An patiemur vnum, idemque pactum dotale, vsque adeò diuerso iure censeri

Hereditas non constituitur in vltimo instanti vitæ, sed in primo post mortem.

Potest dos ita cōstitui à patre, vt tamen ab eo viuo non petatur.

Vnum idémq; pactum dotale diuerso iure censeri nō debet.

seri.

ſeri, vt pro priore condicionis parte valeat, pro poſteriore non valeat: Pro priore condicionis parte non ſit de futura ſucceſſione; ſit verò quod ad poſteriorem partem? Repugnant planè iuris regulæ, *vulg. l. eum qui ædes. 23. D. de vſucap. l. iam hoc iure. 4. de vulg. & pupill. ſubſt.* Repugnat quoque dotium fauor, qui ſuadet potiùs vt poſterior pars condicionis ex priore interpretationem accipiat, quemadmodũ in *d. l. cùm pater*; quàm vt diuerſa interpretatio inutile efficiat pactum, ſine quo non aliter fuerat Aymo contracturus. Eſſet enim eiuſmodi interpretatio maligna, vt iam ſæpiùs diximus, ex *l. ſi ita ſtipulatus. 126. §. Chryſogonus, verſ. neque enim malignè, D. de verb. oblig.* Denique nihil intereſt an pacti huius condicio extiterit per obitum Theodori ſine maſculis, an per mortem vltimi maſculorum Theodori; niſi quòd illa citiùs exiſtere potuiſſet, hæc tardiùs. Quæ tamen differentia ad iuris diuerſitatem inducendam facere nihil poteſt, vt vno caſu valeat pactum potiùs quàm alio: præſertim cùm vna eadémque condicio ſit, licèt duas partes habens, quæ proinde tota indiuidua eſt, exemplo cæterarum condicionum omnium; quæ adeò ſunt indiuiduæ, vt ſcindi ex accidenti nunquam debeant, inquit Vlp. *in l. cuifundus. 56. de condic. & demonſtr. iunct. l. hæc ſcriptura. 26. eod. tit.* Nec enim diuerſitas euẽtus, diuiſionem iuris aut voluntatis poteſt inducere, *l. eum qui. 18. §. vlt. in fin. D. de his quæ vt indign.* Cùm præſertim quoties de alicuius conuentionis viribus quæritur, initium pacti inſpiciendum ſit, non euentus, *l. ſi procuratorem. 8. in princ. D. mandat. l. 1. §. ſi ſeruus depoſuit, 30. D. depoſ. l. ſi tantùm. 12. D. de S. C. Maced. l. 2. D. quod iuſſu.* Sicut enim quod ab initio vitioſum eſt, tractu temporis conuale-

Fatior dotis ſuadet vt totũ pactum dotale valere debeat, potiùs quàm vt pro parte inutile fiat.

Maligna interpretatio eſt, quæ actũ facit inutilem.

Condicio quæ vna eſt, etiam indiuidua eſt, licèt duas habeat partes.

Conuentionis cuiuſlibet validitas ex initio inſpicienda eſt, non ex euentu.

ſcere non poteſt, *l. quod initio. 29. de reg. iur.* ita è contrariò quòd ab initio conſtitit, ex poſtfacto irritum fieri nequit, ſi Papiniano credimus, *in l. verbis. 5. in fin. D. ad leg. Falcid.* Quemadmodum ergo valuiſſet indubitatè pactum dotale de quo agimus, ſi Theodorus ſine maſculis deceſſiſſet, tanquã interpoſitum nõ de futura viuentis hereditate, ſed de dote per patrem conſtituta filiæ ſub condicione, quæ ipſo etiam viuo Theodoro extitiſſet: Ita & eodem penitùs iure valere illud dicendum eſt, etiam ſi non prior illa pars condicionis extiterit; ſed poſterior tantùm, quæ non niſi mortuo demùm Theodoro potuit exiſtere. Quid enim referre poteſt quonam tempore condicio extiterit, dummodò eo tempore quo ſuperfuerit perſona, in cuius commodum & vtilitatem exiſtere potuerit? *d. l. peto. 69. §. fratre, l. cùm pater. 77. §. hereditatem filius, l. qui ſolidum. 78. §. prædium, de legat. 2.* Nempe quia quandocunque condicio exiſtat, retrotrahitur ad tempus contractus, *d. l. qui balneum. & d. l. potior.* Oldrad. omnino videndus *conſ. 139. incip. Ad habendam.* Scilicet cùm tales ſunt cõdiciones, quæ quandocunque, id eſt, ſiue viuo, ſiue mortuo eo qui illas adſcripſit, poſſint exiſtere, *l. 2. l. ſi iam facta. 11. §. 1. D. de condic. & demonſtr.*

Quod ab initio conſtituti, ex poſtfacto irritũ fieri non poteſt.

Nihil refert quonam tempore pacti cõdicio extiterit, dummodò ſuperſtite aliquo ex iis in quorũ fauorem exiſtere potuit.

QVARE nil neceſſe eſt nos ad eas exceptiones confugere, quas adferre & probare noſtri ſolẽt, in illa quæſtione, an valeat pactum de futura ſucceſſione, cùm luce clarius appareat non verſari nos in ea quæſtione; ſed in hac potiùs, quæ controuerſa nunquam fuit, An poſſit pater in caſum & euentum incertum mortis ſuæ, aut maſculorum ſuorum ſine maſculis, bona ſua omnia in dotem dare filiæ, ſalua cæterarum filiarum ſiue ſuarum, ſiue ex maſculis ſuis ſuſceptarum legitima portione.

Verus ſtatus huius quæſtionis.

De

De quo nec dubitauit hucusque quisquam, nec dubitare probabiliter possit. Estq; in hanc rem textus apertissimus *in d.l.vnic.C.de inoffic.dotib.* Nisi quòd in illius specie, pura erat dotis constitutio, & à matre facta proprio nomine, id est, ipsius matris, non filiæ nomine: Hęc autem, de qua contendimus, & à patre facta est filiæ nomine, & sub condicione. Sed quod sub condicione facta sit, tanto minùs inofficiosam eam efficit, quia plus præstatur non minùs tempore, & condicione, quàm re, *§.plus autem, Inst.de action.* Quod autem filiæ nomine, facit eam tanto fauorabiliorem, vt intelligimus ex cõparatione inofficiosarum donationum, quæ si in extraneos collatæ sint, reuocantur in totum: si in aliquem ex liberis, non nisi pro legitima cæterorum portione, vt vulgò nostri sentiunt, *ex l.si totas.5.& l.si liqueat.8.C. de inoffic.donat.iunct.l.si vnquam.8.C.de reuoc.donat.* In summa cùm illo ipso pacto dotali conuenerit, vt si quæ filiæ ex dicto D. Marchione superessent, aut ex eius masculis, prouideretur eis de dote congrua, quæ loco legitimę futura esset, apparet nihil causæ esse, cur aut ab initio videri debeat inutile, aut ex post-facto reuocãdum: cùm in potestate sit cuiusliber quam velit legem bonis suis dicere, siue per contractum, siue per speciem vltimę voluntatis, dum ne qua fraus legitimæ liberorum fiat, *d.l.si totas.l.si mater.7.& pass.eod.tit.l.Titia.87.§.Imperator, de legat.2.l.vlt.D.de bon.damnat.*

Applicatio *l. vnic.C.de inoffic.dotib.*

Inofficiosæ donationes aliter reuocãtur cùm in liberos collatæ sunt, aliter cùm in extraneos.

Probatur dotẽ à Theodoro constitutã sub condicione filiæ Violãdæ de toto Marchionatu Montisferrati, nõ fuisse inofficiosã.

Rationes quib. defendi potest pactum dotale, de quo agimus, validum esse, etiam præsupposito quòd sit de futura successione.

PLACET tamen, quod Scriptores nostri pluribus cùm rationibus, tùm authoritatibus probarunt, Etiamsi pactum illud fuisset de futura successione, nõ eo minùs tamen valiturum. Primùm tanquam de certis bonis &

Prima ratio

Pactum de futura successione valet, si factū sit de certis bonis & singularibus, non de vniuersa successione.

singularibus factum, non de successione vniuersali, vt per Brunum, *cons.135.per tot.* & Paris. *cons. 26. num. 81. & 88.* vbi dicit communem *lib.2.* Guill.Bened. *in verb.duas habens filias, num.217.* Apostill.ad Alex. *cons.83.num.6.lib.2. & cons.28.num.11.lib.3.*

Secunda ratio sumpta ex eo, quòd in feudis valet pactum, etiam de futura successione deferenda.

SECVNDÒ, tanquam disponens de feudo, in quo placet valere tale pactum, etiam de futura successione deferenda. Brunus post Baldum, Aluarotum, & alios per eum citatos, *d.cons.135.* Bart. *in Auth.post fratres, C. de legit.hered.ex §.filiæ, tit.8.de succes.feud.lib.1.& tit. de eo qui sibi, vel hered.suis mascul.& fœm.lib.2.* Afflict. *in §.si quis inuestierit, de feud.dat.inuicem leg.commiss.tit.27.lib.1.*

Tertia ratio ex eo, quòd pactū de futura successione valet, si sit iuratum.

TERTIÒ, tanquam iuratum, ex eodem Bruno *d. cons.135.col.5.& 6.* Ias. *in l.stipulatio hoc modo concepta.61.de verb.oblig.num.12.* Bald. *ad §.moribus, tit.26.si de feud.content.sit int.dom.& vasall.agnat.lib.2.* Guid.Pap. *cons.31.nu. 2.& seqq.* Bened. *in d.verb.duas habens filias, num.194. & 201.vers.& sunt talia pacta.* Nec enim est tale iusiurādum cōtra bonos mores naturales, cùm non inducat votum captandæ mortis, cùm fit ex voluntate illius de cuius bonis interponitur, *l.vlt.* vbi Bart. *C.de pact.* Idem Bart. *in d. l. stipulatio. num.5. in fin.* Paris. *d.cons.26.num.114. lib.2.*

In Principes nō cadit suspicio voti captādæ mortis alienæ.

Præter id quod alienum est à dignitate Principum, & sacrilegio proximū tale aliquid de iis suspicari, vt eiusmodi voto captandæ inuicem mortis alienæ se obligent, Ias. *cons.1.num.20.* Bened. *d.num.201.*

Quarta ratio. Pactum de futura successione, si sit factum ex causis honestissimis, valet.

QVARTÒ, quòd factum esset ex causis honestissimis, maximè verò ad inuitandum Aymonem Comitem Sabaudiæ, vt cum Violanda filia Theodori matrimonium contraheret: Bald. Aluar. & alij *ad d.tit.26. si de feud.fuer.cont. §.filij nati,* Oldrad. *d.cons.139.vers.sed contra-*

rium

rium magis, Socin.Iun.*conſ.65.num.54.lib.2.* Pariſ.*d.conſ.26. num.101.verſ.ex quibus patet.*

SED magis placet, quod iidem Scriptores noſtri reſpondent, Pactum hoc, de quo tractamus, ideò maximè iuſtum & validum cenſeri debere, quòd etiamſi de futura ſucceſſione factum eſſet, quod nos negamus; non tamen eſſet de ſucceſſione conferenda & obuenienda, ſed tantùm de conſeruanda. Quo caſu communis & receptiſſima interpretum ſententia eſt, non eſſe pactum improbatum, tanquam quòd ſit fauorabile, multoque fauorabilius, quàm quod fit ad acquirendam ſucceſſionem. Vix enim eſt vt quiſquam ſibi hereditatem acquirat, aut quid aliud, quin alicui noceat; vel in hoc ſaltem quòd acquirendi ius & occaſionem alij præripit. Qui verò id agit vt ſpem ſuccedẽdi ſibi delatam conſeruet, nemini certè facit iniuriam. Ita Bartol.*in d.l.vlt. num.3.in 2.membro diſtinctionis, C.de pact.* Vbi dicit quod magis eſt, ſi quando is, qui alioquin haberet ius ſuccedendi, priuetur eo iure propter aliquem iuris rigorem, poſſe illum proſpicere per pactum, ſi modò paciſcatur cum eo qui de iis bonis potuerit diſponere teſtando, *per text.in §.fin.Inſt.de legit.agnat.ſucceſſ.* Secus, inquit, ſi non potuerit, *ex d.tit.8.in princ.de ſucceſſ.feud.* Idem addit *num.4.* Sicubi extet ſtatutum diſponẽs quòd filia dotata non ſuccedat patri ab inteſtato extantibus maſculis; & filia, tempore quo nuptui traditur, faciat pactum cum patre vt poſſit ſuccedere ab inteſtato, tale pactum valere tanquam conſeruatiuum ſucceſſionis filiæ, remouens obſtaculum ſtatuti ad reſtituendum ius commune: eamque Bartoli ſententiam ſequuntur omnes ferè quotquot ad eam legem ſcripſerunt.

Quinta ratio ſumpta ex eo, quòd pactum hoc ſi eſſet de futura ſucceſſione, eſſet de cõſeruãda illa, non de deferẽda, cuiuſmodi pacta valẽt.

Nemini facit iniuriã, qui ſpẽ ſuccedendi ſibi delatam conſeruat per pactum.

Valet pactum filiæ, vt poſſit ſuccedere patri ab inteſtato, cui alioqui ſuccedere ex ſtatuto, maſculis extantibus, nõ poſſet.

Applicatio cõclusionis Doctorũ ad facti nostri speciem.

QVID verò dici pro nobis potuit accommodatius? Erat Violanda Theodori filia, & sponsa Aymonis Comitis capax succedendi patri simul cum masculis ex iure communi: exclusa tamen per masculos iure feudali, ex quo, quandiu masculus aliquis supereſt, admitti filia nunquam poteſt. Rursum erat capax illa succedendi ex iure feudali, tãquam comprehensa in prioribus inueſtituris, ex quibus vocabantur fœminæ, saltem poſt masculos, & ipsis deficientibus: & tamen quia fuerat illa semel exclusa, nunquam potuisset vlteriùs succedere, manſiſſetque in perpetuum exclusa ex rigore eiusdem iuris feudalis, per textum *in tit. 6. Epiſcop. vel Abbat. vel Abbatiſs. vel dom. pleb. feud. dar. non poſſ. S. quinetiam.* niſi per pactum, de quo agimus, fuisset ipsi, ipsiúsque masculis reſtituta capacitas succedendi in defectum masculorum, per quos exclusa fuerat. Fuit ergo pactum hoc conſeruatorium potiùs, quàm acquiſitorium succeſſionis feudi: & quidem ab eo factum, qui de feudo Marchionatus poterat diſponere pro arbitrio, etiam teſtando, & per ſpeciem quamlibet vltimæ voluntatis, vt in præcedẽtibus probauimus. Quidni igitur paciſcendo, iuxta ſupradictam Bartoli traditionem? Nam & iam antea Ioannes vltimus masculus ex linea Aledrami heredem inſtituerat ſororem ſuam Violandam, matrem Theodori: eáque via fuit transferendi Marchionatum à linea maſculina Aledrami in lineam Paleologorum. Quo exemplo potuit ſanè ſimiliter Theodorus inſtituere Violandam filiam ſuam, ſi voluiſſet, adeoque præferre illam maſculis: Quanto magis in defectum lineæ maſculinæ Paleologorum, transferre Marchionatum in illuſtriſſimam Sabaudiæ familiam?

Violanda manſiſſet in perpetuum exclusa, ſi non fuiſſet ei conſeruata per pactum capacitas ſuccedendi.

Pactum, de quo tractamus, cõſeruatoriũ fuit potiùs, quàm acquiſitorium ſucceſſionis feudi.

Qui poteſt diſponere teſtando, poteſt & paciſcendo.

TACEO

TACEO pleraſque alias ſimiles conuentiones factas tam ab ipſo Theodoro, quàm ab aliis eius deceſſoribus & ſucceſſoribus Marchionibus Montisferrati. Inter quas illa eſt, quam ſuprà retulimus factã à Theodoro cum Philippo Principe Achaiæ, in tractatu ſponſaliorum, quæ contrahi ſperabantur inter vnum ex filiis ipſius Philippi & ipſam Violandam: & inter Ioannem filium Theodori, & vnam ex filiabus dicti Philippi Principis Achaiæ anno *1323.* quamuis ea ſponſalia effectum nõ habuerint. Item illa quæ per Guillielmum ſeptimum cognomento Magnum inita eſt, cum Alfonſo decimo Rege Caſtellæ, in contractu matrimonij celebrati inter Margaretam filiam Guillielmi, & Ioannẽ filium Alfonſi, 18. Octobr. *1261.* quæ tamen nec ipſa effectum habuit, quia condicio pacti defecit, ſuperſtite ex dicto Guillielmo, eius filio Ioanne, qui fuit vltimus de linea Aledrami; quique ob eam cauſam inſtituit poſtea dictam Violandam ſororem ſuam matrẽ Theodori. Item illa quam Guillielmus Paleologus fecit cum Ludouico Marchione Saluciarum, cùm ei Ioannam filiam ſuam nuptui traderet, interueniente conſenſu Bonifacij fratris, qui tùm erat Marchio; & qui tamen eum conſenſum poſtea reuocauit, atque ita irritum pactum fecit, *iuxta l. fin. C. de pact.* Illa denique, quam dictus Bonifacius, Guillielmi frater, fecit in contractu matrimonij inter Carolum I. Sabaudiæ Ducem, & Blancam de Monteferrato, neptem Bonifacij, ex dicto Guillielmo fratre, anno *1481.* In quibus omnibus pactionibus videas id actum & conuentum, vt in ſimilem caſum defectus maſculorum ex linea maſculina deſcendentium, ſuccederent in toto Marchionatu fœminæ & maſculi deſcen

Recenſentur quamplurimæ conuentiones aliæ perſimiles ei, de qua diſputamus, factæ tam ab eodem Theodoro Paleologo, quàm ab eius anteceſſoribus, & ſucceſſoribus.

Pactio facta per Guillielmũ VII. cognomẽto Magnum cũ Alphonſo Rege Caſtellæ.

Pactio facta per Guillielmũ Paleologũ cum Ludouico Marchione Saluciarum.

Alia pactio facta per Bonifacium, Guillielmi fratrem cũ Carolo, Duce Sabaudiæ, & Blanca de Mõteferrato.

Ex tot actuum multiplicatione inducitur, & probatur totius familiæ consuetudo.

descendentes ex fœminis. Ex qua tot actuum multiplicatione apparet fuisse illam familiarem Marchionum Montisferrati consuetudinem, vt de illo feudo disponerent in fauorem fœminarum, & masculorum ex fœminis descendentium, non minùs paciscendo, quàm testando. Constat enim ex frequentia actuum, etiam extraiudicialium, induci consuetudinem in familia sic paciscendi & contrahendi, si modò familia illa habeat merum & mixtum imperium: quod habuerunt iam inde ab initio Marchiones Montisferrati, vt pluribus tractat Brun. *cons. 137. col. 1. & 2.* post Bart. *in repet. l. de quibus. col. 6. vers. secundò videamus, D. de legib.* & consequenter valere pactum ex tali consuetudine, iis etiam casibus, in quibus alioqui ex mera iuris ratione non valeret: Bald. *in d. l. de quibus. vers. item non valet pactum. & in §. filij, tit. 26. si de feud. fuer. content. int. dom. & vasall. agnat.* vbi est text. express. *& in l. pactum. 3. in 2. oppos. C. de collat.* Bart. *cons. 72. incip. Ex facto proponitur, vers. præterea per statutum, per text. in tit. 29. de filijs nat. ex matrim. ad Morganat. contr. lib. 2.* Sũt enim semper tolerabilia quæ vetus consuetudo adprobauit, *l. Imperatores. 13. in fin. D. de pollicit.* Nec tantùm in perillustri familia Marchionum Montisferrati, sed in tota passim Italia; maximè verò in Gallia Cisalpina, adeoque toto fere terrarum orbe inualuisse consuetudinem hanc inter nobiles omnes; sed præsertim inter illustriores & potentiores viros; multo magis inter Principes, vt ab iis possint fieri pacta de succedendo, vel non succedendo, saltem quod ad iurisdictiones, & feuda dignitatem habentia, potissimùm in contractibus matrimoniorum, qui contractus familiarum sunt potiùs, quàm priua-

Pactum de futura successione valet ex cõsuetudine, iis etiam casibus, quibus alioqui ex iuris ratione non valeret.

Pacta de succedendo, vel non succedẽdo, præsertim in feudis & dignitatibus, valent de generali consuetudine inter familias illustres, maximè verò Principes: potissimùm si facta sint in tabulis dotalibus.

priuatorum nuptias ineuntium testantur nostri ferè omnes vno ore ad *l. licèt. 19. & ad l. pactum quod dotali. 15. C. de pact.* Io.Papon. *in Syntagm.lib. 20. tit. 2. Arrest. 1.* Guill.Bened. *in Rep. c. Raynutius, in verb. duas habens filias, num. 197.* Facit Leonis *Nouell. 19. de pact. patern. ex quo hered. futur. fil.* quæ licèt contraria iuri communi, vsu tamen & praxi recepta est, Andr. Tiraq. *in tract. de iur. primig. quæst. 7. in fin.*

Nec est quod quis dicat, supradictam Bartoli distinctionem ad *d.l. vlt.* eo tantùm casu posse procedere, quo masculorum consensus ad patris paciscentis voluntatem accedat. Ne alioqui ius quæsitum masculis, saltem in spe probabili, ex dispositione siue statuti, siue inuestiturę, aut iuris feudalis, iis inuitis & non consentientibus auferatur, contra *l. vlt. D. de pact. l. si post mortem. 10. §. fin. de bonor. poss. contr. tabul.* vt contra Bartolum Baldus, Castrensis, Alex. & alij plerique ratiocinantur, *in d. l. vlt. C. de pact.* Nam præter id, quòd frequentior sententia est pro Bartolo, vt masculorum consensus non magis requiratur in pacto patris, quàm in eius testamento, quod certum est ex alieno arbitrio pendêre nec posse, nec debere, *l. illa institutio. 32. l. captatorias. 70. D. de hered. instit.* quemadmodum attestantur Roman. Iaf. Dec. Cagnol. & recentiores ferè omnes scribentes ad *d. l. vlt. C. de pact.* Ratio illa efficacissima est pro tuenda opinione Bartoli, quòd cùm statutum excludit fœminas à successione intestati, propter masculos; non tamen adimit parentibus potestatem testandi & prouidendi filiabus per testamentum. Ergo, inquiunt, neque per pactum, *ex l. seruum filij. 44. §. eum qui chirographum, de legat. 1.* Nec enim debet Prætor minùs

Replicatio ad responsionem quam adferunt Mantuani, ex eo quod in dotali pacto, de quo tractamus, consensus masculorũ, qui in feudo succedere poterant, non interuenerit.

Confirmatur sententia Bartoli magis cõmuniter probata ab Interpretibus, quòd in pacto dotali masculorũ cõsensus non fuerit necessarius

ſubſequi patris quàm legis & ſtatuti voluntatem, vt in ſimili ſcribit Papinianus, *in l. pater. 10. §. 1. ad fin. D. de captiu. & poſtlim.* Et quamuis in eo videatur diſſimilis eſſe ratio ſucceſſionis ſtatutoriæ, & feudalis, quòd ſtatuta non excludũt filias niſi à ſucceſſione inteſtati: ius verò feudorũ excludit eas etiam à ſucceſſione teſtati: id tamẽ nõ obtinet in feudo improprio, quod quis acceperit pro maſculis & fœminis, cũ libera facultate de eo diſponẽdi inter viuos, & in vltima voluntate etiam in extraneos, quale hoc eſſe de quo diſputamus ſuprà oſtendimus ex verbis primæ inueſtituræ Ottonianæ. Potuit igitur de eo diſponere Theodorus in fauorem filiæ Violandæ, etiam exiſtentibus maſculis, ſi voluiſſet: ergo & paciſci: maximè verò cùm nihil pactus ſit in fauorem filiæ, & maſculorum ex ea deſcendentium, niſi in eum caſum, quo maſculos omnes per lineam maſculinam deſcendentes defeciſſe contingeret; vt appareat nullam eum maſculis ſuis iniuriam, nullúmque damnum intuliſſe. Sed etſi damnum in eo aliquod eſſet maſculorum, cùm tamen facta ſit ea pactio in contractu dotali, & in augmentum dotis, vt inſtrumenti verba ſonant, cogendi ſunt maſculi conſentire ei quod pater fecit. Multo magis maſculorum heredes extranei: adeò vt abſentibus iis, vel nolentibus conſentire, dominium bonorũ in ipſo iure transferatur in mulierem, ne maneat indotata, vt eleganter & diſertè ſcriptum eſt *in d. l. ſi ego. 9. §. ſi res, D. de iur. dot.* qui textus hanc noſtram quæſtionem in terminis, vt aiunt, decidere videtur: tantóque certiùs in propoſito, quòd feudum hoc etiam aduerſarij noſtri fatentur eſſe hereditarium. Quo caſu nemo dubitat quin maſculi, iidemque heredes paciſcentis, teneantur

Pactum, quòd filia poſſit ſuccedere deficiẽtibus maſculis, nullam mà. cuIIs facit iniuriam.

Feudum hereditariũ poteſt & per teſtamẽ-

neantur ſtare pacto defuncti, perinde atque alij heredes extranei quilibet, vt poſt alios concludit Roman. *in d.l. vlt. C. de pact. ex vulg. l. cùm à matre. 14. C. de rei vindic. l. vlt. §. in computatione, C. de iur. delib. l. ex qua perſona. 149. de regul. iur.* Sed ſunt ſuperuacuæ omnes iſtæ quæſtiones ad validitatem pacti, de futura ſucceſſione pertinentes; cùm pactum, de quo agimus, nullomodò tale ſit, vt de futura ſucceſſione & hereditate Theodori ſiue acquirenda, ſiue conſeruanda cogitatum ſit; ſed tantùm de toto Marchionatu in dotem filiæ à patre conſtituẽdo, ſub condicione, quæ licèt non niſi multis poſt Theodori mortem ſeculis extiterit; poterat tamen adhuc eo viuo exiſtere, vt appareret non eſſe pactum illud ex eorum numero, quæ ideo non valent, quòd ſint vice teſtamẽti, vt loquitur *d.l. hereditas. 5. C. de pact. conuent.* Neque ſanè ad hanc rationem noſtram, iam ſatis ſuperque in ſuperioribus comprobatam, reſponderi quicquam poſſe arbitramur, quàm eo magis mirandum eſt ab iis, qui ante nos ſcripſerunt, aut omninò prætermiſſam, aut minùs exactè propoſitam fuiſſe.

tum, & per pactum alienari in prejudicium vocatorum, ſi ſint heredes pacifcentis.

ILLA maioris momenti videtur eſſe obiectio, quam ex iure feudorum aduerſarij deſumunt, quòd non potuerit Theodorus paciſci de feudo in prejudicium ſucceſſorum, *ex cap. 1. de alien. feud. pater. tit. 39. lib. 2.* vbi diſertè ſcriptum eſt, Alienationem feudi paterni non valere etiam ex domini voluntate, niſi agnatis cõſentientibus, ad quos beneficium quandoque ſit reuerſurum: Nec in filiam vaſallum poſſe feudum confirmare, agnatis non conſentientibus, vel poſtea ratum non habentibus. Cui ſimile eſt quod ait text. *in tit. 8. de ſucceſſ. feud. lib. 1.* in illis

Alia obiectio Mãtuanorum, ex eo desũpta, quòd non potuerit Theodorus paciſci de feudo Marchiæ in prejudicium ſucceſſorum.

verbis,[*Nulla ordinatione defuncti in feudo manente, vel valente*:] & quod apertiùs *tit.9.qualiter olim poter.feud.alien.* §.*donare*, nullius Curiæ consuetudine receptum esse, vt vasallus donare feudum possit,aut pro anima iudicare, aut in dotem pro filia dare. Cùm itaque feudum de quo agitur sit paternum,&,quod magis est,antiquum, vt ex ipsa Theodori inuestitura constat, non videtur potuisse Theodorus paciſci de feudo in præiudicium vocatorum masculorum, qui tali pacto non consenserunt.

Responsiones variæ ad ſequentem obiectionem.

VERVM facilis responsio est ex superioribus:Nempe, imò verò potuisse Theodorum, qui primus fuit inuestitus ex linea Paleologorum, & quidem ad exemplum primæ inuestituræ Ottonianæ Aledramo factæ de toto Marchionatu, pro arbitrio disponere in fauorem filiæ Violandæ, & masculorum ex ea descendentium.

Prima responsio. Violanda filia Theodori fuit ex personis in vtraque inuestitura & Ottoniana & Hēriciana cōprehensis:& quotquot masculi ex ea descenderunt.

PRIMVM, quia cùm esset Violanda ex descendentibus non modò Theodori, sed etiam Aledrami, per mediam pērsonam auiæ suæ Violandæ,quę fuerat mater Theodori, & soror Ioannis vltimi Marchionis ex linea Aledrami,non potest negari quin esset de numero personarum in vtraque inuestitura comprehēnarum,& quotquot ex ea masculi descenderunt.Non potest igitur videri, factam fuisse pactionem in præiudicium vocatorum,cùm facta sit in fauorem descendentium, qui sunt ex vocatis. Neque hoc casu locum habent textus in cōtrarium allegati:sed tunc tantùm cùm dispositio facta esset in fauorem personarum penitùs extrancarum, nec in inuestituris comprehēsarum:Puta si quis

si quis vellet vocare fœminas, aut masculos ex iis descendentes, ad feudum prorsus masculinum, aut filiæ suę feudum tale in dotem dare: quod certè nisi cõsentientibus agnatis fieri nullomodò posset, ne quidem volente domino, *d. tit. 39. de alien. feud. patern. & d. §. donare.* Denique in feudo proprio & verè recto id locum habet, non in improprio, quod possit etiam in fœminas transire, & de quo permissum sit vasallo disponere quomodò voluerit.

Responsio secunda, ex natura feudi de quo agimus, quod sit impropriũ & alienabile.

SECVNDA igitur responsio est, quòd feudum hoc, de quo quærimus, est improprium & alienabile, ad nutum & voluntatem vasalli [*omnium contradictione remota.*] Quæ verba, iunctis maximè præcedentibus, *& quicquid decreuerit animus faciendi,*] omnem prorsus necessitatem tollunt exigendi consensus siue agnati, siue domini; etiamsi in personas omninò extraneas facta esset alienatio: Paris. *cons. 2. num. 17. & seqq. & cons. 3. num. 8. & seqq. vol. 1.* Crauet. *cons. 256. col. 3. vers. sed hîc dubitatur,* Collegium Bononiense inter cons. Mãtuæ, *cons. 15. num. 51. 59. & 60.* Ad quid enim prodessent tam multa tamque enixa verba supradicta, si non feudi naturam alterarent? Quid verò iustius, aut tolerabilius facere potest is, qui liberam de feudo disponendi facultatem habet, quàm si feudum det in dotem filiæ, & quidem in eum duntaxat casum quo lineam totam masculinam defecisse contingeret? Nam quemadmodum quod per se licitum est, solet fieri illicitum si in tempus illicitum conferatur, quia non tam dispositionis tempus spectandum est, quàm illud in quod confertur

Nulla fauorabilior potest esse feudi alienatio, quàm si datũ sit in dotem filiæ, in eũ casum, quo lineã totã masculinam deficere contingeret.

disposítio, *l. quod sponsæ. 4. C. de donat. ant. nupt. l. Stichus. 39. D. de manum. testam. cum similib.* Ita è contrario id quod alioquin esset illicitum, pro licito haberi debet, quoties in tempus licitum confertur, *l. si eum. 9. §. vlt. & l. seq. D. de donat. int. vir. & vxor.* Atqui dubitare nemo potest, quin potuerit Theodorus, si pacti dotalis tẽpore masculos nullos, nec postea vnquam habuisset, feudum dare in dotem filiæ, & omnibus masculis ex ea descensuris. Quis enim consensus requiri potuisset agnatorum, aut masculorum, qui nulli fuissent? Idem ergo dicẽdum est in illo etiam casu, qui in pactionem deductus est, vt potuerit feudum Marchionatus dare in dotem filiæ, & masculis ex ea descendentibus, in illum saltem casum, quo masculi omnes per lineam masculinam descendentes extincti essent. Cùm nihil possit interesse, an ea conuentio facta sit nullis masculis existentibus; an verò ea lege, vt nullum nisi post masculos omnes extinctos, effectum haberet. Quemadmodum qui fundum aliquem in familia relinquere iussus esset, nihil contra fideicommissum, testantísque voluntatem faceret, si fundum illum alicui extraneo relinqueret in eum casum, quo nemo amplius de familia supereſſet, quamuis testamenti tempore aliqui adhuc extarent, *arg. l. qui fundum. 78. §. prædium, de legat. 2. l. 2. C. quand. dies legat. ced.*

Nihil interest an feudum datum sit in dotem filiæ, nullis extãtibus masculis: an verò extãtibus quidem masculis, sed in eum casũ dũtaxat quo extincti omnes forent.

Simile de fideicommisso, quod quis in familia relinquere iussus est.

Responsio tertia ex eo, quòd feudum, de quo tractamus, sit hereditarium.

TERTIA responsio est, Feudum hoc de quo tractamus non modò improprium esse, sed etiam hereditarium: cùm in omnibus inuestituris, præsertim verò in ea quam accepit Aledramus ab Ottone, inserta reperiantur hæc verba, [*pro se & heredibus suis:*] quo casu nemo dubitat quin feudum sit hereditarium, vt

ex

ex communiore Interpretum ſententia concludit Iul. Clar. *in §. feudum, quæſt. 9.* poſt Afflict. *in tit. 5. quibus mod. feud. amitt. lib. 1. num. 74.* & Curt. *de feud. 1. part. princip. quæſt. 8. col. 6.* Imò verò etiamſi nihil de heredibus dictum ſit, ſi modò nihil etiam de filiis dictum inueniatur, feudum præſumitur hereditarium, vt poſt Bald. Raph. Cuman. Alex. Curtium, & alios ſcribit Pariſ. *d. conſ. 3. num. 8. & ſeqq. lib. 1.* Neque in hoc probando valdè laborandum eſt, cùm in eo aduerſarij quoque noſtri conſentiant. Atqui quoties feudum eſt hereditarium, illud etiam conſtat non poſſe maſculos ſuccedentes improbare factum defuncti cuius ſunt heredes, *d. l. cùm à matre. 14. C. de rei vindic. l. vlt. ſ. in computatione, C. de iur. delib. l. ſi ab eo. 7. C. de liber. cauſ.* Adeò vt quamuis feudum tale ſit, in quo ſolus primogenitus ſuccedere debeat; ſi tamen ſit hereditarium, cogendus ſit etiam primogenitus ſuccedens in tali feudo ea omnia ſeruare, ratáque habere quæ prædeceſſores geſſerunt, vt poſt Franciſc. Curtium, Martin. Laudenſem, Alex. & alios quamplures tractat Pariſ. inter Conſilia Mantuæ, *conſ. 9. num. 88. & 148.* Cùm ergo Sereniſſimi Duces Mantuæ ſint heredes, per mediam perſonam Margaretæ, quæ fuit ſoror Io. Georgij vltimi Marchionis, precedentium omnium Marchionum, maximè verò Theodori, qui pactum illud iniit, de quo nunc diſputamus; planè cõſequens eſt, vt ei pacto ſtare teneantur tanquam heredes; aut feudum amittere, ſi heredes non ſint, *d. tit. an agnat. vel fil. defunct. 45. lib. 2.* quem textũ negant omnes procedere in feudo hereditario, vt iã ſuprà ſcripſimus, & probauimus. Nec proinde neceſſe eſt in eã facti quæſtionem venire, quam aduerſarij inijciunt, vtrum Guil-

In feudo hereditario maſculi deſcendentes & vocati non poſſunt improbare factũ defuncti.

Tit. *An agnat. vel fil. defunct.* non procedit in feudo hereditario.

lielmus

lielmus Marchio repudiauerit hereditatem Ioannis fratris ſui, necne. Nam præter id quod noſtri adfirmant, & ex actis conſtat, repudiationem illam non niſi verbalem fuiſſe: Reuera autem Guillielmum bona Ioannis omnia quæ repudiare ſe dicebat, ſemper poſſediſſe; quæ res irritam facere ſolet repudiationem, tanquam ſimulatã, tùm quoque cùm non niſi per ſuppoſitam alterius perſonam continuata poſſeſſio eſt, *l. ſi is qui bonis. 91. D. de acquir. hered. l. 1. & 2. C. eod. l. ſicut. 8. §. ſuperuacuum, D. quib. mod. pign. vel hypoth. ſoluit.* parum refert an Guillielmus heres fuerit Ioannis tùm vltimi anteà poſſeſſoris, dummodò heres fuerit Theodori, quomodò fuit per mediam perſonam Ioannis Iacobi patris, & Theodori aui, aliorúmque anteceſſorum, vſque ad Theodorum primum, qui primus fuit ab Henrico VII. inueſtitus. Nam ſi nec Theodori noſtri heres fuit, feudum proculdubiò repudiata hereditate retinere non potuit, *d. tit. 45. an filius, vel agnat.* Iul. Clar. *in d. §. feudum, quæſt. 9. verſ. ſed quæro an oporteat*, poſt Alex. *conſ. 10. num. 8. lib. 3.* & Brun. *conſ. 135. col. 17. verſ. quod comprobatur, quia in feudo hereditario*: Nec rurſum impugnare factum Theodori, cui heres fuerit, ſiue mediatè, ſiue immediatè: cùm generaliter verum ſit quod Paulus ſcribit *in l. ſi quis filium familias. 7. §. 1. D. de acquir. hered.* In omni ſucceſſione illum qui ei heres extitit, qui Titio heres fuit, Titio quoque heredẽ videri, nec poſſe Titij omittere hereditatem, *l. 3. D. de hered. petit. l. vlt. C. de hered. inſtit. l. heredis appellatio. 65. l. heredis 170. de verb. ſignific.*

Non potuit Guillielmus retinere feudũ Theodoro cõceſsũ, ſi nõ fuit heres Theodori.

Duplicatio ad replicationem aduerſariorũ.

Sed neque dici poteſt data nullitate pacti dotalis ob deficientem conſenſum Imperatoris, vt aduerſarij ſuppo

ſupponunt, non teneri heredem adprobare factum defuncti, quæ vna eſt ex limitationibus *ad d. l. cùm à matre. C. de rei vindic.* teſte Oſaſch. Cacher. qui plures allegat *Deciſ. Pedem. 180.* Illud enim priùs probandum eſt quod habent illi pro vero, nos autem falſum eſſe probauimus, nullius momenti fuiſſe pactum dotale, de quo contendimus. Validum enim fuit & iuſtum, tanquam quod matrimonio contrahendo cauſam dederit inter Aymonem Com. Sabaudiæ, & Violandam filiam Theodorinec fuit neceſſarius cõſenſus Imperatoris, cũ eo pacto nihil factum ſit, niſi quod per vtramque inueſtituram & Ottonianam, & Hericianam licebat. Quod enim ſemel Principi placuit, perpetuum legis vigorem habet, *l. 1. D. de conſtit. Princip.* Neque nouus Imperatoris conſenſus exigendus fuit in eo faciendo, quod fieri iure potuit, *l. Imperatores. 30. D. de reb. author. Judic. poſſid.* & cui iam ſuum ſemel accomodauerat conſenſum; cùm nihil interſit an voluntas præcedat, an ſubſequatur, *l. ſi autem. 10. ff. de aqua & aquæ pluu. arc.* Ideò namque voluntas domini exigitur, ne dominus ignorans iniuriam accipiat: nullam autem poteſt videri iniuriam accipere, qui ſemel voluit, vt in ſimili ratiocinatur Paulus, *in l. in diem. 9. ff. 1. eod. tit.* Id enim duntaxat cauere vaſallus debet, ne quid faciat contra formam inueſtituræ, & ſuprà quàm ei per leges inueſtituræ liceat. In quo non poteſt videri Theodorus peccaſſe, quem inueſtierat Henricus, vt Marchionatum teneret, eo penitùs iure, & ea forma, quo, & qua anteceſſores ipſius tenuerant: vt habent verba inueſtituræ. Anteceſſores autem ipſius, qui fuerant ſucceſſores Aledrami, tenuerant eo iure ex prima inueſtitura Ottoniana, vt poſſet feudum

Non eſt neceſſarius conſenſus Imperatoris ad validandum pactum, quod de feudo initum ſit, ſecundum legem feudi.

Nihil aliud cauere vaſallus debet, niſi ne quid faciat cõtra formam inueſtituræ.

transire ad familias vtriusque sexus, id est, ad masculos & ad fœminas, & vt de eo possent disponere pro arbitrio, tam inter viuos, quàm in vltima voluntate, omnium contradictione remota. Quid ergo fecit Theodorus contra inuestituram, cùm in dotem dedit propriæ filiæ, pro ea, & eius masculis totum Marchionatum, in eum casum quo masculinam ipsius Theodori lineam omnino deficere contingeret?

Responsio quarta.

QVARTA responsio est, Successores, quorum voluntatem & consensum exigunt aduersarij, & dicunt interuenire debuisse ad validitatem pacti huius dotalis, satis ex postfacto consensisse, cùm passi sint per tot secula possessionem castrorum Lancei, Ciriaci, & Cassellarum, quæ partem integralem Marchionatus constituebant, manere penes Comites & Duces Serenissimos Sabaudiæ in hodiernum vsque diem: non alio vtique iure, quàm dicti dotalis pacti, cùm nullum aliud ius vnquam habuerint Serenissimi Duces & Comites Sabaudiæ in dictis castris, nisi quod ex pacto illo dotali quæsitum ipsis fuit. Quis enim aut ignorasse illos dicat, quod omnes viderunt & sciuerunt, *l. regula. 9. §. sed facti, D. de iur. & fact. ignor. l. sed si pupillus. 11. §. proscribere, D. de instit. act.* aut scientes & patientes per tot annos non saltem tacitè consensisse, & à Theodoro factas conuentiones adprobasse: *l. 2. C. de acquir. poss.* in postremis illis verbis, [*Ipsa tamen rei veritate id consecutus es, si sciente venditore, in possessione fuisti.* Vnde & nostri omnes vulgare illud brocardicum inferre solent, Præsumi quemlibet possidere ex titulo præcedēte, &, vt loquuntur, præambulo, vt & *ex l. quædam mulier. 77. D. de rei vindic.*

Sufficit cōsensum masculorum, ad successionem vocatorum, ex postfacto interueniſſe.

Præsumitur quilibet possidere ex titulo præcedente.

vindic. Imò verò tùm quoque, cùm nullus præceſſit titulus; ſola tamen longi temporis ſcientia & patientia plerumque pro titulo eſt, vt *l. ſi quis diuturno, 10. D. ſi ſeruit. vindic. l. 2. C. de ſeruit. & aqua.* Maximè verò ſi ſit tanti temporis, cuius initij memoria non extet, vt *in l. 3. §. ductus aquæ, D. de aqua quotid. & aſt. l. vlt. D. de aqua & aquæ pluu. arc.* adeóque centum duntaxat annorum, de qua *in l. vlt. C. de ſacroſ. Eccleſ.* Nam neque huiuſmodi præſcriptiones requirunt probationem vllam ſcientiæ ac patientiæ alienæ; adeóque nec vllius bonæ fidei; quoniam ex tanti temporis decurſu omnia interueniſſe præſumuntur; etiam quæ extrinſecùs interuenire debuerunt, vt ex ſupradictis locis noſtri communiter notant *ad l. ſciendum. 36. de verb. oblig.* Neque eſt quod quis dicat, Iuſtam eſſe, & probabilem alieni facti ignorantiam, *l. vlt. D. pro ſuo.* Nam præter id quod non habet hoc locum in iis, quæ palam & publicè fiũt, & quæ cæteri omnes ſciunt, *d. §. ſed facti, & d. §. proſtribere*: falſum eſt quantùm ad Theodori filios & ſucceſſores, inter alios videri factam conuentionem, quæ à Theodoro facta eſt, cùm filiam nuptui traderet. Siquidem, vt iam ſæpiùs diximus, contractus matrimoniorum non priuatarum perſonarum contractus ſunt, ſed familiarum, & gentilium vtrimque omnium, propter liberos, qui ex matrimonio ſperantur, cum quibus agnationis & cognationis iura habituri ſunt quotquot ex ea familia & agnatione vel cognatione ſunt. Pacti ergo illius dotalis non poſſunt Theodori ſucceſſores ignorantiam obtendere, non magis quàm facti proprij, *l. quamquam. 7. D. ad S. C. Velleian.*

Longi temporis ſcientia & patientia plerũque pro titulo eſt, multo magis ſi ſit tẽporis longiſſimi, & immemorialis.

Non requiritur probatio ſcientiæ, nec patientiæ, nec bonæ fidei in præſcriptione tẽporis immemorialis.

Cõtractus matrimoniorũ nõ priuatarũ perſonarum contrahentiũ ſunt, ſed familiarũ.

AT nec illud rurſum dici poteſt, Theodori ſucceſſo- Theodori ſucceſſores nõ po-

tuerũt pactum illud dotale, partim sciuisse, partim nescisse.

res scisse pactũ illud dotale, quantum ad castra Lancei, Ciriaci, & Casellarum, nõ etiam quod ad reliquum Marchionatum Montisferrati. Cùm enim non solùm in eodem instrumento, sed etiam in eadem instrumenti parte constitutus fuerit totus Marchionatus in augmentum dotis, sub condicione illa, si quãdoque masculos omnes ex Theodoro descendentes mori contingeret, quis ferat, & propitiis auribus audiat hanc scientiæ diuisionem? *l. non est ferendus. 12. D. de transact.* vbi Celsus scribit, non esse ferendum eum, qui generaliter de his quæ in testamento relicta erant, transegerat, si postea causetur de eo solo se cogitasse quod priore parte testamenti, ac non etiam quod posteriore cõtinebatur. Et generaliter verum est, ex probatione partis induci præsumptionem totius, maximè verò in indiuiduis, *a. l. non est.* Boer. *quæst. 10. num. 18.* post Baldum & alios ibi relatos. Præsupposita verò scientia totius pacti dotalis, nec minùs pro dotis augmento, quàm pro dote ipsa, quid absurdius dici potest, quàm Theodori liberos masculos & successores, qui pactum illud adprobarunt, quod ad dotem ipsam attinet, non etiam adprobasse quantum ad dotis augmẽtum? Quasi verò separari hac parte dos possit ab ea portione quæ augmenti & additamenti dotalis causa data fuit. Contra *d. l. inter socerum. 26. §. dum inter, D. de pactis dotal. & d. l. etiamsi. 8. C. de iur. dot.* Aut quasi permittendum fuerit dictis masculis Theodori pactum illud dotale partim adprobare, partim verò improbare; quod esset longè absurdius, *l. nam absurdum. 6. D. de bon. libert. l. si ita stipulatio. 39. §. 1. in fin. D. de oper. libert. l. cum quæritur. 16. D. de admin. tutor.* Nec tantum absurdius hoc esset, verùm etiam iniquius, quia non fuerat

Qui partem contractus scit, & adprobauit, totũ contractum scisse, & adprobasse præsumitur.

Ex probatione partis inducitur præsumptio totius, maximè in indiuiduis.

Pactũ illud dotale non potuit partim probari, partim improbari.

Aymo

Aymo pro parte pacti dotalis matrimonium contracturus, *l.tutor vrgentibus.47.§.1.D.de minor.l.si quis aliam.46.§.1.de solut.l.Titia.62.& d.l.si ego.9.§.si res,D.de iur.dot. l.vlt.C.de pact.int.empt.& vendit.* Denique contractus omnes in sui substantia, vt & omnes rerum substantiæ, sunt indiuisibiles, licèt materia ipsius contractus sit plerumque diuisibilis, *l.cùm ex causa.139.de verb.oblig.* Contractus enim quilibet æstimatur ex conclusione quæ semper vnica & indiuidua est, *l. dominus. 8. D. de præscr. verb.* Non est igitur quod pactum illud dotale ideo videri nullum possit, quia in eo non interuenerit consensus masculorum Theodori, qui eo tempore fortassis in rerum natura nondum erant. Et verò quis vnquam audiit cogendum patrem in constituenda dote filiæ, consensum liberorum suorum exigere, etiam in feudo successurorum, præsertim quos ille sibi futuros heredes eo tempore speraret, quosque subinde heredes habuisset? An non credendus est pater quilibet accipere prudens consilium pro liberis, cùm, vt vulgò iactari solet, nullus affectus vincat paternum, *vulg.l.vlt.C.de impub. & aliis fabstit.* Aut quid prudentius fieri potuit pro masculis & fœminis, quàm quod Theodorus fecit, vt masculi præferrentur fœminis; nec propriæ filiæ testatoris, aut masculis ex ea descendentibus locus vllus aperiretur, quandiu vel vnus masculus extaret descendens per lineam masculinam; deficientibus verò masculis omnibus, filia testatoris filiabus filiorum in eo feudo anteponeretur: nec eo minùs tamen filiabus masculorum de dote congrua & competēte prouideretur? An non hoc fuit masculorum jura omnia integra, intactáque conseruare, maximè verò legitimarum successionum feudalium;

Contractuum omnium natura & essentia indiuisibilis est.

Prudens consilium Theodori in eo pacto dotali, de quo disputamus: & quā benè prospexerit ille suis masculis, & filiæ & masculis ex ea nascituris, & aliis quoque fœminis & filiabus ex masculo aliquo suscipiendis.

quemadmodum dici ſolet de patre, qui plures habens filios impuberes, ſoli ſubſtituit pupillariter vltimo decedenti? *l. vel ſingulis 37. de vulg. & pupill. ſubſt.* Aut quænam videri poteſt facta eſſe iniuria maſculis ob vocatas fœminas, non niſi deficientibus maſculis? *l. heredes mei. 57. §. vlt. ad S.C. Treb.* in poſtremis illis verbis [*Deficiẽte verò gradu nepotum, ex cognatis quam velit perſonam eligi poſſe*] Nec ſanè ratio vlla eſt, vt dicamus procedere hoc caſu diſpoſitionem *d. tit. 39. de alien. feud. patern.* exigentis conſenſum agnatorum omnium, qui in feudo paterno poſſint ſuccedere, non ſolùm quòd non procedat in feudo hereditario, quale eſt hoc de quo agimus, vt toties diximus; ſed etiam quia debet ille textus intelligi de feudi paterni alienatione, per quam fiat iniuria aliqua maſculis, & agnatis, qui in eo feudo alioquin eſſent ſucceſſuri. Quod non contingit in hoc caſu, in quo pacti dotalis euentus, effectuſque confertur in id tempus, quo nulli amplius futuri ſint maſculi ex iis, qui capaces ſint ſuccedendi. Præter id quod in maſculis deſcendentibus, & in infinitum deſcenſuris ex alienante, non poteſt fieri vt eorum omnium conſenſus exigatur; cùm non poſſint conſentire, qui nondum ſunt in rerum natura; & ad quos tamen cùm nati erunt feudi ſucceſſio pertinere debeat. Quomodo enim conſentient, qui nec ſentiunt? inquit Pomponius *in l. ſi tibi. 8. §. vnius, de opt. legat. iunct. l. vlt. §. vbi autem*, in illis verbis [*Adhibeatur autem etiam filiorum conſenſus, niſi adhuc in prima ætate ſunt conſtituti, vel longè abſunt*] *C. de bon. quæ liber.* De aliis igitur agnatis intelligi textus debet, qui etiam agnati ſint tempore alienationis, & conſequenter nati, vt poſſint conſentire, & ex tranſuerſalibus ſint, non ex deſcendentibus.

Applicatio *l. vel ſingulis. 37. de vulg. & pupill. ſubſt. & l. heredes mei. 57. §. vlt. D. ad S.C. Trebell.*

Explicatio & limitatio *ad tit. de alien. feud. patern.*

dentibus. Nam nec filius propriè patri agnatus proximus eſt, cùm ſit ſuus, *l. ſcripto. 7. D. vnde liber.* Diſtinxit enim lex XII. Tab. ſuum heredem ab agnato proximo, iis verbis: [*Si paterfamilias inteſtato morietur, nec ſuus heres vllus erit, agnatus proximus familiam habeto,*] licèt ſuus heres admittatur ex edicto Prætoris, tanquam legitimus, etiam ex capite [*vnde legitimi*;] ex quo & agnati vocantur; ſicut & tanquam cognatus, ex capite [*vnde cognati,*] *l. 2. in prin. D. vnd. legit. l. 4. §. filius, D. quis ord. in bonor. poſſ. ſeruet. l. 1. §. ſed videndum, D. de ſucceſſ. edict.* Neque verò magni momenti eſſe poſſet conſenſus præſtitus à filio, qui propter paternam verecundiam & reuerentiam contradicere patri non auderet, *l. 1. §. quæ onerandæ, D. quar. rer. act. non det. l. penult. D. de furt.* Propter quam cauſam in toto ferè iure noſtro ſic comparatum eſt, vt ſi quando filij, aut filiæ conſenſus exigatur, non tam inſpiciendum ſit, an filius aut filia eõſenſerit, quàm vtrum iuſtam contradicẽdi cauſam habuerit: vt ſi nullam habuit, hoc ipſo ſatis conſenſiſſe intelligatur, dummodò ſciuerit, *l. 2. §. vlt. l. dotem. 37. D. ſolut. matrim.* Quam verò ſatis iuſtam cõtradicendi cauſam habuiſſent maſculi, in quorum præiudicium nihil à Theodoro factum fuerat, cùm non niſi deficientibus iis omnibus filiam ſuam Violandam, maſculóſque ex ea deſcendentes ad feudi ſucceſſionem inuitaſſet?

Filius præſumitur conſenſiſſe, aut cõſenſurus fuiſſe patri, ſi iuſtã contradicendi cauſam non habuerit.

Maſculi ex Theodoro ſuſcepti nullã potuiſſent iuſtam habere cauſam contradicendi pacto dotali.

MANEAT ergo ratum & inconcuſſum, Pactionem illam Theodori vt deficientibus maſculis omnibus per lineam maſculinam deſcendentibus, ad Violandam, maſculoſque ex ea deſcendentes totus Marchionatus perueniret, validam fuiſſe & efficacem, & quandam veluti partem dotis conſtitutæ pro filia Violãda Aymoni Comiti

Concluſio, Pactum dotale à Theodoro factum in dote conſtituẽda filiæ Violandæ, aut potiùs Aymoni Comiti Sabaudiæ pro filia, validũ &

iustum fuisse, nec per illud decipi Aymonem debuisse, qui non aliter fuerat matrimonium contracturus.

Comiti, qui non aliter fuerat matrimonium contracturus, & qui nullo prætextu decipiendus fuit, *d.l. vlt. C. de pact. int. empt. & vendit. l. fundi partem. 79. D. de contrah. empt. l. si venditor. 6. §. 1. in fin. D. de seru. export. l. si sterilis. 21. §. si tibi, D. de act. empt. d. l. si donaturus. 9. §. 1. de cond. caus. dat. l. 1. §. penult. D. de dol. except. l. Titia. 62. in fin. D. de iur. dot.*

Respõsiones ad alias aduersariorum obiectiones: Ac primùm ad eam, quæ fit ex concessione & inuestitura facta per Carol. IV. Imper. Ioanni filio Theodori.

QVO posito, inanes fiunt obiectiones omnes, quas aduersarij congerunt ex subsecuta inuestitura per Carolum IV. Imperatorem concessa Ioanni filio Theodori, quasi per eam fuerit alterata natura feudi, vt in eo possent succedere descendentes omnes cuiuscunque sexus, etiamsi non forent heredes primi inuestiti, propterea quòd facta fuerit inuestitura Ioanni [*proles, heredibus & successoribus masculis & fœminis,*] per quæ verba volunt factum fuisse feudum ex pacto & prouidentia, quod antea fuerat hereditarium, ex Afflict. *in Prælud. feud. num. 90. vers. videamus ergo, & plurib. seqq.* & Dec. *cons. 185. & 395.* Socin. Iun. *cons. 72. num. 27. lib. 1.*

Prima responsio. Non potuit alterari feudũ Marchionatus in præiudicium iuris, quod ex præcedente pacto dotali fuerat iam quæsitum Aymoni Comiti Sabaudiæ & Violandæ vxori eius, masculisq; nascituris ex eo matrimonio.

NAM vt maximè verum esset, quod illi supponunt, & nos posteà negabimus, quis tamen admittat potuisse alterari naturam feudi in præiudicium iuris, quod antea fuerat ex pactione illa dotali iusta & licita quæsitum Violandæ & masculis ex ea nascituris? Repugnant nimirum omnes iuris ciuilis & naturalis regulæ, quæ negant, id quod nostrum est, sine facto nostro aufferri nobis posse, *vulg. l. id quod nostrum. 11. l. non debet. 74. de reg. iur. l. vlt. D. de pact.* & posse per alium fieri deteriorem ignorantis conditionem, *l. 2. D. quod vi aut clam, cum similib.*

similib. Quod in dote maximè obtinet, ne dos auferatur matrimonio & marito, qui non aliis legibus fuerat vxorem illam ducturus, *d.l. Titia.62.* in illis verbis, [*Nihil proponi cur dos marito auferenda sit,*] *iunct. d.l. si ego.9.§. si res, de iur.dot. l. si donaturus.9.§.1. de condict.caus.dat. l. purè. 5.§. penult. D. de dol. excep.*

ENIMVERÒ falsum esse quod aduersarij supponunt, Vt per inuestituram illam à Carolo IV. concessam Ioanni filio Theodori, fuerit alterata primæua natura feudi, ex eo apertè intelligimus, quòd meminit expressim veteris illius concessionis per Ottonem factę Aledramo. Inest enim semper relatum in suo referente cum omnibus suis qualitatibus, *vulg. l. asse toto.77. D. de hered. instit.* Nec vnquam capienda est ea interpretatio, per quam censeatur Imperator posterior derogare velle ei quod à prioribus factum sit: Quin potiùs confirmasse credendus est, quod expresse non immutauit, *vulg. l. præcipimus. 32. C. de appellat.* Quod enim non est immutatum, cur stare prohibeatur? *vulg. l. sancimus. 27. C. de testam.* Et in inuestituris nominatim hoc obtinet, vt prima inuestitura debeat attendi, quasi posteriores omnes nihil aliud sint, quàm renouationes prioris, si non expresse prior sit immutata: Paris. *d. cons. 2. num. 23. vers. & licèt secunda inuestitura*, post Bald. Castrens. & alios ibi citatos, Curt. Iun. *cons. 181. num. 3.* & Curt. *cons. 1. col. 4. vers. ponderandum, & col. seq. in princip. post tract. feud.*

Secunda respõsio, Non esse alteratam naturam primæuam feudi, per concessionem factam à Carolo IV. Imperatore.

Posteriores inuestituræ debẽt intelligi secundum primam, si prima non sit immutata.

NEC sanè in tota concessione Caroli IV. quicquam est, ex quo ista feudi alteratio induci possit. Nam quod

De concessione & inuestitura facta per Carolum IV. Im-

per. in fauorem Ioannis, qui fuit filius Theodori.

post dictionem, [*heredibus,*] adiecit, [*masculis & fœminis,*] nihil nisi illud ipsum est, quod Ottonis concessio & inuestitura expresserat: [*ad familias vtriusque sexus,*] & Henricus VII. in inuestitura Theodori primi, vbi positũ erat simpliciter verbum, [*heredibus,*] relatum tamen, vt tota inuestitura, ad concessionem Ottonis: (Quamuis regulariter in feudis verbum, *heredibus*, intelligatur de liberis. Dec. omnino videndus, *cons. 395. nu. 6. & 9.*) nisi quòd paulò apertiùs hîc expressum est. Quæ autem dubitationis tollendæ causa adiiciuntur, ea ius commune non lædunt, *l. quæ dubitationis. 81. de regul. iur.* Nec tollit adiectio illa vim & potestatem præcedentis dictionis, *heredibus*, quæ feudum semper facit hereditarium; sed ampliat potiùs, vt quæ alioquin solos masculos comprehenderet, etiam fœminas complectatur, sed eas tamen quæ sint heredes duntaxat, & quia heredes, quamuis non quatenus heredes, vt frequentiore calculo à nostris probatum est, etiam ab iis qui pro Duce Mantuæ scripserunt. Inter quos Paris. *d. cons. 2. num. 21. & seqq.* post Alex. Dec. Ias. & alios *in locis ibi relat. & num. 23. vers. est bona decisio:* vbi allegat Baldum, Alexandr. & Brunum, Sigismund. Neapol. *cons. 1. num. 26.* post consilia feudalia Bruni, Cardin. Simon. et. inter cons. Mantuæ, *cons. 39. num. 24. vers. & ad propositum istud*, post Anton. Rub. Alexandr. *cons. 18.* Idem Paris. inter consilia Mant. *cons. 9. num. 70. & seq.* Crauet. *cons. 256. num. 3. vers. ex quibus apparet*, Iul. Clar. *in §. feudum, quæst. 9. in fin.* omnes contra Decium sibi ipsi contrarium, *cons. 185. & 395.* cuius opinio proinde damnata est.

Verbum *heredibus*, facit feudũ semper hereditarium, nec alias personas complectitur, quàm quæ sint heredes, & quia heredes, licèt non quatenus heredes.

Opinio Decij damnata.

ITA

ITA verò esse, vt per dictam inuestituram à Carolo IV. factam Ioanni, non sit alterata prior natura feudi, manserit que feudum vt anteà & hereditarium, & improprium, & alienabile, constat apertissimè ex obseruantia subsecuta, & ex tot dispositionibus factis tam inter viuos, quàm in vltima voluntate; tam ab illo ipso Ioanne, qui fuerat à Carolo IV. inuestitus, quàm à cæteris omnibus Marchionibus Paleologis, qui post eum in Marchionatu successerunt, relinquentes dictum Marchionatum vt plurimùm filio, aut fratri primogenito: nonnulli etiam, quod magis est, filio secundogenito, vt Theodorus secundus, qui filio suo primogenito regnum Thessaliæ reliquerat. Quorum omnium nihil dici verè posset, si feudum alteratum fuisset per dictam inuestituram Caroli IV. & factum ex pacto & prouidentia, proprium, & inalienabile: per text. *in c. 1. de succes. feud. in princ.* in verbis illis, [*Nulla ordinatione defuncti in feudo manente*:] & ibi Feudistę omnes: *& in cap. 1. de natur. succes. feud.* Iul. Clar. qui dicit communem, *in §. feudum, quæst. 40.*

Probatur ex obseruatione secuta, nõ fuisse alteratam naturã feudi, per concessionem & inuestiturã factam Ioanni filio Theodori à Carolo IV. Imper.

NAM & eo tempore, quo Marchionatus erat in linea & familia Aledrami, ex sola concessione & inuestitura Ottoniana, de eo disposuerunt semper Marchiones, pro arbitrio: & inter cæteros vltimus Marchio Ioannes, qui Violandam sororem suam heredem sibi vniuersalem instituit, vxorem Andronici Paleologi Græcorum Imperatoris, & suos: cuius institutionis vigore Violanda heres fuit: & tanquam heres elegit sibi successorem filium, non primogenitum, qui patri in Græcorum Imperio successit, sed secundoge-

Etiam in linea & familia Aledrami feudum Marchionatus sẽper fuit improprium, & alienabile.

Ioannes vlt. Marchio ex linea Aledrami instituit heredem vniuersalem Violãdam, sororem suam, vxorẽ Andronici Palcologi Grçcorũ Imperatoris, & suos.

nitum Theodorum, qui possessionem dicti Marchionatus suo nomine adprehendit, & Marchionatum tenuit iure hereditario: quod & Collegium ipsum Bononiense fatetur, *cons.15.n.33.vers.nam Theodorus.* Quo potissimùm argumento, qui pro Duce Mantuę scripserũt, intentionem Manfredi Saluciarum Marchionis impugnarunt, qui Marchionatum dicebat ex concessione Ottonis fuisse feudum rectum, proprium, & inalienabile; cùm tamen Marchio ipse Saluciarum, quem Ioannes ille vltimus testamento suo gubernatorem Status constituerat, eidem testamento consensisset, ac consilio, tractatúque habito cum Primoribus & Ordinibus omnibus Prouinciæ, Legatos misisset ad Violandã, rogaturos vt iuxta fratris voluntatem veniret illa è Græcia, vel aliquem ex filiis suis mitteret, qui Marchionatus possessionem adprehenderet, vt Historici omnes consentiunt, qui de Theodori vita scripserunt, inter quos Beneuenutus, cuius fide, licèt suspectissima & in pleriſq; vacillante, Mantuani potissimùm nituntur.

Interpretatio inuestiturę ab Henrico VII. factę Theodoro, sumenda est ex eo statu in quo erat Marchionatus illo tẽpore, & fuerat temporibus Ioannis vltimi Marchionis ex linea Aledrami.

EX quo Ioannis testamento apparet manifestissimè, inuestituram Henrici VII. dicto Theodoro concessam de dicto Marchionatu in feudum nobile, rectum, & antiquum, ad habendum & tenẽdum eo iure, & forma, quo & qua prædecessores ipsius habuerant, & tenuerant, non alium sensum habere posse, quàm vt haberet in feudum hereditarium, improprium & alienabile. Cùm & Theodorus ipse Marchionatum illum non possideret, nisi iure hereditario, & ex dispositione atque alienatione facta in fœminam ab vltimo ex Aledrami linea possessore, & immediato suo antecessore. Ad quẽ enim potiùs, quàm ad vltimum & immediatum prędecessorem

ceſſorem referre poſſes quod ait inueſtitura de prædeceſſoribus? Inde igitur liquidò conſtat neque impetrantis Theodori, neque concedentis Henrici VII. mentem illam fuiſſe, vt feudum Marchionatus ex feudo hereditario fieret feudum ex pacto & prouidentia, & ex feudo improprio proprium: ex indifferenti ad maſculos & fœminas ſucceſſiuè, maſculinum: ex alienabili denique inalienabile: ſed vt maneret feudum improprium, & alienabile, quale fuerat ſemper anteà.

CONSEQVENTER Theodorus hoc modo inueſtitus de Marchionatu ab Henrico VII. de eo quoque diſpoſuit in ſuo teſtamento anno 1336. & heredem ſibi vniuerſalem inſtituit Ioannem filium ſuum primogenitum, adiecta etiam ſubſtitutione in fauorem maſculi primogeniti, qui ex dicto Marchione naſceretur, & ſucceſſiuè aliorum maſculorum, qui ex illo primogenito, ſecundum ordinem genituræ.

Theodorus ſimiliter poſt inueſtituram ſibi factam de Marchionatu ab Henrico VII. diſpoſuit per teſtamentũ, anno 1336.

PER quam diſpoſitionem obſeruandum eſt, nihil à Theodoro factum fuiſſe contra eam conuentionem matrimonialem, de qua diſputamus; cùm nihil diſpoſuerit in eum caſum, quo maſculos omnes deficere cõtingeret: Nempe quia in hunc ipſum caſum iam prouiderat per pactũ dotale vocata Violanda filia, & deſcendentibus eius maſculis in defectũ lineæ maſculinæ Paleologorum. Vtroque autem modo demõſtrauit liberam ſe habere de Marchionatu illo diſponẽdi facultatem, & inter viuos, &, quod magis eſt, in vltima etiam voluntate: ſic nimirum inueſtituram ſibi ab Henrico factam interpretatus, vt ſibi vtrumque licere crederet.

Per teſtamentũ Theodori non fuit derogatũ pacto dotali, & idem Theodorus fecerat cum Aymone Comite Sabaudiæ pro filia Violanda.

SIMILITER & Ioannes Theodori filius à Carolo Ioãnes Theodori filius ſimi-

liter de Marchionatu Montisferrati inter tres liberos suos, per institutionē & substitutionē dispoſuit, anno 1372.

IV. inueſtitus, quem alio iure Marchionatum tenuiſſe volunt aduerſarij, ſicuti non alio iure quàm hereditario tenuit, hoc eſt, tanquam heres Theodori patris ex eius teſtamento: ita & ſuo ipſe teſtamento quod condidit anno 1372. cùm tres haberet maſculos Secundotū, Ioannem, & Theodorum, primogenitum heredem inſtituit in Marchionatu nominatim, & ei ſubſtituit Ioannem; tum Ioanni Theodorum ex ordine primogenituræ, ſecutus in omnibus patris ſui voluntatem. Nec eum fefellit euentus: quia liberi omnes eodem ipſo ordine quem præſcripſerat deceſſerunt. Præmortuis Secundoto & Ioanne ſine liberis, ſuperſtite Thodoro ſecundo eius nominis, qui vnicum duntaxat filium relinquens, nomine Io. Iacobum, etiam heredem illum habuit: ab inteſtato quidem, ſed non alia de cauſa, quàm quia nullo in eam rem opus erat teſtamēto, cùm vnicus ipſe filius ſupereſſet, iſque ex patris & aui teſtamentis vocatus ſatis, vt verendum non eſſet, ne quis ei controuerſiam Marchionatus faceret, etiamſi nulla Caroli inueſtitura præceſſiſſet.

Theodorus II. filius ſui adicti Ioannis, deceſſit inteſtatus, relicto vnico filio Ioanne Iacobo.

* Io. Iacob. deceſſit inteſtatus, anno 1445. relictis 4. maſculis, qui poſteà ex ordine primogenituræ ſucceſſerunt in Marchionatu, ſecundùm formam in teſtamentis aui & proaui præſcriptam.

De Guillielmo I. qui fuit ſecundogenitus Io. Iacobi, & poſt fratrem ſuum primogenitum Ioannem in Marchionatu ſucceſſit.

* DECESSIT poſtea hic Io. Iacobus, anno 1445. relictis quatuor maſculis, Ioanne, Guillielmo, Bonifacio, & Theodoro: ex quibus tres priores ei ex ordine ſucceſſerunt: Ioannes primùm, vt erat primogenitus, deinde mortuo eo ſine maſculis, Guillielmus, qui licèt hereditatem fratris verbotenùs repudiaſſe dicatur; Marchionatum tamen ipſum retinuit: non alio vtiq; iure, quàm ex teſtamento aui ſui Theodori, & tanquam ipſius heres, ſaltem per fideicommiſſum ſubſtitutus. Mortuo Guillielmo, ſuperſtite vnica filia Blanca, quæ Carolo I.

Sabau-

Sabaudiæ Ducí postea nupsit. Successit in eodem Marchionatu Bonifacius III. frater, dotata Blanca, quam vtique dotare tenebatur, ex dispositione Theodori primi, contenta in pacto dotali de quo tractamus, ad summam vsque octuaginta millium ducatorum, obligatis in eam causam, quod summopere notandum est, bonis nō Guillielmi, sed suis omnibus tam feudalibus, quàm allodialibus. Quæ oppignoratio non valuisset, nec obligatus fuisset dictus Bonifacius, vt nepti ex fratre constitueret dotem ex bonis feudalibus, etiamsi alia bona nulla fuissent, si tenuisset Marchionatum in feudum rectum, proprium, & inalienabile: non autem vt hereditarium, impropriū, & alienabile, *d. cap. 1. §. donare, tit. qualit. olim poter. feud. alien.* Statuto enim Sabaudię primum cautum est, vt pro dote possint bona etiam feudalia alienari & obligari, si alia nulla sint: nec idem iure communi obtinet, *d. §. donare.* Sed quemadmodum ex voluntate & dispositione Theodori primi iubebantur omnes masculi ex eo descendentes, qui in Marchionatus feudo essent successuri, vt filiabus prædefunctorum masculorum competentes dotes constituerent: Ita credēdus est, quidquid fecit hac parte, fecisse iuxta voluntatem dicti Theodori primi, & in adprobationem pacti huius nostri dotalis. Quidquid enim tale est quod fieri potuerit ex duplici causa, quarum vna sit voluntaria, alia necessaria, præsumendum est factum fuisse potiùs ex necessaria, *l. 3. in fin. l. 4. §. 7. l. cùm ex plurib. 97. D. de solut.* & ex titulo præcedēte potiùs, quàm ex noua causa, *l. quædam mulier. 77. D. de rei vindic. l. 1. D. qui potior. in pign. l. 2. C. de acquir. possess.* Non potuit autem talis constitutio fieri in consequentiā pacti dotalis à Theodoro iniri citra

Bonifacius III. succedens in Marchionatu dotauit Blancā filiam Guillielmi fratris sui, prout dotare illā tenebatur, secundùm conditiones adiectas in pacto dotali facto inter Theodorū I. & Aymonem Comitem Sabaudiæ, de cuius pacti virib. nunc disputamus.

Quod potuit fieri ex duplici causa, vna voluntaria & alia necessaria, præsumendum est factum esse ex necessaria.

tra ipsius approbationem, licèt nulla dicti dotalis pacti mentio facta sit in contractu matrimonij Blancæ, cùm ex facto non minùs quàm ex verbo, imò tanto fortius inducatur ratihabitio, quanto potentior est actus facti quàm actus verbi, vt loquuntur DD. *ex l. non tantùm. 5. aliàs l. Paulus. D. rat. rem haber.* Tantóque procliuiores esse debemus ad hanc interpretationem, quòd per eam sustinetur actus oppignerationis bonorum feudalium, quæ alioqui non sustineretur, vt diximus. Semper enim capienda est ea interpretatio, per quam fit vt actus valeat potiùs, quàm pereat, *vulg. l. quoties. 81. de verb. oblig. l. quoties. 12. D. de reb. dub.* Habuit ergo hic Bonifacius feudum Marchionatus pro hereditario, improprio & alienabili, quod proinde pro dote obligare non solùm potuerit, sed etiam debuerit: Aliter enim obligare non potuisset quicquam ex feudalibus, si nec alienare ei licuisset, *d. §. donare, l. vlt. C. de reb. alien. non alienand. l. sed & quod. 9. §. 1. D. de pignor.*

Sēper capienda est ea interpretatio, quæ faciat vt actus valeat potiùs, quā vt pereat.

Cur Theodorus secundus & Io. Iacobus intestati decesserint.

ETSI verò Io. Iacobus Theodori II. filius æquè ac pater intestatus decessisse proponitur; non ex hoc tamen id factum videri debet, quòd putaret interdictam sibi de Marchionatu liberè disponendi facultatem: sed quia maluit intestatus decedere, licèt plures haberet masculos, cùm auorum suorum dispositiones sufficere videret: nec enim testari quisquam cogitur, etiamsi maximè possit, *l. posthumus. 6. D. de inoff. testam.* Cæterùm habuisse illum liberam de Marchionatu disponendi authoritatem, neque dubium ei hoc fuisse, ex eo intelligimus, quòd anno *1435.* donationem is contulit in Amedeum VII. Ducem Sabaudiæ omnium

Io. Iacobus donauit partem Marchionatus Amedeo VII. Sabaudiæ Duci, anno 1435.

terra-

terrarum, castrorum,& villarum existentium citra Padum fluuium, & vltra Tanagrum, de qua in sequentibus dicemus.

NEC alia fuit existimatio Ioannis, qui primus in eo Marchionatu post patrem successit. Nam & mortuo patre, non solùm donationem illam adprobauit, sed etiam nouam inuestituram petiit ab Amedei filio Ludouico: variisque aliis modis conuentiones illas omnes adprobauit, quas pater fecerat, nunquam causatus interdictam sibi, vel patri suo eam facultatem. Sciebat enim nec à se, nec à patre possessum fuisse Marchionatum, nisi tanquam feudum merè hereditarium, improprium,& alienabile.

De Ioanne primogenito filio Io. Iacobi, & qui in Marchionatu successit patri, & quòd totũ Marchionatum nõ nisi tanquã hereditarium, impropriũ,& alienabile possederit.

GVILLIELMVS autem secundus Io. Iacobi masculus, quamuis hereditatem fratris retento Marchionatu repudiare tentauerit, ob id solùm ne noceret ei noua inuestitura, quam Ioannes frater à dicto Ludouico acceperat, cæteráq; omnia per dictũ Ioannem gesta cum Duce Sabaudiæ; adeoque nonnunquam conquestus sit, & protestatus, facta illa fuisse omnia per vim & metum Ducis Sabaudiæ, tanquam potentioris: nunquam tamen contradictionis & contumaciæ suæ rationem illam attulit, quòd non potuissent illi de feudo Marchionatus quicquam facere in præiudicium successorum, in Caroli IV. inuestitura comprehensorum. Quod tamen omnium minimè prætermittendum erat, nec fuisset verisimiliter à Guillielmo prætermissum, si tale quid dici posse credidisset. Quid enim attinebat tantis contentionibus disputare, an vi, aut metu factum fuisset, quod nec liberè fieri potuisset?

De Guillielmo huius nominis primo, sed secũdogenito filio Io. Iacobi, quòd similiter Marchionatũ semper possederit in feudũ merè hereditarium, improprium, & alienabile.

Frustra dicitur vi, aut metu factum id fuisse, quod nec sponte fieri potuisset.

Non ſolet Prætor audire illum qui petit reſtitutionem in integrum ex capite ſiue metus, ſiue doli, ſiue minoris ætatis: vel denique alia qualibet, ſi videat eum ipſo iure munitum, *l. in cauſæ. 16. in princip. D. de minor. l. ſi quidem. 11. C. de præd. minor. l. 3. C. ſi aduerſ. libert.* Vt neque Imperatores id tribuere, quod iure communi conceditur, *l. Imperatores. 30. de reb. author. Iudic. poſſ. aliàs l. 15. de priuil. credit.* Hoc ipſo igitur, quo allegabat Claudius vim illatam patri & Ioanni fratri, & defectum voluntatis duntaxat, non etiam poteſtatis, admittebat ſatis, potuiſſe illos de Marchionatus feudo diſponere pro arbitrio, ſi modò nulla vis, nullúſque metus interueniſſet. Sed & extant proteſtationes aliquæ factæ tam à dicto Ioanne II. quàm à Guillielmo eius fratre, in quibus tamẽ nihil eſt ex quo poſſit coniici aliud eos, quàm quod volumus, de feudo Marchionatus exiſtimaſſe. Quin & ipſa fraternæ hereditatis repudiatio, quæ à Guillielmo facta dicitur, cùm non alio colore facta dici poſſit, quàm ne omnia, quæ à Ioanne fratre geſta fuerãt cum Ducibus Sabaudiæ Amedeo & Ludouico, rata habere tanquam fratris heres cogeretur, an non probat euidenter liberam habuiſſe Ioannem de Marchionatu diſponendi facultatem? Adeóque Marchionatum fuiſſe hereditarium, & cum hereditate delatum? Alioquin ſi Marchionatus feudum habitum fuiſſet pro recto, proprio, inalienabili, & non hereditario, verendum non erat ne Guillielmo poſſent nocere quæ Ioannes geſſerat, etiamſi Ioannis heres ipſe fuiſſet. Nam nec heres tenetur ex eo defuncti facto, quod nullum ipſo iure fuit, & contra iuris prohibitionem, vt pluribus tractat Oſaſc. *Deciſ. Pedem. 180.* & nos ſcripſimus *in Codice noſtro*

De proteſtationibus factis tam à Ioanne II. quàm à Guillielmo I. contra Ducem Sabaudiæ.

De repudiatione fraternæ hereditatis per Guillielmum facta.

Heres non tenetur ex facto defuncti, quod nullũ fuit ipſo iure, & factum contra iuris prohibitionẽ.

nostro, defin. 2. de hered. action. Neque huius rei clarius exemplum afferri potest, quàm in feudo, cuius alienatio sine consensu domini facta vsque adeò inutilis & nulla est, vt etiam ab eo qui sit heres alienantis improbari possit: Quæ vna est ex limitationibus *ad l. cùm à matre. C. de rei vindic. l. venditrici. C. de reb. alien. non alienan.* Ne repetamus quod iam ostendimus in præcedentibus, Non potuisse Guillielmum repudiata hereditate feudum retinere quod esset hereditarium: neque hoc casu locum esse dispositioni textus *in cap. vnic. an fil. vel agnat. feud. retin. poss. repud. hered.* Nec tamen desunt etiam alienationes, oppignerationes, & aliæ dispositiones de eodem Marchionatu factæ ab eodē Guillielmo, etiam in constituenda dote filiabus naturalibus, & illegitimis. Qua igitur fronte ex persona ipsius dici hodie potest, feudum illud fuisse ex pacto & prouidentia, ac proprium & inalienabile, non hereditarium?

Variæ alienationes & oppignerationes factæ a eodem Guillielmo I. de Marchionatu Montisferrati, etiam pro dote constituēda filiabus naturalibus & illegitimis.

GVILLIELMO successit postea Bonifacius frater tertiogenitus, & quidem tanquam heres fratrum & auorum suorum; non quidem in bonis allodialibus, in quibus sanè Blanca Guillielmi filia successerat: sed in feudo Marchionatus, tanquam in separato quodam patrimonio: sunt enim quodammodò duæ veluti duorum hominum hereditates, vt de castrensibus & paganicis eiusdem militis bonis scriptum est, *in l. si certarum. 17. §. 1. D. de testam. milit.* Nec quicquam vetat Bonifacium, quamuis non fuerit heres fratris in allodialibus; fuisse tamen in feudalibus, à quibus scilicet excluſa fuit filia ex natura & iure feudorum. Ac præterea ex dispositionibus auorum, & maximè Theodori

De Bonifacio filio tertiogenito Io. Iacobi, & qui successit Guillielmo in Marchionatu, tanquam heres fratrū, & auorum suorum.

Guillielmus I. potuit habere & habuit heredem vniuersalem Blancā filiam in bonis allodialibus: Bonifaciū verò fratrē in Mar-

chionatu tam iure feudi, cuius sunt incapaces filiæ, existentibus masculis, quàm ex dispositione Theodori I.

primi, qui filias descendentium suorum masculorum dotari voluit secundùm dignitatem Marchionatus, ac proinde ex ipso quoque Marchionatu.

Bonifacius I. decessit condito testamento, & instituto herede Guillielmo II. filio suo, nominatim in Marchionatu, anno 1491.

IDEM Bonifacius postea moriens, duos reliquit masculos, Guillielmum II. & Ioannem Georgium; sed condito priùs testamento, anno *1491.* quo instituit sibi heredem vniuersalem, nominatim in Marchionatu, Guillielmum filium suum primogenitum; qui ex eo testamento heres solus fuit: & moriens postea relicto vnico filio impubere * Bonifacio II. & Margareta, instituit heredem filium, vniuersalem quidem, sed præcipuè in Marchionatu, excluſa filia Margareta. Defuncto autem postmodùm in pupillari ætate dicto Bonifacio, successit † Io. Georgius eius patruus, & excluſa iterum dicta Margareta nepte ex fratre, quamuis illa in bonis allodialibus fratri, vt heres, successisset. Isque Ioannes Georgius est, cuius mors postea secuta, nullis superstitibus masculis, huic liti & controuersiæ causam dedit.

Guillielmus II. instituit heredem sibi vniuersalē in Marchionat[illegible] Bonifaciū I. impuberem filiū suum.

* Bonifacio II. successit Ioan. Georgius patruus in Marchionatu, excluſa Margareta, quæ erat filia Bonifacij I. & soror Bonifacij II. quæ tamen successit fratri intestato in bonis allodialib.

† Io Georgius vltimus masculus, & Marchio ex linea & familia Paleologa, decessit sine liberis, superstite Margareta nepte ex fratre. Indéque nata hæc tota controuersia.

HOC igitur ita constituto, vt feudum Marchionatus fuerit semper hereditarium, improprium, & alienabile, optima consecutio est, quæ hoc dilemmate à Scriptoribus nostris concluditur: Aut fuit Margareta heres Theodori primi siue mediatè, siue immediatè: aut non fuit. Si fuit, non est ei permittendum vt veniat contra factum Theodori, & impugnet conuentionem illam dotalem, quæ à Theodoro inita est in fauorem Violandæ filiæ suæ, & masculorum ex ea nasciturorum: quia feudum hereditarium est, & improprium, & alienabile. Si non fuit heres, ergo ad feudum hodie admitti

Ex præmissis infertur cōcludenti dilēmate exclusio Mantuanorum.

mitti non potest, eâdem illa ratione, quia similiter est hereditarium: & iam sæpiùs diximus & probauimus, ad feudum hereditarium non alium admitti posse, quàm qui vel mediatè, vel immediatè heres sit primi inuestiti.

An exceptio, quòd feudum sit hereditariũ, sit de iure solus Cæsaris, nec ab alio vllo opponi possit.

Nec admitti potest aduersariorum replicatio, cùm dicunt, Exceptionem hanc esse de iure Cæsaris, nec à tertio vllo posse opponi. Quasi nemo possit succedere in feudo ob id solùm, quòd alius qui vult succedere, non sit heres primi inuestiti. Etsi enim verum est, non posse ex hac ratione vlli tertio viam aperiri ad succedendum, si alio nullo iure nitatur, quia nihil aliud per se concludit hæc ratio, nisi quòd feudum deuolui debeat ad Imperatorem: bona tamen ratio est ad probandum quod volumus, Non potuisse Margaretam impedire quominùs in Marchionatu succederet Carolus Dux Sabaudiæ, ex pacto dotali inito per Theodorum; cùm heredem eam esse necesse sit, vt ius aliquod habeat succedendi in feudo hereditario: si autem sit heres, non possit impugnare factum defuncti, quod de iure valuit, quandoquidem feudum fuit hereditarium. Itaque agimus non ex non iure Margaretæ, sed ex iure nobis quæsito per pactum dotale. Neque excipimus contra Margaretam de iure Cæsaris; sed exceptionem Margaretæ negantis valere pactionem in præiudicium succedentium ex inuestitura Caroli IV. vocatorum, hac replicatione elidimus, quòd non sit Margareta admissibilis ad successionem huius feudi, si non sit heres Theodori: Aut si sit heres, quòd audiri non debeat impugnans factum illius, cui ipsa heres extiterit: neque ad obiectionem hanc responderi sanè potest.

Intentio Ser. Ducis Sabaudiæ nõ est fundata super exclusione Margaretæ, sed super pacto dotali inito inter Theodor. & Aymonẽ Comitem Sab. Replicatio autem, ad elidendam Margaretæ exceptionem, super non iure ipsius Margaretæ.

Aliud refugiũ Mantuanorum ad inueſtituram cõcellam Margaretæ & ipſius marito Ferdinando Gonzaguæ, per Carolum V. Imperatorem.

OB hanc nimirum cauſam, qui pro Margareta conſuluerunt, coacti ſunt ad aliam defenſionis ſpeciem confugere; quam ſumunt ex vltima inueſtitura per Carolum V. Imperatorem conceſſa dictæ Margaretæ, & eius marito Federico Gonzaguæ, vt inferant ſucceſſiſſe coniuges per huiuſmodi inueſtituram in iura omnia Cæſaris, ad quem per obitum Io. Georgij ſine maſculis feudum erat recaſurum: & in cuius præiudicium, neque pactum illud dotale, neque aliud quicquam fieri potuiſſe conſtabat. Quidni enim ſucceſſor, inquiunt, vtatur reali iure ſui authoris, *l. forma. 5. §. quamquam, D. de cenſib. l. actionum. 25. ff. 1. de verb. oblig.* Indéque inferunt nihil egere Margaretam vt ſit heres Theodori, cùm habeat feudum non à Theodoro, ſed à Cæſare.

Reſponſio ad ſupradictam obiectionem.

SED hæc reſponſio certè omnium leuiſſima eſt. Continet enim petitionem principij, in eo, quod præſupponit, deuolutum & reuerſum fuiſſe feudum ad Cæſarem, déque eo diſponere Cæſarem potuiſſe, etiam in præiudicium Sereniſſimi Caroli Ducis Sabaudiæ, quod vtrumque nos negamus.

Prima reſponſio, quòd Dux Carolus auus Sereniſſ. Ducis Sabaudiæ fuerit cõprehenſus in primis inueſtituris tã Ottonis, quã Henrici VII.

PRIMVM, quia dicimus Carolum fuiſſe comprehenſum in primis inueſtituris tam Ottoniana, quàm Henriciana, cùm ſit ex deſcendentibus tam ab Aledramo, quàm à Theodoro Paleologo. Ab Aledramo quidem per Violandam primam vxorem Andronici, Græcorum Imperatoris, & ſororem Ioannis vltimi Marchionis ex linea Saxonica, & quæ eadem mater fuit dicti Theodori. A Theodoro autem per Violandam ſecundam filiam ipſius Theodori, & vxorem Aymonis Comitis

Comitis Sabaudiæ. Nam cùm vtraque inueſtitura ſit pro maſculis,& fœminis,vt ſuprà probauimus,& Carolus ſit ex deſcendentibus per fœminas,& præterea maſculus,dubitandum non eſt quin ſit non modò ex comprehenſis in inueſtitura;ſed etiam præferendus Margaretæ duplici iure, & quia maſculus, & quia nunquam excluſus: imò vocatus expreſsè per pactum dotale initum inter Theodorum & Aymonem Comitem Sabaudiæ. Cùm è contrario fuerit Margareta tanquam fœmina bis excluſa iure feudi, ſemel per fratrem Bonifacium, quem diximus impuberem deceſſiſſe, & iterum per Io. Georgium patruum, qui fuit vltimus Marchio ex maſculina linea Paleologorum. Rurſum, & tertiò, per pactum illud dotale,per quod fuit conſeruatum ius ſuccedendi in eo feudo,non ſolùm Violandę,quæ viuo patre nondum poterat videri fuiſſe vnquam excluſa; ſed etiam maſculis ex ea deſcẽdentibus, in quo numero erat Carolus, vt diximus,& aduerſarij quoque conſentiũt. Proinde non poteſt nobis obiici,quod nos aduerſariis de Margareta obiicimus, Fuiſſe Violandam quoque filiam Theodori excluſam per tot maſculos, qui ſucceſſerunt ex linea Paleologorum:Nunquã enim fuit excluſa præcisè & abſolutè,ſed ſuſpenſiuè tantùm, ad ſecundùm quid, quandiu ex linea maſculina Theodori maſculus aliquis ſupereſſet, qui hodie nullus ſupereſt. Fuitque illi & maſculis ipſius deſcendentibus conſeruatum ius per ſupradictam conuentionem dotalem, eo tempore,quo cõſeruari adhuc poterat:id eſt, priuſquàm amiſſum & extinctum eſſet: At è contrario Margareta fuit bis excluſa iure feudi,vt oſtendimus:& iterum per dictam conuentionem dotalem,& quidem ſimpli

Carolus Dux Sabaudiæ fuit prefereñ° Margaretæ duplici iure, & quia maſculus, & quia nunquam excluſus; at expreſsè vocatus per pactum dotale Theodori cum Aymone: cũ tamen Margareta præter ſexum fuerit etiam bis excluſa à Marchionatu, & quidem tanquã fœmina.

Violanda filia Theodori, à qua deſcendit Carolus Dux Sabaudiæ, nunquam fuit excluſa pręcisè & abſolutè, ſed tantùm ſuſpenſiuè.

simpliciter, & absolutè,& præcisè. Et consequenter in eius persona locum habet dispositio illa iuris feudalis, quę vult,Filiam semel excluſam,manere in perpetuum excluſam,nec vlteriùs admitti vnquam posse:per textũ apertissimum *in tit.6.Episcop. vel Abbat.vel Abbatiß.vel domin.pleb.feud.dar.non poss.§. quinetiam,in vsib.feudor.lib.1.* Quam esse cõmunem nostrorum sententiam, & à qua in iudicando & consulendo non sit recedendum,testatur inter cæteros Socin. Iun. *cons.110.col.2. & 3. lib.2. & cons.114.eod.lib.*Paris.*cons.72.num.79.lib.4.*vbi refert se aliàs ita consuluisse in hac ipsa causa Montisferrati, Berous *cons.105. num.1.2.3.* Decius *cons.390. num.4.*Natta *cons.676. num.33.*Iul.Clar.*de feud.quæst.80.vers.sed quæro.* Dummodò,inquit, non agatur inter fœminam & fiscum, quo casu ait videri sibi hanc sententiam paulò duriorem. Sed exceptio hæc ad casum nostrum non pertinet, in quo non habet Margareta fiscum aduersarium,sed Carolum,qui etiam semoto pacto dotali,si persona semel excluſa non maneret in perpetuum excluſa; præferendus tamen esset tanquam masculus, licèt ex fœmina. Potiúsque debet nobis exceptio ista prodesse,vt inferamus, Nullum ius habuisse Imperatorem Carolum V. concedendæ huius inuestituræ, aut dictæ Margaretæ, aut Federico eius coniugi, aut vtrique. Nam si verum est, quod Clarus putat, personam semel excluſam non manere in perpetuum excluſam, quod ad dominum pertinet;sed reuocari eam ad successionem in præiudicium fisci, aut domini directi:consequens omnino est, vt nihil penitùs iuris habere potuerit Imperator Carolus V. extra ius feudi & superioritatis in Marchionatu, quandiu vixit Margareta; etiamsi sola illa ex omnibus

In feudis filia semel excluſa remanet in perpetuum excluſa, nec vlteriùs admitti vnquã potest.

Carolus Dux Sabaudiæ fuit præferendus Margaretæ, etiã semoto pacto dotali,&remota excluſione Margaretæ, vtpote tãquam masculus, licèt ex fœmina.

Nullum ius habuit Carolus V. Imperator ad concedendam nouã inuestiturã Margaretæ, aut Federico eius cõiugi, aut vtriq.

Aledrami

Aledrami & Theodori descendentibus superfuisset. Ac proinde nihil iuris in Margaretam trãsferre ille potuit, cùm ad eum non fuisset reuersum feudum: Nec enim est hoc feudum ex iis, quæ ideò impropria dicuntur, quòd dantis arbitrio aufferri possint, de quibus *in tit. 81. de feud. impropr. quod auffer. dant. arbitr. lib. 2.* Quòd si Margareta iure suo vti noluit cõtra Imperatorem, maluitq; ab eo Marchionatum obtinere ex noua inuestitura, quàm ex antiquis, non potuit ea res nocere Carolo, qui eandem exceptionem aduersus Cæsarem habebat, & ad ius omne ipsius excludendum: nec tantùm ex persona Margaretæ (quo casu, quia non fuisset exceptio exclusiua iuris agentis simpliciter, sed ita si tertius vellet, vtique admitti non potuisset inuita Margareta, ex doctrina Bartoli, quam omnes adprobãt *in l. 2. D. de except. rei iudic.*) sed etiam ex propria: cùm esset Dux Carolus ex descendentibus & vocatis & inuestitis; & quidem antè Margaretam, tanquam masculus; ac proinde cui Margareta facto suo neque nocere, neque propriam ei exceptionem & defensionem adimere potuisset. Nec si ex ipsius Margaretæ persona semel eam habere cœpisset, vt in specie *d. l. vlt. D. de pact.* Nec enim de illo vnquam nostri dubitant, vtrum eo iure, quod ex tua persona habeo, possim vti inuito te: sed de hoc tantùm, an possim eo vti contra te, quasi nimis durum hoc videatur. Cùm igitur Carolus ex propria persona iustam haberet defensionem, non modò contra Cæsarem, tanquam vnus ex descendẽtibus, etiam præsupposita Violandæ exclusione, quam Iulius Clarus vult, & admittit non fuisse nisi suspensiuam, quandiu masculi superessent: sed etiam contra Margaretam, scilicet tanquam

Feudum Marchionatus, de quo disputamus, non est ex eorum genere, quæ impropria ideo dicuntur, quòd pro arbitrio concedentis aufferri possint.

Dux Carolus non solùm fuit ex descendentibus ab inuestito, sed etiam ex vocatis & inuestitis per primas inuestituras.

masculus, licèt remotior: quemadmodum etiam antè fuerat excluſa per alium maſculum remotiorem, patruum vltimi defuncti, cuius erat illa ſoror: (nec enim habet proximus agnatus quod conqueratur, etiamſi alius remotior ei præferatur, Crauet. *conſ. 256. verſ. iſtud etiam voluit Baldus.*) Conſequens etiam eſt, non ſolùm nihil iuris habuiſſe Imperatorem Carolum, quod per nouam inueſtituram trãsferre in dictam Margaretam, & eius coniugem potuerit; cùm ſupereſſent duæ perſonæ, quæ impediebant ne feudum adhuc deuolutum, & ad eum reuerſum fuiſſe dici poſſet: & inter eas perſonas Carolus, qui ex proprio iure, propriaque perſona non modò Imperatori, ſed etiam Margaretæ fuiſſet præferendus; & conſequenter inuito etiam Cæſare, ac inuita quoque Margareta ad feudi ſucceſſionem admittendus: Poſſetque dicere Cæſari, *Si vinco vincentem te, multo magis vinco te, vulg. l. de acceſſionibus. 14. D. de diuerſ. tempor. præſcr.*

Quãdiu ſupereſt aliqua perſona ex vocatis & inueſtitis, nõ poteſt Imperator ius vllum, per nouam inueſtituram, in aliũ transferre.

Replicatio ad reſponſionem, quam adferunt Mantuani, vt eludant diſpoſitionẽ textus *in d. §. quin etiã, tit. 6. Epiſcop. vel Abbat. lib. 1.*

NEC reſponderi poteſt, quod quidam ex aduerſariis reſpondent, diſpoſitionem *d. §. quinetiam*, procedere in feudo recto & proprio; nõ in eo, quod ſit improprium, quale hoc eſſe ſemper diximus. Etſi enim eſt improprium, quantùm ad hoc, quod tranſitorium eſt etiam ad fœminas; item quantùm ad liberam de eo diſponendi facultatem: in cæteris tamen omnibus ſicuti feudum manet. Ita retinet propriam naturam recti feudi: nec improprium aut alteratum videri debet, niſi quatenus, & impropriatum & alteratum expreſſim fuit, præterquàm ſi quid veniat in neceſſariam conſequentiam pacti alterantis: Maximè cùm agatur hic de interpretando

Feudum etiam improprium, & alteratum retinet naturã recti & proprij feudi, niſi in eo, in quo expreſsè fuit al-

rando non actu concessionis; sed actu amissionis feudi, secundùm distinctionem Socini *cons.257.col.pen.vers.præmissis non obstat,lib.2.* per text. *in cap.1. de feud.non habent. propr.natur.feud.tit.48.lib.2.* Alex. post Isern. quem refert *cons.30.nu.20.lib.1.* Præpos. *in Prælud.feud.col.12.* post Isern. & Calder. ibi relatos, Zasius post Bald. Dec. Rom. & alios *in tract.de feud.part.vlt.in princ. vers. recepti enim iuris est,* Carol.Ruin.*cons.15.incip.Consideratis,col.antep.vers. quia licet,lib.1.& cons.39.visis,eod.lib.* Gozad.*cons.26.nu.46.* Socin. Iun.*cons.42.num.1.lib.3.* Berous inter Cons. Mant. *cons.17.num.13. vers. retenta tamen in aliis natura feudi,* Aret.*cons.14.col.2. in fin.& seq.* Dec. *cons.193.col.pen.* & alij multi,quos nostri in hanc rem congesserunt, vt scilicet minùs, quàm fieri possit, natura recti & proprij feudi alteretur.

teratum,aut in eo,quod venit in necessariam consequẽtiam pacti alterãtis.

VERVM igitur est, etiam in hoc feudo Marchionatus Montisferrati personam semel excluſam, perpetuò debere excluſam manere.

In successione feudi Marchionatus, persona semel excluſa, sẽper & in perpetuum remanet excluſa.

CVI non obstat quod suprà diximus, tot masculos ex linea Paleologa in hoc ipso Marchionatu successisse, post eos, per quos priùs fuerant excluſi, vt in fratribus & patruis euenit; cùm ex natura recti & proprij feudi fratres simul in feudo succedere debuissent æqualiter, *tit.3.de succes. feud.lib.1.& tit.50.de natur.succes.feud.lib.2.*

Aduersariorũ obiectio, ex eo quod diximus, tot masculos in hoc Marchionatu successisse, post eos, per quos fuerant excluſi.

NAM respondeo,primùm nunquam fuisse illos excluſos à successione huius feudi; sed contrà expressim vocatos per testamenta & dispositiones Theodori primi & Ioannis eius filij:per quas vocationes fuit iis conseruatum ius succedendi, suo saltem gradu, & ordine, cùm successerint eo tempore,quo nullus erat alius siue

Responsio, Quòd masculi qui succesſerãt in Marchionatu,nunquã fuerant ab ea successione excluſi, sed tantùm tardiùs vocati.

proximior, siue remotior, qui præferri eis deberet; vt proinde nunquam excluſi fuiſſe dici poſſint; ſed tantùm tardiùs vocati, vt & *in l.omnia.32.aliàs l.cùm ita.§.in fideicommiſſo, l.peto.69.§.fratre, l.cùm pater.77.§.penult.de legat. 2. l.heredes mei.57.§.vlt. D.ad S.C.Trebell.* Ex quo inferendum eſt, Tanto verius & certius eſſe, quod volumus, eos qui ad Margaretam vſque, in hoc feudo ſucceſſerunt, ex vtraque linea & Saxonica & Paleologa, non tantùm iure feudi ſucceſſiſſe: ſed etiam ex diſpoſitionibus vaſallorum, per vtramque inueſtituram permiſſis; pleroſque etiam ex ſolis diſpoſitionibus illis, cùm alioqui iure feudi ſolo ſuccedere non potuiſſent. Et conſequenter liberum fuiſſe Theodoro de toto Marchionatu diſponere, non minùs per pactum dotale in fauorem Violandæ filiæ, quàm per ſpeciem vltimæ voluntatis. Quod in Margareta diuerſum fuit, quæ nec ex inueſtituris vocata erat, niſi deficientibus omnibus maſculis, qui nondum defecerunt, nec vnquam deficient, quandiu Deus Opt. Max. Sereniſſimam hanc Principum noſtrorum familiam ſaluam & ſoſpitem eſſe volet. Volet autem, vt ſperare licet ex fœliciſſima tantæ prolis fœcunditate, in perpetuas æternitates: Neque ex prædeceſſorum ſuorum diſpoſitionibus, quæ ſemper maſculos ſolos vocauerunt; ſi excipias teſtamentum Ioannis vltimi ex linea Saxonica, qui heredem inſtituit ſororem Violandam & ſuos: & ſupradictam Theodori primi conuentionem dotalem, quæ in defectum lineæ maſculinę vocauit Violandam filiam & maſculos ex ea deſcendentes: imò, ſi verba conuentionis inſpicimus, ſucceſſores eius indefinitè, id eſt, quoſcunq; etiam extraneos. Adeò voluit ille maſculos ex Violanda deſcendentes præferri etiam

etiam filiorum ſuorum filiabus, ac multo magis maſculis, quos ex iis naſci contingeret. Niſi quis velit dicere nomen [ſucceſſorum,] ad ſolos deſcẽdentes reſtringi debere, ex Dec. *conſ. 516. num. 14.* Quod etſi maximè verum eſſet, tamen etiam fœminæ & maſculi ex fœminis, [deſcendentium] appellatione continerentur.

Etiam fœminę & maſculi ex fœminis appellatione *Deſcendentium* continentur.

DEINDE reſpondemus, Etiamſi nullæ fuiſſent prędeceſſorum diſpoſitiones in fauorem maſculorum, qui in Marchionatu ſucceſſerunt; potuiſſe tamen eos ſuccedere iure feudi, quamuis iam excluſos, quia nemo alius ſupererat, qui feudi controuerſiam eis facere poſſet: Nam fœminæ, nec rurſum maſculi ipſi ex Violanda ſuſcepti, cùm non eſſent vocati ſiue ex inueſtituris, ſiue ex dotali pacto Theodori, niſi poſt maſculos, & in defectum maſculorum. Sufficiebat enim ad excludendas per defectum condicionis fœminas, aut fœminarum maſculos, vt aliqui ſupereſſent maſculi, quamuis excluſi, *l. filiusfamilias. 114. §. cùm erit, de legat. 1.* Solus itaque Imperator poterat controuerſiam feudi facere, illudque dicere deuolutum & ad ſe reuerſum: Atqui ex ſententia Iulij Clari, quam ſuprà retulimus, perſona ſemel excluſa, non eo minùs admitti poſtea poteſt, ſi non alium aduerſarium habeat, quàm dominum directum. At in perſona Margaretæ nihil tale tractari potuit, quæ ſemel excluſa, nec ſemel tantùm, ſed bis à ſucceſſione feudi, aduerſarium habuit Carolum Sabaudiæ Ducem nunquam excluſum: quamuis deſcendentem ex Violanda filia Theodori; quia nec Violanda fuit excluſa niſi ſuſpenſiuè, quandiu maſculi ſupereſſent; imò vocata, & eius quoque ſucceſſores, in eum caſum, quo linea maſculina deficeret. Ergo tametſi

Alia reſpõſio, quòd maſculi potuerunt iure feudi ſuccedere, etiam poſtquàm fuiſſent excluſi, cùm per ſolã ipſorum exiſtentiã excluſæ eſſent fœminę, & omnes maſculi ex fœminis deſcẽdentes.

Margareta bis excluſa à feudali ſucceſſione huius Marchionatus, sẽper habuit aduerſarium Ducem Carolum, qui nunquam fuerat præciſè excluſus, vt neque Violanda eius mater, niſi ſuſpenſiuè.

Margareta fuiſſet ex perſonis vocatis per inueſtituram in defectum maſculorum; non tamen potuit ſuccedere propter geminatam illam excluſionem: quarum altera ſufficere poterat ad eam in perpetuum excludendam, fauore Violandæ, & ſucceſſorum eius, quandiu ex iis aliquis vel vnus ſupereſſet. Tantúmque concludit aduerſariorum argumentum, potuiſſe illam ſuccedere, licèt excluſam, ad excludendum Imperatorem, ſi neque Violanda, neque Violandæ ſucceſſor vllus eo tempore ſuperuixiſſet. Stante igitur validitate pacti dotalis, dubitandi cauſa nulla ſupereſt, cur non ſit præferendus Dux Carolus dictæ Margaretæ, & maſculis ex ea ſuſceptis, quamuis fuerit illa & proximior & deſcendens ex maſculo.

Præſuppoſita validitate pacti, tam multis rationibus probata in præcedentibus, non poteſt dubitari, quin Dux Carolus fuerit præferendus Margaretæ.

SED & circumſcripta validitate pacti, poteſt defendi Carolum Sabaudiæ Ducem potuiſſe ex inueſtituris ſuccedere, & præferri Margaretæ: quia licèt eſſet ex Violanda ſuſceptus, quæ per fratrem Ioannem excluſa fuerat, quamuis non niſi ſuſpenſiuè, vt ſuprà diximus; & dici ſoleat, excluſa perſona aliqua, cenſeri excluſos quoque omnes ex ea deſcendentes, *arg. l. ſi viua matre. 3. C. de bon. matern.* Tamen fuit ille vocatus per inueſtituras, ex proprio capite, non tanquam deſcendens ex Violanda, ſed tanquam deſcendens à primis inueſtitis Aledramo & Theodoro. Ac proinde non debet ei nocere excluſio Violandę, etiamſi præciſa fuiſſet, qualis certè non fuit, cùm non ex ipſius perſona velit ſuccedere, ſed ex ſuo proprio capite, quod & aduerſarij fatentur in maſculis Margaretæ, per text. elegantem *in l. 2. D. de interd. & releg.* in poſtremis illis verbis, [*Non enim hæc patrem, ſed maiores eius eis dediſſe,*] *l. emancipatum.*

Alia ratio, propter quam etiã circũſcripta pacti dotalis validitate, Carolus præferendus fuit Margaretæ ex inueſtituris.

cipatum. 7.§. vlt. D. de Senator. Scilicet cùm filius venit ex noua delatione, & in nouum casum, vt hîc, *ex l. 1.§. sed videndum, D. de succeſſ. edict.* vt in plurium perſonis, & in feudis quoque recipiatur hodie, quod olim etiam in vna recipiebatur in bonis cæteris, *arg. l. ſingularia. 15. D. de reb. cred.* licèt in perſona ipſa excluſa aliud obtineat, *d.§. quinetiam.*

Filius, aut alius ſuſceptus, etiã ex perſona excluſa, poteſt venire ad feudũ ex proprio capite, dũmodò ſit comprehenſus in inueſtituris, & veniat ex noua delatione, & in nouum caſum.

MVLTO minùs ad rem pertinebit, ſi quis replicet, Eadem igitur ratione dicendum eſſe maſculos Margaretæ præferendos eſſe Duci Carolo, cùm ipſi nunquam fuerint excluſi ex proprio capite; ex quo tamen perinde venire poſſunt, tanquam non minùs vocati quàm maſculi ex Violanda deſcendentes: habeant verò hoc amplius, quòd ſunt proximiores, *ex cap. 1. de eo qui ſibi & hered. ſuis maſcul. & fœmin.* Nam reſpondemus, Eſſe iſtorum cauſam diſſimilem; quia non fuerunt in rerum natura eo tempore, quo deceſſit Io. Georgius vltimus maſculus ex linea maſculina Paleologa. Quo demùm tempore cœpit locus fieri huic quæſtioni, de huius feudi ſucceſſione. Quemadmodum enim fœmina ſemel excluſa per exiſtentiam maſculi, ſemper & in perpetuum manet excluſa, nec reuocatur ad ſucceſſionem per defectum eiuſdem maſculi poſtea contingentem, *vt in d. l. filiusfamilias. 114.§. cùm erit quis rogatus, de legat. 1.* Oldrad. *conſ. 21. incip. Thema tale eſt:* ita & multo magis perſona, quæ ſemel fuit admiſſa per defectum maſculi, ſemper & perpetuò dicitur admiſſa, etiamſi poſtea ſuperueniant maſculi, per quos excludi ab initio potuiſſet, ex notat. per DD. præſertim Iacob. de Bellouiſ. Bald. & alios communiter *ad d. cap. 1. de eo qui ſibi*

Alia aduerſariorũ obiectio ex capite liberorum Margaretæ, quòd debuerint præferri Duci Carolo, tanquã proximiores in gradu, licèt per fœminam deſcendentes.

Reſponſio ex ratione diuerſitatis, quæ eſt inter maſculos deſcendẽtes ex Violanda filia Theodori, & maſculos qui nati ſunt ex d. Margareta.

Inſpiciendum eſt tempus exiſtentis conditionis & delatæ ſucceſſionis feudi.

ſibi & hered. ſuis, reprobata Gloſ. *ibid.* Ial. *de feud. part. 8. partic. 2. concluſ. 3. num. 12. verſ. ſed quæras de caſu magis dubitabili*, Curt. *de feud. part. 3. q. 28.* Socin. Iun. *conſ. 110. num. 9. & 10.* Pariſ. *conſ. 85. num. 31. & ſeqq. & conſ. 48. nu. 22. & ſeq. lib. 2.* In his enim diſpoſitionibus condicionalibus ſemper & præcisè inſpiciendum eſt tempus euenientis condicionis, *l. intercidit. 59. l. eum qui poſt. 104. D. de condic. & demonſtr. l. ſi in perſona. 21. C. de fideic. d. l. filiusfamilias. 114. §. cùm erit, de legat. 1. l. heredibus. 77. D. ad S. C. Trebell.* Rurſum præter illam excluſionem legalem Margaretæ, quæ iure feudi excluſa bis fuit à ſucceſſione, & quidem præcisè, vt diximus, primùm per exiſtentiam fratris, deinde per exiſtentiam patrui: fuit illa etiam excluſa, vt diximus, per pactum Theodori, quo in defectum lineæ maſculinæ vocata eſt Violanda, & omnes eius ſucceſſores, excluſis proinde etiam deſcendentibus maſculis ex Margareta. Conſequenter dicendum eſt, etiamſi per excluſionem legalem Margaretæ non eſſent excluſi eius maſculi; fuiſſe tamen excluſos illos per pactum, in fauorem non tantùm Violandæ & maſculorum ex ea deſcendentium, ſed etiam omnium ipſius ſucceſſorum, vt verba pacti habent. Non eſt igitur bona collectio à liberis maſculis Violandæ, qui nunquam fuerunt excluſi, excluſione præciſa, ſed ſuſpenſiua tantũ, & qui per pactum illud Theodori expreſſim vocati ſunt poſt maſculos maſculorum, ad liberos maſculos Margaretæ, qui fuerunt excluſi cum matre, & quidem excluſione præciſa antequàm nati fuerint: Nec tantùm ex natura & qualitate feudi & per inueſtituras, ſed etiam per ſupradictum pactum dotale; ex quo nullus eis ad ſuccedendum locus relinqui

In diſpoſitionibus cõdicionalibus ſemper inſpiciendũ eſt tẽpus euenientis condicionis.

inquitur, nisi post omnes masculos ex Violanda descendentes.

SED neque obstare nobis potest, quod iidē aduersarij rursum obiiciunt, Si feudū hoc fuit semper improprium, & alienabile, vt probauimus, potuisse igitur de eo disponere Io. Georgium vltimum Marchionem ex linea Paleologa, etiam in fauorem Margaretæ & masculorum ex ea descendentium: quemadmodum Ioannes vltimus Marchio ex linea Aledrami de toto Marchionatu disposuit in fauorem Violandæ sororis & suorum. Videri autem satis disposuisse hoc ipso, quòd intestatus decedens reliquit eam heredem, cùm legitimi heredes ab intestato succedant, quasi tacito patrisfamilias defuncti iudicio instituti, *l. 3. §. 1. l. conficiuntur. 8. D. de iur. codicill. l. ab exheredati. 126. de legat. 1.* Nam in promptu responsio est. Primùm etiamsi de eo Marchionatu Io. Georgius disposuisset, non potuisse tamen fieri, vt disponeret in præiudicium eius dispositionis, quam Theodorus primus fecerat in tabulis dotalibus filiæ suæ Violandæ: præsertim cùm dictus Io. Georgius heres mediatè fuisset dicti Theodori, cuius factum proinde improbare non potuit, *vulg. l. cùm à matre. C. de rei vindic. & l. si venditrici. 3. C. de reb. alien. non alienand.* Maximè cùm feudum, de quo tractamus, sit hereditarium, vt probauimus in præcedentibus. Deinde facultatem illam liberam, quæ per Ottonis inuestituram concessa primùm fuit, deinde per Henric. VII. confirmata & repetita, de hoc Marchionatu disponendi pro arbitrio, & quicquid animus decreuerit faciendi, quamuis ad testamentarias quoque dispo-

Alia obiectio aduersariorū, ex eo quòd si feudum hoc Marchionatus fuerit improprium & alienabile, potuerit ergo Io. Georgius vlt. masculus Paleologus disponere de eo in fauorem Margaretæ & masculorum ipsius: disposuerit autem satis, cùm decessit intestatus.

tiones pertineat, vt ex tot diſpoſitionibus conſtat, quas ſuprà retulimus à Marchionibus factas eſſe: non tamen extendi poſſe ad ſucceſſionem inteſtati; ſed in vera & expreſſa datione verificari debere, non in ficta, vel præſumpta; qualis illa eſt, quæ per inteſtati ſucceſſionem inducitur. Riminald. *conſ. 176. incip. Andreas, per tot. lib. 2.* Berous *conſ. 66. num. 14. verſic. ſecundò reſpõdetur, lib. 1.* Dec. *conſ. 171.* Bald. & Aluar. *in cap. 1. per illum text. de eo qui finem fec. agnat. de feud. patern. tit. 49. lib. 2. & tit. 26. ſi de feud. defunct. content. ſit int. domin. & agnat. vaſall. §. vlt.* vbi ſunt in hanc rem textus aperti: citat Bald. ad *l. non diſtinguemus. 32. §. dies compromiſſi, D. de recept. qui arbitr. recep.* Soc. Iun. *conſ. 72. num. 47. & ſeq. & num. 57. lib. 1.* Vbi rationem adfert, quòd in generali diſpoſitione etiam expreſſa, & ſiue teſtamentaria, ſiue inter viuos, non veniunt feuda, niſi de iis expreſſim diſpoſitum ſit: Quanto minùs venient in diſpoſitionem tacitam tantùm, & præſumptam? Bart. *in l. vt iuriſiurandi. §. ſi liberi, col. 2. verſ. præterea poſito quòd pater poſſit, D. de oper. libert. & conſ. 60. incip. Quæſtio iſta habet duo dubia.* Habent enim feuda propriam naturam & ſeparatam ab aliis bonis, & quæ vt nobilior eſt; ita & dignior, quæ ſpecialiter exprimatur, ne alioqui neglecta videatur, *ex l. item apud Labeonẽ. 17. §. hoc edictũ, D. de iniur.* Pariſ. *conſ. 7. col. 1. lib. 1. & conſ. 12. n. 63. & ſeq. eod. lib.* poſt Dec. *conſ. 76. col. 1.* & alios ibi relatos. Et ſanè qui ab inteſtato ſuccedit, tanquam heres legitimus ſuccedit ex prouiſione legis, potiùs quàm hominis, *l. 1. & tot. tit. de ſuis & legit. hered. D. & C. l. 3. §. de illo. D. pro ſocio.* Nec tam videtur paterfamiliàs legitimam hereditatem iis dare, quàm non adimere, ſi quis partitè loqui velit cum Vlpian. *in l. 1. §. ſciendum, de legat. 3. vbi etiã gloſ.*

Permiſſio data diſponendi de feudo, intelligi debet de expreſſa diſpoſitione & vera: non de tacita & ficta, qualis illa eſt, quæ per ſucceſſionẽ inteſtati inducitur.

In generali diſpoſitione, etiã expreſſa, ſiue teſtamentaria, ſiue inter viuos, non veniunt feuda, niſi de iis expreſſim diſpoſitum ſit: Multo minùs in diſpoſitione tacita & ficta.

Qui ſuccedit ab inteſtato, ex legis potiùs, quam ex hominis diſpoſitione ſuccedit.

Aliud eſt legitimam hereditatem dare, aliud non adimere.

ATQVE

ATQVE ita ipſos etiam Marchiones Montisferrati ſenſiſſe,& inueſtituras prædeceſſoribus ſuis conceſſas interpretatos eſſe cõſtat ex eo, quod Bonifacio vltimo, qui frater fuit Margaretæ,& ſine maſculis, & inteſtato defuncto; non ideo tamen ſucceſſit in Marchionatu, dicta Margareta tanquam ab eo tacitè inſtituta; ſed Io.Georgius defuncti patruus.Et iam anteà cùm deceſſiſſet Guillielmus primus frater primi Bonifacij, relicto fratre Bonifacio & ſuperſtite filia Blanca & ab inteſtato,habuit quidem ille heredem Blancam filiam in bonis allodialibus, ſed non in Marchionatu; quomodo tamen habere potuiſſet per expreſſam patris diſpoſitionem, ſi de Marchionatu diſponere in fauorem filiæ Guillielmus voluiſſet, nihilque præter inueſtituras, ac non etiam Theodori primi, & Ioannis primi eius filij diſpoſitiones obſtitiſſent.Non ergo habuerunt tacitam voluntatem morientis ab inteſtato, pro diſpoſitione, quæ ex licentia per inueſtituras data feudi naturam alterare potuerit.Eſtque multo probabilius, vt dicamus, eum qui de feudo non diſpoſuit expreſſim, ſed inteſtatus mori maluit, videri quantùm ad feudum reliquiſſe omnia diſpoſitioni iuris communis, & conſuetudinis feudalis, ſolos maſculos admittentis excluſis fœminis, quandiu maſculus aliquis ſupereſt. Quomodo in hoc Marchionatu fuiſſe ſemper obſeruatum etiam aduerſarij fatentur, in eóque ſuccedi debere iuxta conſuetudines feudorum, & ius commune feudorum ſeruari oportere.

Interpretatio inueſtiturarum Marchionatus Montisferrati facienda eſt, ex eo quod poſtea ſecutum & obſeruatum fuit.

Guillielmus I. moriens inteſtatus heredem habuit filiam Blancãin bonis allodialib. ſed in Marchionatu Bonifacium fratrem.

Qui de feudo non diſpoſuit expreſsè, cenſetur omnia relinquere diſpoſitioni iuris communis, & conſuetudinarij feudorum.

NEC me mouent reſponſiones, quas aduerſarij adferunt poſt Soc.Iun.inter conſilia Mãtuæ *conſ.7. nu.129.*

Reſponſiones futiles Mãtuanorum,vt pro-

bent Margaretam, licèt bis excluſam per maſculos, admitti ad hoc feudū debuiſſe, deficientibus maſculis.

& ſeqq. ad d. §. quinetiam, vt probent Margaretam licèt bis excluſam propter maſculos, potuiſſe nihilominus & debuiſſe admitti ad hoc feudum, deficientibus iiſdem maſculis.

Prima aduerſariorū reſponſio *ad §. quinetiam, tit. 6. Epiſcop. vel Abbat.*

RESPONDENT primùm, procedere illum textum eo ſolùm caſu, quo inueſtitus quis ſit pro ſe & deſcendentibus maſculis & fœminis, quaſi eo caſu ſoror per fratrem excluſa non poſſit dicere ſe vocatam, cùm fratri non ſit deſcendens, ſed tranſuerſalis. Sed malè: Non enim qualis ſit is, qui in feudo vult ſuccedere, metiendum eſt & æſtimandum ex perſona vltimi defuncti, ſed ex perſona primi inueſtiti, à quo ſcilicet & feudum originem & ipſe cauſam habet, vt ſuprà diximus ex Pariſio, qui pro aduerſariis ſcripſit, *conſ. 23. num. 130. & ſeq.* & qui hac in re ideò inſtar omnium eſſe poteſt.

Reſponſionis confutatio.

Reſponſio ſecūda, quòd excluſio, de qua *in d. §. quinetiā*, nō ſit perpetua, ſed temporalis.

SECVNDÒ reſpondent, Excluſionem, de qua *in d. §. quinetiam*, ſic debere intelligi, vt non ſit perpetua, ſed temporalis, quandiu maſculi ſupererunt, *ex cap. 1. de eo qui ſibi, & hered. maſcul. & fœmin.* Apertè contra verba textus, quæ ſic habent, [*Relicto maſculo, vlteriùs fœminæ non admittuntur:*] Nam ad ſignificandam excluſionem temporalem, ſatis fuiſſet dicere, [*Relicto maſculo, fœminas non admitti:*] nec fuiſſet neceſſe addi dictionē, [*vlteriùs,*] cuius non alius ſenſus eſſe poteſt, quàm vt nec poſt mortem maſculi, per quem fœminæ excluſæ fuerant, admitti poſteà fœminę vnquam poſſint; ac ſi ſcriptum eſſet, [*Vltra, & poſt maſculum, & ex noua etiam dilatione ſucceſſionis feudalis.*] Quæ porrò dilatio noua fieri nulla poteſt, niſi poſt mortem demùm maſculi, qui iam ſucceſſit, cùm ei, qui

Poteſtas & ſēſus dictionis, *vlteriùs.*

iam

iam heredem habet insolidum ; alius heres vltrà adiici non possit, *l.quod contra.141. §.vni duo, de reg.iur. l.verbis ciuilib. 7. de vulg. & pupill. substit.* & viuentis nulla sit hereditas,nulla successio,*l.1. D.de hered.vel act.vend. l.1. D.pro hered.* Nec simile est quod affertur *ex d. c.1. de eo qui sibi,& hered.suis mascul.& fœmin.* in cuius specie admittitur quidem fœmina, defuncto masculo ; sed quæ per masculum excluſa nunquam fuerat, quamuis nec vocata, quandiu masculus supereſſet. Aliud enim est dicere, Fœminam esse iam excluſam : aliud verò nondum vocatam esse. Quemadmodum dicimus, aliud esse loqui de condicione iam defecta: aliud verò de condicione nõdum impleta. Nam quæ nondum impleta est, impleri adhuc potest: non etiam illa quæ iam defecit, *l. hæc condicio,10.in fin.prin.de condic. & demonstr.* secundùm interpretationem & emẽdationem viri doctissimi Iac. Cuiacij,*lib.13.Obser.c.vlt.* Sic & fœmina nõdum vocata, adhuc vocari vlteriùs potest ; at non ea quæ iam semel excluſa fuit; Paul.Castrenſ.*cons.191.incip.Visis, & diligenter consideratis,num.4.lib.2.* Idem Socin. Iun. sibi contrarius,*cons.110.num.7.& 17. lib.2.* Sicut enim acquisitiones debent esse perpetuæ,non temporales,*d.l.1.D.de iur.dot.* ita & excluſiones : Bald.post Gloſ. *ad l.in quibus. C. de secund.nupt.* In dubio enim etiam alius quilibet actus prę-sumendus est perpetuus,non temporalis, *l.sufficit.56.D. de condict.indeb.* Gloſ.*in cap.fin.in verb.perpetuus,de reſcript. lib.6.l.corruptionem.13.C.de vsufr.l.si quis heredem. 7. C. de instit. & substit.l.1. D. de excuſ.tutor.* Maximè verò hoc obtinet in actibus legis, quia lex semel tantùm loquitur. Vnde fiebat olim,vt neque in suis,neque in agnatis esset successio,quia potestas tota legis prima delatione

Explicatio *tit. de eo qui sibi & hered. suis mascul.& famin.*

Aliud est dicere, Personã aliquam esse iam excluſã à feudo : aliud verò dicere, nõdum vocatam.

Acquisitiones & excluſiones sui natura debent esse perpetuæ, nõ temporales.

In dubio quilibet actus prę-sumendus est perpetuus, non temporalis.

Lex semel tantùm loquitur.

consumebatur, *l.1.§.sciendum.D.de suis & legit.§.placebat, Inst.de legit.agnat.succeſſ.* Item vt neque repudiata hereditas adiri vnquam posset, sicut nec adita repudiari, *l.sicut.4.C.de repud.vel abstin.hered.l.si seruus.91.§.vlt. D.de acquir.hered.* Quoniam repudiatio, quæ nihil nisi voluntaria exclusio est, habet effectum perpetuum.

Alia responsio Augustini Berοi pugnans cũ verbis ipsis textus.

QVOD verò Augustinus Berous *cons.17.num.42. & seq.* restringere vult *d.§.quinetiam*, ad eum casum, quo inuestitura facta sit pro masculis, vel fœminis alternatiuè, non copulatiuè, prorsus ridiculum, & impertinens est. Nam & verba *d.§.quinetiam*, ponunt copulam, non disiunctionem in illis verbis: [*Vt eius descendentes masculi & fœminæ illud habere possint.*] Et similiter inuestitura Ottoniana de familiis vtriusque sexus coniunctim locuta est: & illa Caroli IV. qua potissimùm aduersarij nituntur, [*de masculis & fœminis*] coniunctiuè, non disiunctiuè de masculis, vel fœminis. Et vel vna hæc responsio apertissimè probat nihil habere aduersarios, quod respondeant ad *d.§.quinetiam*: cùm melius nihil habeant, & facti quoque, & textus veritatem cogantur corrumpere, vt iuris diuersitatem inducant, & se ab eius §.decisione & authoritate extricent, quam effugere, aut cauillari probabili nulla ratione possunt.

Quarta principalis exceptio Sereniss. Ducis Mantuæ, ex eo quod Violanda fuerit absens tempore pacti dotalis initi per Theodorũ primum cum

QVARTA Sereniſſimi Ducis Mantuæ exceptio eſt, Ex ſupradicto pacto dotali nullum ius acquiri potuiſſe Violandæ, quòd tunc fuerit abſens, nec ſtipulationem Notarij vnquam ratam habuiſſe proponatur: At nec ipſius liberis & heredibus, quibus nec Notarius ſtipulatus eſt, niſi tanquam heredibus, & ſucceſſoribus

ceſſoribus Violandæ,& quatenus Violanda ipſa ius aliquod habuiſſet, quod ad eos tranſmittere potuiſſet: præſertim cùm pacti verbis expreſſim contineatur factam eam conuentionem in augmentum dotis, quæ fuerat Violandæ per eundem contractum purè conſtituta.

Aymone Comite Sabaudię, nec ſtipulationem Notarij ratam vnquam habuerit.

NOS contrà defendimus,Ex ea Notarij ſtipulatione ius acquiſitum fuiſſe Violandę,& ipſius poſteris ac ſucceſſoribus omnibus;maximè verò maſculis.

Variæ reſponſiones ad ſupradictam obiectionem.

PRIMVM, quia receptior illa interpretum noſtrorum ſententia eſt, Ex ſtipulatione No[illegible] per totum,vt loquuntur,mundũ, acquiri ius abſenti & ignoranti,nulla etiam ſecuta ratihabitione.Et de eo tantùm quærunt ac diſputant, vtrum ius illud acquiratur irreuocabiliter:an verò reuocari poſſit ante ſecutam ratificationem. Magiſque in id inclinant, vt exiſtiment irreuocabiliter ius acquiri, dummodò ſequatur tandem ratihabitio,quæ ſatis ſequitur, cùm agitur ex eiuſmodi ſtipulatione.Maximè verò hoc obtinet, cùm ſtipulatio fit ex cauſa dotis, quæ ſicut habet multa priuilegia ; ſic & hoc inter cætera habere deberet, ſi ius commune repugnaret.Ita poſt alios innumeros concludit Antonin. Teſſaur.*deciſ. Pedem.70.*quem pro omnibus quos cumulat hac parte allegaſſe ſufficiat.Id verò indubitatius eſt in perſonis liberorum Violandæ, qui cùm omnes in eo pacto comprehendantur, etiam qui nondum erant eo tempore in rerum natura;& conſequenter,qui eo tempore neque ſtipulari cum Notario;neque ratam Notarij ſtipulationem habere poterant, eo ſanè priuilegio digni fuerunt, vt iis Notarij ſtipulatio prodeſſe deberet, ne alioqui nulla ſuperſit ratio talibus perſonis ſtipulandi

Prima reſponſio, Quòd ex Notarij ſtipulatione ius acquiritur abſenti citra vllam ratificationem: adeóq; irreuocabiliter, ſecuta quandocunque ratificatione.

Notarius poteſt ſtipulari, & ius acquirere etiam perſonis nondũ conceptis, præſertim in cauſa dotis.

pulandi & prouidendi; quibus tamen tanto magis prouidendum fuit, quòd ipsi prospicere sibi non possunt: *l.3.D.rat.rem haber.* Vbi fit mẽtio, & alibi sæpe, seruorũ publicorum, qui olim præcipuè in hunc vsum erant comparati, vt pupillis infantibus, & aliis huiusmodi personis stipularentur, quæ stipulari per se non poterant. Idem Tessaur. vbi suprà, addens etiam pro personis nondum conceptis stipulari posse Notarium, ex *l. si quis operas. 5.* vbi est textus *D. de oper. libert. l. Paulus respondit. 47. §. penult. D. de bon. libert.* Maximè verò interueniente coniuncta aliqua persona, vt idem subiicit, & pluribus probat. Sufficitque vt hodie qui ex liberis Violandæ sunt, ratam habeãt eam Notarij stipulationem, agendo ex ea: satis enim adprobat contractum quisquis ex eo aliquid petit, *l. seruum Titij. 49.* vbi Bart. & alij *D. mandat.*

Secunda respõsio, quòd interuenerit nõ tantũ Notarij stipulatio, sed etiam mariti.

SECVNDÒ respondemus, non tantùm Notarij stipulationem interuenisse; sed etiam Comitis Aymonis mariti Violandæ, & cui illa nuptui tradebatur. Sufficit verò maritum fuisse stipulatum dotem, aut marito dotem esse traditam, potiùs quàm si aut filia ipsa stipulata à patre, aut dos ei tradita fuisset, *l. pater. 71. D. de euict. & tot. tit. D. de iur. dot.* Nec enim dos profectitia promittebatur olim vnquam à patre, nec tradebatur filiæ; sed marito tantùm nomine filiæ: quoniam filia, quæ erat in potestate, neque stipulari à patre poterat, salua patria potestate, *l. Imperator. 50. D. ad S. C. Trebell.* neque dominium vllum ab eo acquirere, etiam per donationem, *l. siue emancipatis. 17. C. de donat. l. 2. C. de inoffic. donat.* Et si verò magis communiter ab Interpretibus probatum est, vt fauore dotis, & ex ea causa possit filiafamiliàs dotem ipsa stipulari & accipere à patre, *ex l. Pompo-*

nius

nius Philadelphus. 35. D. famil. erciſc. quæ tamen potiùs probat manifeſtè contrarium, vt docuimus *in libris Coniecturarum, & in 2. parte Chiliadis noſtræ, de error. pragmat.* nemo tamen eſt, qui hanc filiæfamiliàs ſtipulationem neceſſariam eſſe dicat, & qui non fateatur etiam hodie ſufficere mariti ſtipulationem ad acquirendum ius, ſi non vxori, ſaltem marito, & liberis, ex eo matrimonio quandocunque naſcituris, & heredibus mariti. Textus eſt *in l. ſi pater marito. s. C. de dot. promiſſ. l. cùm pater. 29. D. de iur. dot.*

Sufficit ſtipulatio mariti, cui dos promittitur.

QVIDNI verò ſufficit ſtipulatio mariti, iuncta præſertim etiam ſtipulatione Notarij, cùm nulla quoque penitùs ſtipulatione interueniente lex fingat eam interueniſſe, vt habeat mulier actionem ex ſtipulatu, tam ad petendam dotem, quæ ei conſtituta ſit, quàm ad petendam reſtitutionem ſoluto matrimonio, *l. vnic. C. de rei vxor. act.*

Dotis ſtipulatio ſemper creditur interueniſſe ex parte mulieris.

SED & reſpondemus tertio loco, Non poſſe defendi quod aduerſarij in facto ſupponunt, nullam Violandæ ſubſecutam fuiſſe ratihabitionem. Quænam enim maior, aut expreſſior ratihabitio ſequi potuit, quàm ex obſeruatione, effectúque ſecuti matrimonij? Quod negari quippe non poteſt ſecutum eſſe in conſequentiam, & executionem dicti contractus, cùm de alio cõtractu nullo appareat, in quo vel de eo matrimonio contrahendo aliquid actum ſit, vel de pactis dotalibus. Et ſicuti pluralitas inſtrumẽtorum pro vno eodémque contractu non præſumitur: ita neque credendum eſt ex alio contractu, quàm ex eo de quo tractamus, ſubſecutum fuiſſe inter Aymonem & Violandam matrimonium. Semper enim præſumitur ſecuta obſeruatio

Tertia reſponſio, ex ſecuta ratihabitione Violandæ, per effectum ſecuti poſteà matrimonij.

Semper præſumitur ſecuta.

obſeruatio ex titulo præcedente.

ex titulo præcedente de quo apparet, *vulg. l. quædam mulier. 77. D. de rei vindic. l. 2. C. de acquir. poſſ. l. prædia. D. eod. lib. 1. D. qui potior. in pignor. hab.*

Probatur ex ſecuto euẽtu, adprobatũ fuiſſe à Violãda vxore Comitis Aymonis contractum dotalem, in quo pactum continetur, de quo diſputamus.

DEINDE, cùm in dicto inſtrumento contractus dotalis legamus, data fuiſſe purè in dotem Aymoni Comiti à Theodoro Marchione, nomine filiæ Violandæ, caſtra & loca Ciriaci, Lancei, & Caſellarum, conſtat etiamnum hodie teneri ea caſtra, & poſſideri à Sereniſſimo Duce Sabaudiæ, non alio vtique iure quàm hereditario dictæ Violandæ: quam & ipſam, dum vixit, eadem caſtra tenuiſſe apparet ex pleriſque priuilegiis per eam conceſſis habitatoribus dictorum locorum: quod vtique fieri non potuit citra expreſſam adprobationem pactorum dotalium in neceſſarium antecedẽs, *d. l. ſeruum Titij. 49.* vbi Bart. & alij notant, *D. mandat.* Nam & ſufficere poterat, quod filia ſciret voluntatem patris, nec iuſtam contradicendi cauſam vllam haberet, vt patri conſenſiſſe videretur, *l. 2. §. vlt. l. dotem. 37. D. ſolut. matr.* quæ loquuntur in terminis multò difficilioribus.

Quarta reſpõſio, ex alia adprobatione facta per Violandam in poſteriore cõtractu inito in conſequẽtiam prioris.

QVARTÒ reſpondemus, Habere nos aliam ratihabitionem expreſſam ab ipſa Violanda factam, per contractum initum anno 1332. inter coniuges ipſos Aymonem Comitem, & dictam Violandam: in cuius inſtrumento per eundem Notarium recepto, qui dotale inſtrumentum confecerat, expreſſa mentio fit dicti inſtrumenti dotalis, cum anni & diei deſignatione. Et ex ea cauſa Comes Aymo conſtituit ei doarium triginta millium florenorum annuorum ſuper fructibus & reditibus omnibus Prouinciæ Maurianenſis, in eam rem expreſſa conuentione obligatis. Quid enim potuit di-

ci,

ci, aut ſcribi apertius, vt dotale quoque inſtrumentum à Violanda comprobatum eſſe appareret, ac proinde omnia quoque in eo contenta? Non ob id ſolùm, quòd relatum inſit in referente, cum omnibus ſuis qualitatibus, vt toties diximus; ſed quia non ſit credibile Violandam adeò inconſultam & parùm cautam fuiſſe, vt accepta tam exigua dote, recuſauerit ratum habere pactum illud, quod præcipui erat momenti ad augendam dotem, ſi non planè expreſſa ratihabitione, ſaltem tacita & facto ipſo, iuxta *d.l.non tantùm. 5. aliàs l.Paulus. D.rat.rem haber.* Nemo enim credendus eſt [redacted] ſuo tam iuſtè quæſito vti nolle, non magis quàm ſuum iactare velle & perdere, *vulg. l. cùm de indebito. 25. D. de probat.* Et quamuis eius pacti dotalis vtilitatem abiicere Violanda voluiſſet, quod nemo vnquam crediderit; certi tamen iuris eſt non fuiſſe in ipſius poteſtate, vt dotem ſuam diminueret in præiudicium mariti, qui fuiſſet ipſe ſtipulatus, non tantùm vxori, quod facere non potuiſſet ex ratione iuris, niſi adhibito etiam Notario: ſed etiam ſibi ſuiſque ſucceſſoribus, quod facere etiam ſine Notario potuiſſet. Cur enim permittamus mulieri facere deteriorem condicionem mariti in dote, & communium liberorum ſuſceptorum ex eo matrimonio, quod alioqui contractum non fuiſſet, *d.l.Titia.62. D.de iur.dot.* & aliis in hanc rem iam ſuprà citatis, quibus addo *l.cùm dos. 7. D.de pact.dotal.*

Nemo credendus eſt velle abiicere ius ſibi vtile.

Non poteſt mulier facere condicionem mariti ſui, nec liberorum ſuorum deteriorē in dote.

QVOD autem aduerſarij dictam conuentionem dotalem ſic interpretantur, vt Violadæ liberis prodeſſe nō potuerit, in eum caſum, niſi quo priùs ipſi Violandę profuiſſet, quaſi ex ea conuentione non ſint vocati li-

Alia Mantuanorū obiectio, ex interpretatione prorſus improbabili conuentionis dotalis, quaſi

noluerit Violanda ius aliquod acquirere suis liberis, nisi in eum casum, quo ipsi Violandę priùs acquisitū esset in effectu. *Responsio.

beri, nisi tanquam heredes, & consequenter in ius quod Violanda viuens habuisset, prorsus improbabile est. *Fuit enim Violãda quidem prior vocata, non solùm tanquam prædilecta, & filia primi gradus, sed etiam quòd eo tempore nulli adhuc essent liberi; sed tantùm sperarentur ex matrimonio, de quo tùm primùm contrahendo agebatur, in quos proinde nullam adfectionem habere Theodorus poterat, nisi intuitu & cõtemplatione Violandæ. Verumtamen non eo minùs verum est vocatos fuisse liberos & posteros omnes Violandæ ex propria cuiusque ipsorum persona, & ex proprio capite, non tanquam heredes ipsius & in eius iura succedentes; sed respectu potiùs sanguinis, id est, tanquam descendentes ex ea. Propter quam causam non [*heredum,*] nomen à contrahentibus vsurpatum est, sed [*successorum:*] quo nomine in materia feudali successores sanguinis intelliguntur, potiùs quàm successores patrimonij. Et quamuis non sint vocati liberi Violandæ, nisi post Violandam: (hoc enim est quod aduersarios fefellit,) non tamen vocati sunt nisi in casum vulgarem, id est, in eum casum, quo priùs decessisset Violanda, quàm pacti dotalis condicio extitisset: quod & euenire facilè poterat, & euenit. Ex not. & tradit. per Bald. & alios *ad l. Gallus. §. quidam rectè, de liber. & posthum.* Vbi licèt Paulus Castrensis existimet liberos post parentem vocatos, censeri debere vocatos esse non modò in casum vulgarem; sed etiam in casum fideicommissi: communiter tamen reprobata est ipsius sententia, vt recentiores ad eum locum scribentes testantur; ne tam facilè capiatur interpretatio fideicommissi, quod per se odiosum est, cùm sit onus, *l. coheredi. 41. §.*

Fuit quidem Violanda prior vocata ad Marchionatum, in defectum masculorum patris sui; sed post eã fuerunt etiam vocati liberi ipsius, & quidẽ in casum vulgarem.

Post Violãdam vocati sũt eius liberi, sed in casum vulgarem tantùm, non in casum fideicõmissi.

Castrensis sententia contraria *ad l. Gallus. §. quidam rectè, de liber. & posthum.* communiter reprobata.

cùm

cùm filiæ, de vulg. & pupill. substit. Nullum verò grauius & odiosius, quàm quo pater, vel mater erga proprios liberos adstringitur, quo reuerentia, quæ parentibus debetur, minuatur, *l. quidam cùm filium. 46. D. de hered. instit. l. nec ei. 17. §. penult. D. de adopt. l. cùm oportet. 6. circa princip.* in illis verbis, [*Ad alios transferenda aspicientes, vel ad extraneos, vel ad fratres suos, quod etiam grauius multis esse videtur,*] *C. de bon. quæ liber.* Proinde si Violanda ex pacto dotale Marchionatum obtinuisset, quòd ea viua Theodorus sine masculis decessisset, aut masculi eius sine masculis, non puto dici posse, quòd ex eodem pacto fuisset obligata eum liberis suis iure fideicommissi restituere: cùm nullomodò proponeretur fuisse grauata, nec alij post eam vocati, quàm [successores.] Quo nomine siue liberos tantùm intelligas, siue quoslibet alios successores, etiam extraneos, non potest fieri vt fideicommissum vllum inducatur: quia nec grauari quisquam potest, vt heredi & successori suo aliquid restituat. Nec enim magis potest obligari defunctus heredi suo, quàm sibi ipsi, cùm defuncti personam heres & successor eius repræsentet, *l. heres à debitore. 21. §. seruus, & seq. l. Granius. 71. D. de fideiuss. l. ne cum filiofamilias. 16. D. de furt. l. debitori. 7. C. de pact. l. in imponēda. 6. & Lirritum. C. ad leg. Falcid.* Quemadmodum olim dicebat Imperator quidam, cùm inuitaretur ad occidendum eum qui successor in Imperio futurus sperabatur, Neminem posse successorē suum occidere. Nam & successoris persona semper incerta est, nisi ad liberos certæ personæ referatur, *l. qui liberis. 8. §. 1. D. de vulg. & pupill. subst.* Sed & solemus dicere substitutiones

Nemo grauari potest fideicōmisso erga proprium suū heredem.

Substitutiones omnes in de-

bio interpretãdæ ſunt directæ potiùs, quã fideicommiſſariæ.

omnes in dubio interpretandas eſſe directas, potiùs quàm fideicommiſſarias, etiamſi verbis communibus factæ ſint; vt diſertè ſcriptum eſt *in cap. ſi pater, de teſtam. in 6.* Nimirum vt euitetur præſumptio & onus fideicommiſſi. Quanto magis ſi non de vltima voluntate agatur; ſed de contractu: nec de ſubſtitutione facta per verbum commune, ſed quæ facta ſit per verba merè directa & ciuilia, qualia ſunt ea quibus in dicta conuentione dotali cantrahentes vſi ſunt, [*Quòd in illo caſu Marchionatus Montis ferrati, cum ipſius honoribus, &c. & vniuerſaliter cum ipſius iuribus ſint & eſſe debeant, pleno iure dicta D. Violantis & ſucceſſorum ſuorum, in augmẽtum & ex cauſa dotis.*] Bart. & poſt cum communiter cæteri *ad l. Centurio. de vulg. & pupill. ſubſtit.*

Verba pacti dotalis, de quo diſputamus, ſũt merè directa & ciuilia.

ET quamuis non deſint qui ſequantur opinionem Pauli Caſtr. *ad d. §. quidam rectè*, exiſtimantis filios poſt patrem, aut matrem ordine ſucceſſiuè vocatos, non modò in caſum vulgarem vocatos intelligi; ſed etiam in caſum fideicommiſſi: attamen præterquàm quòd magis communiter ea reprobata eſt, vt diximus; nobis tamen ad victoriam ſufficit, quòd nemo vnquam fuit qui negauerit cenſeri vocatos etiam in caſum vulgarem. Nec enim Caſtrenſis ſua illa opinione ſuſtulit caſum vulgarem, quem omnes admittunt; ſed ſuperinduxit & adiecit caſum fideicommiſſarium, quem plures negant. Abſurdum igitur eſt dicere liberos Violandæ, qui vocati ſunt ſub nomine non heredum, ſed [ſucceſſorum,] & quatenus ſucceſſores ſanguinis, non patrimonij; vocatos non fuiſſe in caſum vulgarem. Ergo vel

Neque Caſtrẽſis, neque alius quiſquam negat liberos poſt parentem ſucceſſiuè vocatos, etiam in vulgarem caſum vocatos intelligi.

ob

ob id tanto magis admittendi ſunt, quòd ipſa nunquam admiſſa fuerit.

ERÍTQVE hoc euidentius, ſi lubeat obſeruare ſub quibus condicionibus Violanda vocata fuerit: Nempe, ſi contingeret dictum Theodorum Marchionem, vel eius liberos maſculos ex legitimo matrimonio procreatos, decedere quoquo tempore abſque liberis maſculis, ex ſuis corporibus & legitimis matrimoniis procreatis. Quam condicionem certum eſt ad eos quoque Theodori maſculos pertinere, qui quingentos poſt annos naſcerentur, vt in ſequentibus oſtendemus: ac proinde eo tempore, quo certum eſſet non poſſe amplius Violandam viuere. Quemadmodum igitur condicio vocationis non tantùm ad Theodorum, eiuſque filium, qui viua Violanda mori poterat; ſed etiam ad eos liberorum liberos maſculos pertinet, qui non niſi mortua iam Violanda naſci poſſent: Ita & vocatos Violandæ poſteros fatẽdum eſt, in eum quoque caſum, quo Violanda prædeceſſiſſet, id eſt, neque ſucceſſiſſet ipſa, neq; ſuccedere potuiſſet: vt ex qualitate condicionis, qualitas vocationis quoque æſtimetur. Ij namque vocati intelligendi ſunt, qui tempore condicionis euenientis potuerint viuere, *l. cùm pater. 77. §. hereditatem filius, de legat. 2.* in illis verbis, [*Viriles autem inter eos fieri, qui eo tempore vixerint, cùm de aliis eligendi poteſtas non fuerit.*]

Condicio pactæ dotalis, de quo tractamus, pertinet ad liberos, qui quandocunque etiã poſt quingentos annos ex Aymone Comite & Violãda vxore, eorúmque maſculis naſcerentur.

Ex qualitate cõdicionis eſtimanda eſt qualitas vocationis, & ij ſub cõdicione vocati credendi ſunt, qui tempore condicionis euenientis potuerint viuere.

ACCEDIT, quod huiuſmodi conuentio dotalis eſt, nec tantum facta in dotali inſtrumento, ſed hoc expreſſim acto, vt eſſet in partem & augmentum dotis: Ideoque non debet ſeparari à dote ipſa, *l. inter ſocerum. 26. §.*

Pactum dotale, de quo agim⁹, factum eſt in partem & augmentum dotis.

cùm

cùm inter, D. de pact. dotal. l. etiamsi. 8. C. de iur. dot. Quam tamen certum est non esse adeò propriam & personalem in persona nubentis mulieris, vt non transeat etiam ad heredes, *d. l. vnic. C. de rei vxor. act. l. filiæ. 30. & tot. tit. D. solut. matr.* Etiamsi sit dos profectitia, in qua volunt Doctores omnes filiam posse hodie habere heredem, etiam viuo patre, vt Bart. & alij tractant *ad l. quæ dotis. 33. eod. tit. ex Nouell. 118. de hered. ab intest. venient.* Ergo & pactum hoc sic interpretandum est, vt sit transitorium ad omnes heredes & successores, ad quos ipsa etiam dos transmittitur: ne aliter interpretantibus vna eademque dos diuerso iure censeatur. Contra *l. iam hoc iure. 4. de vulg. & pupill. substit. l. eum qui ædes. 23. D. de vsucap.* Cumque pactum hoc sit adhibitum fauore mulieris, in ipsius quoque fauorem interpretandum est, *l. in ratione. 30. §. tametsi, vers. sed id non est verisimile, D. ad leg. Falcid.* Ad ipsius autem fauorem pertinet, vt non cum ipsius persona extinguatur; sed ad successores eius transeat, vt tanto locupletiorem & opulentiorem iis hereditatem relinquat. Idcirco enim receptum est, vt possit quis non minùs heredibus suis, quàm sibi ipsi stipulari & prospicere, *l. si pactum. 9. D. de probat. l. si ita. 9. l. pater. 23. D. de pact. dotal.* Nimirum quia vniuscuiusque interest ad retinendam famam, vt opulentam minimeq; suspectam hereditatem relinquat, ad hoc vt heredem habere & inuenire possit, *l. Iulianus. 42. aliàs l. si pupillus. D. de acquir. hered. l. 4. D. ad S. C. Treb.*

Dos & dotis pacta omnia trãseunt regulariter ad heredes quoscunque, etiam extraneos.

Vna & eadem dos non debet diuerso iure censeri.

Cur intelligatur quilibet nõ minùs heredibus suis, quàm sibi ipsi stipulari & prospicere.

Nec ad rem pertinet si dicatur, Non fuisse datum in dotem Violandæ Marchionatum Montisferrati, nisi sub condicione & in casum, quo lineam masculinam

Replicatio ad id, quod pro aduersariis responderi possit, Marchionatũ

Paleo

Paleologam deficere contingeret. Violandam autem pendente condicione decessisse. Etsi enim vtrumque hoc verũ est;nihil tamen ex eo inferri potest,cùm etiam id quod sub condicione debetur,ad heredem transmittatur, si creditor condicionalis pendente condicione decesserit,§.*ex condicionali,Inst.de verb.oblig.* In quo differunt contractus ab vltimis voluntatibus, vt scriptum est *in l. is cui.42.de oblig.& action.* Atqui inquies, mortua Violanda matrimonium esse amplius non poterat:ergo neque dos, quippe quæ sine matrimonio esse non potest,*l.3.D.de iur.dot.* Verùm captiosa,inquam, hæc replicatio est.Nam soluto matrimonio dos quidem esse desinit;sed non ideò extinguitur ius aut mulieris, aut mariti, aut successorum siue mulieris,siue mariti, ad quos ea dos pertinere debeat. Retinet enim nomen dotis, quia dos aliquãdo fuit, & dotis titulus transferendi dominij causam præbuit. Sed tamen nemo probabiliter ideò dixerit, Dotem promissam marito, sub condicione,quæ non nisi soluto matrimonio extiterit, ideò minùs soluendam esse marito, quòd hodie dos amplius esse non possit, si modò penes maritum dos remanere debeat,*l. licet. 43. ad fin. D. de iur. dot.* Alioqui nec purè promissa exigi posset, si mulier, aut maritus ante exactionem decessisset: quasi deducta re ad eum casum à quo incipere non potuisset. Quod tamen euidenter falsum est;& eo solo casu cessat exactio, quo debeat reuerti dos ad eum,qui dedit,*vt in d.l.licet.43.ad fin. D. de iur.dot.* Denique certissimum est,quotiescunque condicio extitit alicuius dispositionis, perinde habendum esse ac si ab initio pura fuisset dispositio, quandocunq; condicio existat, etiamsi medio tempore alteri sit ius

non fuisse datũ in dotem, nisi sub cõdicione, si masculos oẽs Theodori deficere contingeret.

Etiam condicionale debitũ ad creditoris intereà defuncti heredem transmittitur.

Dos promissa sub condicione,quæ non nisi soluto matrimonio extitit, non eo minùs soluẽda est.

Existens condicio casualis.

vel mixta, facit vt dispositio ab initio pro pura habeatur, etiã in prejudicium iuris quæsiti tertio.

quæsitum; scilicet quando casualis condicio est, aut mixta, non simpliciter potestatiua, *d.l.1.l. qui balneum.9. l.potior.11.D.qui potior.in pign.hab.l.is cui via.11.§.1.D.quem. seruit.amitt.* Ergo cùm pacti dotalis, de quo tractamus, condicio tandem extiterit per defectum lineæ masculinæ Paleologæ, moriente Io.Georgio vltimo sine masculis, licèt non nisi post mortem Violandæ id contigerit; perinde tamen haberi debet, ac si Marchionatus in dotem datus purè fuisset Violandæ, sicuti data fuerant castra Lancei, Ciriaci, & Casellarum, de quibus nemo facit controuersiam Ser^mo. Duci Sabaudiæ; quin ea possideat etiam hodie iusto titulo: quem tamen nullum habet alium, quàm quòd eo ipso dotali instrumento data purè fuerunt, quo datus fuit Marchionatus ipse, sub condicione. Quænam igitur diuersitatis ratio afferri potest? cùm etiam tria illa castra essent de Marchionatu Montisferrati, nec magis alienabilia, quàm totus ipse Marchionatus? Planè non video quid ad hoc possit, vel per mendacium, aut iuris imperitiam responderi: nec quid dici possit cur aliud ius esse debeat totius, quàm partis, vbi eadem ratio est vtriusque, contra *vulg.l.quæ de tota.76.D.de rei vindic.cum similib.* Præsupposito nimirùm quòd pacti nostri dotalis condicio extiterit, de quo in sequenti articulo differemus.

Cùm extiterit tandem condicio, sub qua Marchionatus fuit in dotem datus Aymoni Comiti, pro filia Violanda, perinde haberi debet, ac si ab initio fuisset purè in dotem datus.

Valet argumẽtum à parte ad totum, vbi est eadem ratio.

In summa superfluũ videtur quærere, An ex Notarij stipulatione ius aliquod quæsitum sit Violandæ absenti quidem, sed non ignoranti; cùm sola pollicitatio sufficere in eam rem potuerit, quæ nihil nisi nuda offerentis solius promissio est, *l.ad exactionem.6.C.de dot.promiss. iunct.l.3.§.1.D.de pollicit.* Itẽ sola stipulatio mariti, cuius potissimũ intererat, *d.l.si pater marito.1. C.de dot.promiss.l.*

Ex sola dotis pollicitatione datur actio, nulla etiam stipulatione interueniente.

cùm

cùm pater.29. D. de iur.dot. & liberorum ex eo matrimonio naſcitur orum, quibus proinde ſtipulari maritus potuit ac ſibi ipſi, *l. ſi quis operas.5. D. de oper. libert.* Quamquam & hæ quoque rationes ſuperfluæ ſunt, cùm tam multas à Violanda ratihabitiones factas eſſe docuerimus. Quæ etiamſi nullæ probarentur; ſufficeret tamen, quod ex tam longi temporis diuturnitate præſumi deberent. Etſi enim ſunt qui poſt Baldum negent mandatum vnquam præſumi, ne quidem per mille annos (quamquam ea opinio magis communiter reprobata eſt, teſte Decio *d.conſ.36.* vt initio huius C[illegible]ationis docuimus:) nemo tamen negat quin ratihabitio ex temporis diuturnitate præſumatur, vt in præcedentibus probauimus, *ex l. qui in aliena.6. ſ. ſed etſi non adierit, D. de acquir.hered. l. ſi filius familias.10. cum ibi not. C. de petit. hered.*

QVINTA Mantuanorum exceptio eſt, Etiamſi valeret ſupradicta dotalis conuentio, non eo magis tamen fore, vt prodeſſe vnquam potuerit Duci Carolo, quia de ſolis liberis & primi gradus & iam natis intelligi debeat: quorum tamen reſpectu dici nequit condicionem pacti euenisſe, cùm Ioanes primus Theodori primi filius Secũdotum, Ioannem, & Theodorum reliquerit filios ſuperſtites & heredes: & Theodorus ille Ioannem Iacobum, & ille rurſus alios, vt iam diximus. Et in hac exceptione aduerſarij noſtri potiſſimùm difficultatis nodum conſtituunt, quem tamen diſſoluere tam facile eſt, & expeditum, vt nihil magis. Nec mihi videtur ſanè improbabilius quicquam dici potuiſſe. Nam vt ita ſentiant, mouentur ex eo primùm, quod pa-

Quinta Mantuanorum exceptio principalis:

Quòd ſupradictum pactum dotale intelligi debeat de ſolis Violandæ liberis, & primi gradus, etiã natis.

Rationes quibus mouentur

aduersarij, vt suam illam interpretationē adstruant.

ctum conceptum est per participiū [procreatis,] quod est, inquiunt, præteriti temporis; ac proinde non alios liberos significare potest, quàm qui iam tùm nati & procreati essent. Deinde ex eo, quòd secunda pars pacti dotalis de dotandis filiabus filiorum, ostendat satis in priore parte vsurpatum fuisse à contrahētibus nomen [liberorum,] pro nomine, [filiorum,] quo certum est significari magis propriè illos, qui primi tantùm gradus sunt, [*Aliter enim filij, aliter nepotes appellantur,*] *l. quid si nepotes. 6. D. de testam. tutel.* Et quamuis retentum fuisset nomen liberorum; non ideò tamen potuisset extendi vltra quartum gradum, *ex Nouell. 159. vt restit. fideic. vlt. quart. grad.*

Pacti dotalis verba pertinēt ad liberos oēs tam ex Theodoro, quā ex liberis eius masculis, quocunq; gradu & tempore, nascituros.

Nos verò in contrarium dicimus, Pacti verba esse apertissima & relata ad liberos omnes, qui non modò ex Theodoro, sed etiam ex liberis eius masculis quoquo tempore nascituri essent, & in quocunque forent gradu.

Prima ratio. Nomen *liberorum*, generale est, & collectiuum pluriū, non modò personarum, sed etiam graduum in infinitum.

PRIMVM, quia vsurpatum est à contrahentibus nomen [liberorum,] quod sui natura est generale & collectiuum plurium nō solùm personarum, sed etiam graduum; ita vt omnes omnino descendentes comprehēdat vsque in infinitum, *l. liberorum. 220. de verb. signific.* Cuius verba omnia essent hîc transcribenda, si non esset commodius apud Callistratum ea videre, adeò elegantia sunt. Sed illud tamen prætermitti non potest, quod Iurecons. postquam dixit, [Liberorum] appellatione, nepotes quoque & pronepotes, cæterosque omnes, qui etiam ex pronepotibus descendunt, contineri; subiungit ex Papirio Frontone, Prædio legato cum vil-

lico,

lico,& contubernali eius,& filiis,nepotes quoque ex filiis contineri , nisi voluntas testatoris aliter habeat: [*Filij enim appellatione*,inquit,*sæpe & nepotes accipi multifariã placet.* Tandemque ad finem legis subiungit, *Præter hæc omnia naturam quoque docere parentes pios, qui liberorum procreandorum animo & voto vxores ducunt, filiorum etiam, nedum liberorum appellatione omnes, qui ex nobis descendunt, contineri. Nec enim dulciore nomine possumus, quàm filij, nepotes nostros appell[illegible]tenim idcirco filios,filiásve concipimus atque edimus, vt ex prole eorum,earúmve, diuturnitatis nobis memoriam in æuum relinquamus.*] Vbi nomine *æui*, certum est nihil nisi perpetuitatem temporis & infinitatem significari:nec quicquam referre an dixerit Iureconsl. *in æuum*,an verò *in perpetuum*, aut *in infinitum*. Nec tantùm descendentes omnes, qui ex eodem genere, & eadem familia orti sunt,continentur appellatione *liberorum*, sed etiam cæteri omnes etiam nati ex fœminis in aliena familia, *l. cognoscere.56. §. 1. eod. tit.iunct.l.1. D. de iur.immunit.*

Etiam *filiorum* appellatione omnes descendentes continentur: multo magis nomine *liberorum*.

PROPIVS autem ad eam speciem, de qua tractamus, id est de dotali instrumento, in quo appositum sit nomen [liberorum,] non debere id restringi ad liberos primi gradus ; sed etiam ad vlteriores extendi, probamus per textum in hanc rem apertissimum *in l. si dotali.48.* quæ sumpta est ex eiusdẽ I.C. Callistrati eodẽ libro, secundo scilicet quæstionum, *D. solut. matr.* vbi scriptum est. [*Si dotali instrumento ita stipulatio*

Applicatio *l. si dotali* 48. *D. solut.matrim.*

interpoſita ſit, vt liberorum nomine dos apud maritum reſideat, nepotum quoque nomine dotem retineri. Nepotum, inquam, *etiam ex filia ſuſceptorum,*] vt ad eum locum benè noſtri notant, *ex l. 1. C. de condic. inſert. & d. l. cognoſcere. §. 1.* Vnde & Baldus noſter ad illam legem ſcribit, probátque per illum textum, nomen [liberorum,] in contractibus appoſitum, comprehendere omnes deſcendentes : ne quis fortè putet reſtringendum eſſe ad nepotes, de quibus ſolis lex loquitur. Quamuis non videam, cur propoſitionem hanc reſtrinxerit Baldus ad contractus ; cùm nec aliud probandum ſit in vltimis voluntatibus. Eſſe enim Calliſtrati ſententiam generalem apparet *ex d. l. liberorum.* quam videtur Calliſtratus veluti rationis loco ſubiunxiſſe poſt ſententiam, quæ extat *in d. l. ſi dotali,* & qua nihil apertius dici, aut excogitari pro nobis potuit, cùm loquatur de nomine [liberorum,] poſitò in contractu & inſtrumento dotali.

Nomen *liberorum*, etiam in cõtractibus appoſitum, comprehendit omnes deſcendentes.

NEQVE contrarium eſt, quòd in altera eiuſdem pacti dotalis parte, quæ ad maſculorum filias dotandas pertinet, de filiis locuti ſunt contrahentes, non de liberis. Quid enim abſurdi in eo, vel incommodi eſt? cùm etiam filiorum appellatione perinde ac liberorum, deſcendentes omnes contineri ſcribat Calliſtratus, *in d. l. liberorum. in fin.* Aut quid pio parenti procliuius, quàm liberos cuiuſcunque gradus dulciſſimo illo [filiorum] nomine appellare? Præſertim poſt vſurpatum iam ante nomen [liberorum:] quo apertè contrahentes ſignificauerant, nullo dubitationi relicto loco, de omnibus maſculis deſcendentibus fuiſſe cogitatum : cùm ex

Aduerſariorũ obiectio, quòd in ſecunda parte pacti dotalis contrahentes locuti ſint de filiis, non de liberis.

Ex proferentis voluntate, &

pro

proferentis voluntate, adeóque ex voluntatis coniectura maximè ſumendum ſit, quid appellatione [filij] contineri voluerit is qui protulit, *d.l.liberorum. §. ſed & Papirius.* Nec melior, aut probabilior vlla ſit coniectura, quàm quæ ex alia eiuſdem inſtrumenti parte ſumitur, *vulg.l.qui filiabus.17. de legat.1.l.quæſitum.12. §. antep. de inſtruct.& inſtr.legat.* Quòd ſi vna clauſula interpretationem potiùs alia recipere & poteſt & debet, quidni ſequens accipere debeat interpretationem à priore potiùs, quàm prior à ſequente ? Id enim eſt quod iactare noſtri ſolent, Præcedentia magis apta eſſe vt influant in ſequentia, quàm vt ſequentia retrotrahantur, &, vt ita dicam, regrediantur ad præcedentia, Bart. *in l. auia. per illum text.de condic.& demonſt.& in l.quiſquis.poſt gloſ. ibi.de leg.3.* Etiam in materia odioſa ; Iaſ. *ad l. 1. num.5.C. de liber.præter.* poſt Caſtr. *ibid.* & idem Iaſ. *conſ.12.& 69. lib.3.* vbi ait poſt Baldum, quem refert, Præcedentium quadruplicem virtutem eſſe, Declarandi, Supplendi, Ampliandi, & Reſtringẽdi. Eſtque euidens ratio diuerſitatis: Nam influxus præcedentium in ſequentia, eſt quid naturale: Regreſſus autem ſequentium ad præcedentia, contra naturam eſt, quæ progredi ſemper ſolet, Regredi nunquam. Sed neque video quiſnam huic quæſtioni locus eſſe poſſit: cui ſcilicèt tum demùm locus eſt cùm aliquid ambigui eſt, de cuius interpretatione quæri proinde oporteat, *vt in l. vtrùm autem. 23. D. de hered. petit.* Atqui in propoſita ſpecie nulla penitùs ambiguitas eſt in nomine [liberorum,] de quo vnquam nemo dubitauit, quin omnes cuiuſcunque gradus deſcendentes comprehenderet. Ambiguitas ſi qua eſt, ea tota eſt in nomine [filiorum,] quo ſignifican

coniectura voluntatis, ſumẽdum eſt quid *filij* appellatione cõtineri voluerit is qui protulit.

Clauſula ſequens recipere debet potiùs interpretationẽ à priore, quàm prior à ſequẽte.

Præcedentiũ quadruplex virtus, Declarãdi, Supplẽdi, Ampliandi, & Reſtringendi.

Nulla eſt ambiguitas in nomine, *liberorũ*; ſed tantùm in nomine, *filiorum.*

ficantur aliquando,&,vt plurimùm,ſoli filij primi gradus: aliquando verò etiam nepotes, & pronepotes, & cæteri omnes deſcendentes in infinitum, vt probauimus *ex d. l. liberorum. §. ſed & Papirius. iunct. §. vlt.* Et ideò interpretatione hîc aliqua opus eſt, eaque iuſta, per quam non dubitatur quin ſicut filiafamiliàs, ita etiam nepos interdum appellatione [filij,] contineatur,vt eleganter Iulianus ſcribit *in l. iuſta interpretatione. 201.eod.tit.de verb.ſignific.* Dictio igitur [filiorum,] illa eſt, quæ in propoſita ſpecie interpretanda eſt ex dictione, [liberorum:] non dictio [liberorum,] quæ proprium ſuum ſenſum,& generalem habet,nulla ambiguitate ſuſpectum,ex dictione [filiorum.] Alioqui eſſet ea interpretatio certi ex ambiguo, non qualis eſſe debet ambigui ex certo. Denique verba repugnant omnino ne poſſimus dicere appellatione [liberorum,] ſolos filios primi gradus contineri, quod nemo vnquã dixit,quantũlibet imperitus rerum & verborum,ſi magnos illos Iureconſultos excipias,qui pro Sereniſſ.Duce Mantuæ ſcripſerunt, quos vel maximè ex hoc apparet, quaſi deſperata nauigatione in ipſo naufragio portum & ſalutem quæſiuiſſe. At verba non repugnant, quominùs filiorum appellatione de omnibus maſculis deſcendentibus cõtrahentes cogitaſſe, ac ſenſiſſe dicamus; cùm id neque in legibus,neque in contractibus,neque in teſtamentis ſit nouum. Reprobanda igitur omnimodò eſt interpretatio, quam aduerſarij ſomniant, vt in dotali inſtrumento, de quo tractamus, ſoli filij primi gradus contineantur,cùm neque verbis conueniat, neque voluntati, vt Celſus ratiocinatur, *in l. ſi ancillas. 63. de legat. 1.* At noſtra conſequenter admittenda, vt cùm

Interpretatio debet ſeri ambigui ex certo, nõ certi ex ambiguo.

Non debet admitti ea interpretatio, quæ nec verbis conuenit, nec voluntati.

cùm de filiis ijdem contrahentes locuti ſunt, de maſculis cuiuſcunque gradus, id eſt, de liberis maſculis ſenſerint, ac ſi liberorum nomen vſurpaſſent. Nam & verbum ipſum, [filiorum,] licèt aliquomodò ex proprietate ſtrictiore ſuæ ſignificationis repugnare videatur: tamen non omnino repugnat, quod ſufficit ad iuſtam interpretationem capiendam, *l. talem inſtitutionem. 51. in fin. D. de hered. inſtit.* vbi perelegans textus eſt, & ad propoſitum noſtrum accommodatus. Nam cùm teſtator dixiſſet: *Stichus ſi meus erit cùm moriar, liber & heres eſto,* & Stichum viuus manumiſiſſet, vult Mar[illegible] eum nihilominùs heredem fore, quòd neque voluntas fuerit teſtatoris aufferre hereditatem ei, cui libertatem repræſentauit: [*Neque,* inquit, *verba omnino repugnant: nam quamuis ſeruus eius non eſt, at certè libertus eius eſt.*] Ita admittens verba quidem aliquomodò repugnare, quia non aliud teſtator proculdubiò ſenſerat, quàm ſi ſcripſiſſet, [*ſi ſeruus meus erit cùm moriar.*] ſed tamen debere ſufficere, vt verba omnino non repugnent: quia poſſum etiam *meum* dicere, ſcilicet *libertum,* qui meus ſeruus non eſt; & bonus eſt ſenſus quilibet, qui ex verbis concipi poſſit, *l. Gallus. 29. §. quidam rectè, de liber. & poſthum.* Quis verò dicat nomen [filiorum,] vſque adeò interpretationi noſtræ omnino repugnare, vt ſequentium graduum liberos complecti non poſſit? Cùm id alibi fiat tam ſæpe, & quoties fit, iuſta interpretatione fieri dicatur, *d. l. iuſta.* Quemadmodum è contrario, [parentum,] appellatione, aſcendentes omnes, non tantùm ad tritauum vſque intelligimus; ſed aſcendentes omnes in recta linea, vſque

Applicatio *l. talem inſtitutionem. 51. in fin. D. de hered. inſtit.*

Bonus eſt ſenſus, qui ex verbis concipi poteſt.

Parentum appellatione omnes aſcendẽtes continentur in infinitum.

in infinitum, *l. 4. §. parentem, D. de in ius vocand.* Nec rursus nouum est, vt etiam [patris] appellatione, auus quoque contineatur, patre saltem prædefuncto, *d. l. iusta.* In fauorabilibus scilicet, non etiam in odiosis, *l. lege Julia. 44. §. 1. D. de rit. nupt.* Atqui dispositio, de qua tractamus, fauorabilis est; cùm non exorbitet à iure communi, vt aduersarij obiiciunt; sed apposita sit in contractu dotali in partem & augmentum dotis, qua nihil est fauorabilius, propter admixtam causam & vtilitatem Reipublicæ, *l. 1. D. solut. matr. l. interest. 18. D. de reb. author. iudic. possid. aliàs l. 3. de priuileg. credit.* & pietatis, *l. cùm is. 36. §. mulier, D. de condict. indeb.* & in mariti commodum ac liberorum ex eo nascitur orũ, non minùs, quàm filiæ nubentis: Denique in fauorem contrahendi matrimonij, quod aliàs contractum non fuisset, *d. l. si donaturus. 9. §. 1. de condict. caus. dat. l. purè. 5. §. penult. D. de doli mal. except. d. l. Titia. 62. in fin. D. de iure dot.* Cur non ergo, si qua hîc pro nobis esset opus interpretatione, non eam potiùs interpretationem capiemus, quæ fauorabilior sit, & pro dote? *l. cùm quidam. 19. D. de liber. & posth. l. hoc modo. 64. in fin. de condic. & demonstr.* Præsertim cùm ea conuentio non in aliorum fauorem facta sit, quàm qui erant in inuestituris antiquioribus comprehensi: & in eum casum, quo etiam nulla pactione interueniente, fuerant illi ex dictis inuestituris successuri, vt in superioribus probauimus. Quæ res fauorabilissimam facit conuentionem, & vel hac maximè ratione tuendam, si qua alia debilitaretur, quod nos negamus. Iam enim diximus posse feudi etiã paterni alienationem fieri, non requisito consensu aut directi domini, aut proximiorum agnatorum: dummodò

In fauorabilibus, *patris*, appellatione etiã auus continetur.

Variæ rationes propter quas pactum dotale, de quo agimus, fauorabile videri debet.

In dubio capienda est interpretatio, quæ pro dote fauorabilior est.

Alienatio feudi, etiam paterni, potest fieri irrequisito cõsensu siue do-

modò fiat in aliquem ex agnatis comprehenſum in inueſtitura, *ex notat. in tit. 39. de alien. feud. patern.* & ſimiliter defendi teſtamentum, quamuis imperfectum, vt etiam tollat prius ipſo iure quod perfectũ fuerat, dummodò in poſteriore ſcripti ſint heredes ij, qui ab inteſtato eſſent ſucceſſuri, *l. 2. D. de iniuſt. rupt. l. hac conſultiſſima. 21. ſ. vlt. C. de teſtam. l. ſi duobus. 12. ſ. ſi prius, D. de bonor. poſſ. contr. tabul.* Nihil ergo eſt quominùs in ſecunda pacti huius dotalis parte, quod de filiis ſcriptum eſt, interpretemur de liberis, de quibus dictum bis fuerat, nomine illo [liberorum,] bis & ter [illud]o, ſine vlla gradus liberorum enumeratione, aut deſignatione: ergo in infinitum ex propria ſignificatione dictionis [liberorum.] Quidni enim nobis liceat ſic argumẽtari, quomodo argumentatur Iureconſ. *in l. 1. §. generaliter, D. de legat. præſt.* qui alius textus eſt pro hac noſtra ſententia vrgentiſſimus, etiam ſæpius à nobis citatus? Atque ita concludit Franciſc. Mantic. *lib. 8. de Conject. vlt. vol. tit. 8. n. 22.* Tum quoq; cùm teſtator habuit nomina [liberorum,] & [filiorum,] pro ſynonimis, appellatione [filiorum,] etiã nepotes contineri, & omnes qui cõtinentur appellatione [liberorum:] vt dictio [filiorum,] amplietur potiùs per dictionem, [liberorum,] quàm vt hæc per illam reſtringatur, ex Curt. Iun. *conſ. 111. num. 7.* & Crauet. *conſ. 55. num. 3.* Alex. *conſ. 158. num. 1. vol. 7.* Et generaliter, quòd etiam in ſubſtitutione fideicommiſſaria, quamuis odioſa, quando diſpoſitio collata eſt in futurum euentum cuius tempore veriſimiliter poſſet eſſe dubium an extaturi eſſent filij, vel nepotes, appellatione [filiorum,] etiam nepotes veniant, concludit Dec. *conſ. 391. num. 3. & 5. & ſeqq.*

mini, ſiue agnatorum, dummodò fiat in aliquã ex perſonis in inueſtitura comprehenſis.

Nomen *liberorum*, prolatum ſine vlla deſignatione & enumeratione graduum, omnes gradus comprehendit.

Dictio, *filiorũ*, potiùs eſt amplianda per dictionem, *liberorum*, quàm dictio, *liberorum*, reſtringenda, per dictionem, *filiorum.*

Etiam in ſubſtitutione fideicõmiſſaria, quãdo diſpoſitio collata eſt in futurũ euentum, cuius tempore veriſimiliter dubium ſit an extaturi ſint filij, an nepotes, appellatione *filiorum*; etiã nepotes contineantur.

Cur in pacto nostro dotali contrahentes vsi sint nomine *filiorum*, non *liberorum*, cùm tractarent de filiabus dotandis.

SED & dici adpositè potest, Contrahentes eo loco vsos fuisse dictione, [filiorum,] per occasionem potiùs, quàm quòd [liberorum,] nomen sui natura generale, & nunquam ad filios primi gradus restringendum, sic illi restringerent. Nempe, quia eum casum tractabant, quo aliquæ filiæ remanerent ex dicto Domino Marchione, aut ex eius masculis. Non putauit autem imperitus Notarius, [filiabus,] aliud nomen opponi posse, quàm [filiorum;] cùm tamen longè aptius & accommodatius potuisset opponere nomen [masculorum;] & ita scribere: [*Quòd si aliquæ filiæ remanerent ex d. D. Marchione & masculis suis legitimis:*] Nec enim potuisset sufficere nomen [liberorum,] cùm eo nomine non minùs fœminæ, quàm masculi contineantur, *d. l. cognoscere. 56. §. 1. de verb. signif. d. l. 1. §. generaliter, de legat. præst.* Cùm igitur Notarius non posset eo loco, [liberorum,] nomen repetere, nisi adiecta qualitate masculorum, quæ tùm fortassis non occurrebat, visum est ei expeditius pro *liberis masculis*, scribere, *filiis*. Non ità scripturus haud dubiè, si pro [filiabus,] scribere *liberas*, potuisset. Nam subinde antitheſim concepisset sub nomine [liberorum.] Nec alia erroris Notarij, aut quoquomodo variatæ dictionis, [liberorum,] causa quærenda est.

Confirmatio alia superioris interpretationis.

QVAMQVAM illud etiam apertissimum est, ea verba, [*& filius suis,*] accipienda esse, ac si scriptum esset, *& dictis filiis suis*. De quibus enim aliis filiis potuissent contrahentes intelligere, quàm de quibus iam dixerant? Quemadmodum in verbis immediatè præcedentibus scriptum est, [*Quòd si aliquæ filiæ remanerent ex dicto D. Marchione:*] Cur non ergo etiá

scri

ſcribi potuit,[*& dictis filiis ſuis legitimis:*] aut,quod fuiſſet breuius, [*ex dictis D. Marchione & filiis ſuis?*] Nam & plerumque ita ſcribere Notarij ſolent: quod quamuis hîc factum non ſit, pro facto tamen habendum eſt, non tantùm ex ſolito Notariorum ſtylo; ſed etiam ex præcedentium ſenſu, qui hanc ſuppletionem neceſſariò inducit: vt ſolent in cæteris contractibus pro expreſſis haberi ea quæ ſunt de ſtylo Notariorum, ex notat. per Bart. & alios,*ad l.1. D. de iur. codicill.* Textus eſt, *in l. verbum volo.10. C. de fideic.l.1.§. pen.& vlt.D.de hered. inſtit. l.vnum ex familia. 67.§.ſi omiſſa, de legat.2.* Atqui præcedens diſpoſitio, cui hæc poſterior accedit,non de filiis locuta erat; ſed de liberis maſculis generaliter, ac ſine vlla graduum diſtinctione, ſed obſeruata tantùm ſexus differentia. Ergo & de liberis omnibus maſculis intelligi dictio,[filiis,]debet,quæ in poſteriore conuentionis parte poſita eſt.

Probatur contrahentes in vtraque clauſula pacti dotalis, ſenſiſſe de liberis maſculis cuiuſcunque gradus.

NEQVE verò alio vllo fortiore argumento indigemus, vt hoc ipſum probemus quod volumus,Contrahentes in vtraque clauſula de liberis maſculis cuiuſcunque gradus ſenſiſſe; quàm quod ex hac ipſa poſteriore parte ſumi poteſt, quæ ad filias maſculorum dotandas pertinet. Nam ſi non alios quàm maſculos primi gradus in cõdicione mortis,[*ſi ſine liberis maſculis,*] ponere voluiſſent, non attinebat prouidere de dotandis filiabus maſculorum primi gradus, ſed tantùm de dotandis filiabus Thedori; nempe vt maſculi Theodori poſſint ipſi ſuccedere, excluſis ſororibus, quas dotatas eſſe ſufficeret. Ad quid enim dotare filias primi maſculi,niſi vt poſſent maſculi eiuſdem primi maſculi, & ſe-

Per pactũ dotale prouiſum fuit de dotandis filiabus, nõ tantùm Theodori, ſed etiam maſculorum Theodori.

cundi gradus pariter succedere exclusis sororibus? Ergo id actum fuisse fatendum est, vt etiam masculorum masculi succedere debere, & fœminis præferri. Igitur & de vocanda Violanda, eiusque successoribus in eum casum, quo masculorum masculos sine masculis deficere contingeret, vt ex qualitate adiecti oneris sumatur interpretatio conuentionis, *l. alumnæ. 30. §. ab heredibus, de adim. legat.* Non enim fauore solo masculorum, qui exclusis sororibus successuri essent, dotari filias Theodorus voluit, ne partem fratribus facerent; sed in fauorem potissimùm Violandæ & eius successorum, vt dictis filiabus omnimodò salua dote præferrentur. Etsi autem non ignoro clausulam istam, quæ ad filias dotandas pertinet, ad eas maximè referri debere quarum dotandarum onus ad Violandam, eiusque successores, non ad masculorum masculos spectare debuisset, vt sequentia clausulæ verba demonstrant ista: [*per dictam Violantem, heredes & successores eius.*] Hoc tamen contendo, etiam sensisse Theodorum de dotandis per masculos filiabus masculorum, etiam priùs quàm de Violanda admittenda tractari posset: Alioqui non potuisset Marchionatus ad dictã Violandã peruenire, nec si condicio in filiis primi gradus extitisset. Finge namq; defunctum Theodorum superstite Ioanne masculo, & alia filia præter Violandam: Deinde Ioannem sine masculis, filia tamen aliqua superstite: Dico Theodori mentem eam fuisse, vt non minùs filia ipsius, eademq; soror Ioãnis à fratre dotaretur, quàm vt filia Ioannis per Violandam. Quomodo enim Marchionatus posset ad Violandam peruenire post Ioannis obitum sine masculis, si onus dotandæ filiæ Theodori ad Ioannem non specta-

Pactum de dotandis filiabus generaliter intelligẽdum est de filiab⁹, quarum dotandarum onus non tantùm ad Violãdam eiusque successores; sed etiã ad masculos, & masculorum masculos pertinere posset.

Probatur ex suppositione si Ioannes filius Theodori decessisset sine masculis, vnica filia superstite, & sorore Violanda.

ret in neceſſarium antecedens? An non enim prouidendum fuit filiæ Theodori, ſaltem de dote congrua, ne vel egeſtate ſumma laboraret, vel in Marchionatu ſuccedendo pacti dotalis vtilitatem Violandæ præriperet? Atqui non potuit onus dotandarum filiarum maſculis iniungi in fauorem, vt factum eſt, dictæ Violandę, quin hoc ipſo maſculi illi in condicione pacti dotalis ſint poſiti, & ad eos quoque pacti condicio protrahatur. Cū igitur voluerit Theodorus dotari non tantùm filias ſuas; ſed etiam filias filiorum ſuorum: nec tantùm per Violandam, eiuſque ſucceſſores, ſi in ipſorum fauorem condicio exiſteret; ſed etiam per maſculos & ſecundi & tertij gradus, ſi aliquem ex maſculis contingeret decedere ſuperſtitibus maſculo, & fœmina: ne aliter Interpretantibus videatur magis dilexiſſe Violandam, quàm maſculos maſculorum ſuorum, quos tamen ei manifeſtè prætulit, vt in *l. Lucius. 85. D. de hered. inſtit.* Conſequens eſt, vt Violandæ & eius ſucceſſoribus earum demùm filiarum dotandarum onus impoſuerit, quas nullus maſculus dotare potuerit, aut debuerit, hoc eſt, quæ ex vltimo maſculo ſupereſſent. Proinde tantùm abeſt vt verum eſſe poſſit, quod volunt aduerſarij, Non niſi ad primi gradus filios Theodori conuentionem pertinere; vt è contrariò de ſolis filiabus vltimi maſculi dotandis, Violandam, eiuſque ſucceſſores onerare voluerit: de cæteris verò dotandis maſculos illos, qui excluſis filiabus in Marchionatu ſucceſſuri eſſent: Ne alioqui videatur tam malo omine præuidiſſe & cogitaſſe futurum, quod tamen non euenit, vt idem eſſet maſculus primi gradus & vltimi (ſemper enim vitanda eſt interpretatio quæ plena ſit mali ominis & triſtis euentus, *l.*

Non potuit onus dotandarum filiarum aliis maſculis iniungi, quàm qui ex pacto poſſent ſuccedere.

Non videtur impoſitū Violandæ, & eius maſculis onus dotādarū aliarum filiarum, quàm quæ ex vltimo maſculo ſupereſſent.

Vitanda eſt interpretatio, quę plena eſt mali ominis & triſtis euentus.

cùm

cùm tale.72.à princ.D.de condic. & demonstr.) aut vt Violandæ, eiusque successoribus non foret vtilis conuentio, quam secundus masculorum gradus superstes euacuare penitùs,& inutilem facere potuisset.

Non debent esse deterioris cõdicionis masculi primi gradus siue Theodori, siue masculorũ Theodori, quã masculi secundi & tertij gradus.

ET verò cur dicamus,voluisse Theodorum deterioris cõdicionis esse masculos suos primi gradus, aut masculorum suorum masculos æquè primi gradus,vt Violandam, eiusque successores habuerint sibi quodammodò substitutos,etiam in casum,quo filias sibi superstites aliquas reliquissent; quàm masculos secundi & tertij gradus,qui nullis quoque relictis liberis, ne quidem filiabus,Violandam tamen,secundùm aduersariorum interpretationem,excluſuri essent?Rursum,cur deterioris cõdicionis filias cæteras Theodori,aut filiorum eius primi gradus fieri patiamur, vt à succedendo in Marchionatu arceantur,& dote congrua contentæ esse cogantur, quàm filias masculorum secundi, aut tertij gradus; quæ secundùm aduersariorum eandem interpretationem,nec dotari debeant, nec succedere prohibeantur?Nam sicuti quæ dotari jussæ sunt,etiam succedere prohibitæ intelliguntur,fauore primùm masculorum succedentium, deinde Violandæ & successorum eius:Ita è contrariò masculorum filiæ,de quibus dotandis nihil dictum fuit,non possunt videri prohibitæ ne succedant;cùm sit æquissimum habere illas alterutrum, aut dotem,aut successionem,*l.penult.D.de collat.* Sic igitur eueniet, vt quo remotiores erunt à Theodoro filiæ masculorum Theodori,eo dilectiores fuisse,ac melioris condicionis esse videantur. Quod tamen absurdum sit dicere:Nam quo proximior quisque est,tanto dilectior fuisse intelligitur,*l.heredes mei.57.§.vlt.D.ad S.C.Trebell.*

Non debẽt cæteræ filiæ Theodori,aut filiorũ eius primi gradus, deterioris esse cõdicionis, quã filiæ masculorũ secundi, aut tertij gradus.

Habere alterutrum necessariò debent filiæ, aut dotem, aut parentis successionem.

Argumentum ab absurdo: Qui proximior est,censetur fuisse dilectior.

l.cùm

l.cùm pater.77.§.penult.de legat.2.l.Publius.36.§.1.de condic. & demonstr. Ergo ne quid istorum accidat, dicendum est, Eam pacisentium mentem fuisse, vt quandiu masculi cuiuscunque gradus supereſſent, neque fœminæ vllæ admitterentur, neque Violanda, vel eius successores; sed dotarentur filiæ cuiusque masculi à masculo succedente, & succederent soli masculi: Violanda verò contenta esset dote, quam purè accepisset. Deficiẽtibus autem masculis, in quocunque tandem gradu, qui tamen superstites filias aliquas reliquissent, arcerentur quidem filiæ à succedẽdo in Marchionatu, qui ex contractu dotali Violandæ hoc ipso acquisitus fuisset, ac eius successoribus, quasi iam ab initio in dotem purè datus; sed ita tamen vt eas filias dotare Violanda, vel eius successores tenerentur.

Verus sensus pacti dotalis, de filiabus dotandis.

QVARE non est quod aduersarij obiiciant, Theodorum cùm nihil dixerit de dotãdis filiabus liberorum secundi gradus & sequentium, nec de liberis secundi, aut tertij, vel vlterioris gradus, siue grauandis, siue in condicione ponendis, cogitasse. Nam imò verò dicimus, de solis filiabus vltimi masculi dotandis oneratam fuisse Violandam, eiúsque successores. Primi verò gradus & sequentium omnium vsque ad vltimum exclusiuè filias à masculis succedentibus dotari debuisse; non à Violanda, quæ nullum eo adhuc tempore succedendi ius habuisset. Proinde si verum esset, quod aduersarij volunt, Theodorum ad solos liberos primi gradus totam vim pacti restrinxisse, nec nisi de filiabus masculorum primi gradus per Violandam dotandis cogitasse, dicendum foret, factam ab eo fuisse dispositionem in

Obiectio aduersariorũ ex eo sũpta, quòd Theodorus nihil dixerit de dotandis filiab. masculorũ secundi gradus & vlteriorum. Responsio.

eum duntaxat casum, quo contingeret pessimo fato, aut saltem omine abominabilissimo, vt qui esset primus masculorum gradus, idem foret vltimus. Quod an probabiliter dici possit, prudentioris cuiuslibet esto iudicium.

Alia responsio à nostris Scriptoribus allata.

NEC proinde necesse est, vt ad eam responsionem confugiamus, quam nonnulli ex nostris adferunt, quòd quantum ad posteriorum graduum filias, de quibus dotandis nihil dictum est, totam rem voluerit Theodorus relictam esse dispositioni iuris communis: Nam è contrario dicimus, quod apertissimè verissimum est, non aliud onus iniunctum fuisse Violandæ, aut eius successoribus, quàm dotandi filias masculi, qui vltimus ex Paleologorum linea masculina decessisset. Reliquas verò filias præcedentium graduum, non dispositioni iuris, sed masculis ipsis succedentibus dotandas reliquisse; velut in necessarium, vt dixi, antecedens: quòd non aliter posset onus dotandi filias vltimi masculi Violandæ incumbere, quàm si ipsa succederet; aut ex eius persona & iure, ipsius successores. Sicut enim non alius onerari potest, quàm qui honoratus fuit, *vulg. l. ab eo. 9. C. de fideic. l. sed etsi. 6. in fin. de legat. 3.* ita nec in aliũ casum onerari, quàm in quem fuit honoratus. Nec rursus posset aliter Violanda succedere, quàm si præcedentium graduum filiæ à successione Marchionatus excluſæ essent. Nec illæ denique à Marchionatu aliter excludi, quàm si dotatæ, vel saltem dotandæ essent. Itaque de primo ad vltimum, vt aiunt, aut potiùs regrediendo ab vltimo ad primum, fatẽdum est, in proposita conuentione dotali tot factos esse gradus cõdicionis illius, [*si sine masculis,*] quot essent gradus liberorum masculorum in

Non potest alius onerari, quàm qui fuit honoratus; nec in alium casũ, quàm in quem est honoratus.

feudo

feudo Marchionatus ſuccedentium: Tot gradus quoq; oneris dotandarum filiarum, quot eſſent gradus maſculorum, qui ſucceſſiſſent & filias reliquiſſent, quaſi maſculis ſolis ad excluſionem fœminarum tacitè inuicem ſubſtitutis: filiabus verò excluſis & dotandis in fauorem Violandæ, vt ad eam totus Marchionatus per mortem vltimi maſculi peruenirent. Idque argumento accommodatiſſimo ſumpto ex illa pereleganti ratiocinatione Pauli, in *l. Titia Seio. 87. §. Seia libertis, de legat. 2.* Vix enim vlla inter caſum illum & hunc noſtrum diuerſitas obſeruari poteſt, niſi quòd ibi agitur de fideicommiſſo, hîc de dote: ſed vtrobique de onere iniuncto vltimo morienti; apud Paulum quidem reſtituendi fundi ex cauſa fideicommiſſi: hîc verò amittendi ipſo iure Marchionatum, tanquam ab initio purè in dotem datum Violandæ: Itemque quantum ad Violandam vltimo lôco ſuccedentem, iniuncto ei onere dotandi filias vltimi maſculi, quas dotare nihil ei prodeſſe poſſet, ſi non præcedentium quoque graduum filiæ dotatæ proponerentur. Ergo quemadmodum Paulus in illa ſpecie ex vnico illo fideicommiſſo, quo vltimus moriens grauatus fuit, prudenter ac ſubtiliter coniicit, Teſtatorem videri in eo fideicommiſſo, de quo quærebatur, duos gradus ſubſtitutionis feciſſe: Vnum, vt is qui ex duobus prior moreretur, alteri reſtitueret; Alterum, vt nouiſſimus poſterioribus fideicommiſſariis reſtitueret. Nempe quoniam niſi inducto priore tacito gradu fieri non poterat, vt totus fundus ad poſtremos fideicommiſſarios perueniret. Quemadmodum Doctores omnes ad illum Pauli locum optimè ratiocinantur: Ita & in propoſita quæſtione, ex eo quod Theodorus voluit,

Explicatio *l. Titia Seio. 87. §. Seia libertis, de legat. 2.*

Cur ex vnico fideicommiſſo Paulus cõiiciat duos gradus fideicõmiſſi, in ſpecie d. §. Seia libertis.

Cur in noſtra ſpecie, ex vnico illo onere dotandi per Violandã filias vltimi maſculi, inducendi ſint neceſſariò varij gradus, etiam aliorũ maſculorũ filias dotandi. Et cur diuerſi quoque gradus ſubſtitutionis inter maſculos.

poſt mortem vltimi maſculi ex linea Paleologa totum Marchionatum ad Violandam ſolam pertinere, niſi quantùm ad dotandas præcedentium maſculorum filias fuiſſet delibatum, inferendum eſt voluiſſe illũ maſculos inuicem ſubſtitutos eſſe, vt alij poſt alios ſuccederent ad vltimum vſque, excluſis ſemper, & ob eam cauſam dotandis filiabus. Nimirum quoniam alioqui fieri non potuiſſet, vt poſt extinctos omnes maſculos, totus Marchionatus ad Violandam, eiúſve ſucceſſores perueniret. Rurſum, ex eo quòd Theodorus filiam vltimi maſculi tantùm dotari voluit per Violãdam, eiúſve ſucceſſores, intelligimus voluiſſe illum, vt etiam præcedentium graduum filiæ dotarentur, ſed à maſculis. Ne alioqui onus iniũctum Violandæ, eiúſve ſucceſſoribus dotandi filias vltimi maſculi, maneret ſine honore, ac ſine commodo Marchionatus in dotem ſub condicione conſtituti; quamuis condicio pacti extitiſſet: cùm filias præcedentium graduum, quæ nec dotatæ, nec dotandæ fuiſſent, in Marchionatu ſuccedere oportuiſſet, atque ita Violandæ anteponi, cui tamen ſolos maſculos Theodorus prætulerat; adeò vt cæteras quoque filias, ſi quas eſſet habiturus, ei poſtpoſuiſſet: multo igitur magis filiorum & nepotum & pronepotum & vlteriorum graduum filias, tanquam magis remotas, obíque minùs dilectas.

Theodor⁹, qui proprias ſuas filias in defectum maſculorum poſtpoſuit Violandę, multo magis filias filiorum ſuorũ & nepotum & pronepotum ei poſtpoſuiſſe credendus eſt.

Confirmatio ſupradictæ interpretationis, ex eiuſdẽ Theodori teſtamento.

ATQVE hanc fuiſſe, quam dicimus, Theodori voluntatem, præter id quod inſtrumenti verba ſonant apertiſſimè, ſi non ea cauillari quis velit, apparet manifeſtiùs ex eiuſdem teſtamento, quo inſtituit ſibi heredem vniuerſalem Ioannem vnicum ſibi maſculum, & eidem ſubſtituit primogenitum ipſius Ioannis, & ſucceſſiuè

ceſſiuè alios maſculos, ſeruato ordine genituræ: nunquam vocatis, aut ſubſtitutis filiabus: ne quidem in defectum maſculorum, ne ſcilicet aduerſus pactum dotale, quod in fauorem Violandæ fecerat, & Aymonis Comitis, ac ſucceſſorum, aliquid conſtituere velle videretur. Quod nec voluiſſe illum facere credibile eſt; cùm etiamſi maximè voluiſſet, tamen non potuiſſet ſalua fide, quæ cùm omnibus hominibus ſancta eſſe debet, tùm maximè Principibus, quos decet vtique ante oculos ſemper habere præclarum illud Plinij verbum in Panegyrico Traiani, *Sicut ſummæ felicitatis eſt poſſe quantùm velis, ita magnitudinis velle quantùm poſſis.* Neque verò nouum eſt, vt ex teſtamento poſtea facto coniiciamus quid teſtator in contrahendo ſenſerit; tametſi diuerſæ ſint & diuerſorum temporum voluntates: præſertim verò cùm vna ex ipſis alteri dat legem, vt in propoſito, *l. vir vſuras. 55. de donat. int. vir. & vxor.* commixtis ſcilicet duobus voluntatibus, vt duobus capitibus legis Velleæ, *in l. Gallus. §. ille caſus, D. de liber. & poſthum. l. tale pactum. 40. §. vlt. D. de pact. l. cùm pater. 77. §. pater filiæ, de leg. 2. l. donationes. 31. §. pater qui filiæ, D. de donat.*

Sicut ſummæ felicitatis eſt poſſe quantùm velis: ita magnitudinis velle quātùm poſſis.

Etiam diuerſæ voluntates & diuerſorum tēporum interdū coniungi poſſunt, vt vna recipiat interpretationem ex altera.

VERVM tota hæc aduerſariorum obiectio errorem illum præſupponit, quem nos iam confutauimus, quòd Theodorus cùm pactus eſt, vt filiæ ex filiis ſuſceptæ dotarentur per Violandam, eiúſque ſucceſſores, de ſolis filiabus filiorum primi gradus ſenſerit: quod non ita eſt. Imò cùm eo loco [*filios*] Notarius ſcripſerit, pro [*liberis maſculis,*] vt probauimus, dicendum eſt, Oneratam fuiſſe Violandam, eiúſque ſucceſſores de dotan-

Aduerſariorū obiectio præſupponit errorem iam ſuprà confutatum.

dis filiabus quæ supereſſent ex maſculis, id eſt, ex vltimo maſculo, qui nullis aliis relictis maſculis moreretur. Ac proinde ſi verum eſt, vt eſt, quod dici ſolet ex qualitate oneris adiuncti alicui diſpoſitioni, eſſe interpretandam diſpoſitionem, *d.l.alumnæ.36.ſ.ab heredibus*, vbi Bart. & alij notant, *D.de adim.legat.* Apparet, ſicuti voluit Theodorus dotari per Violandam, eiúſve ſucceſſores, filias vltimi maſculi cuiuſcunque eſſet ille gradus, dummodò eſſet ex liberis maſculis Theodori: Ita & in condicione pacti voluiſſe ponere omnes liberos maſculos, qui ex Theodoro naſcerentur, ſine vlla graduum diſtinctione, & enumeratione: ergo in infinitum, vt argumentati ſuprà ſumus cum Vlpiano, *in l.1. ſ. generaliter, D.de legat.præſt.*

Ex qualitate oneris, quod adiunctum eſt diſpoſitioni, interpretanda eſt diſpoſitio.

Ex quo etiam loco apertè conuincitur, quod ijdem aduerſarij ſubiiciunt, Etiam retento nomine liberorum, non de aliis tamen liberis maſculis poſſe conuentionem intelligi, quàm de iis, qui eſſent intra quartum gradum, *ex Nouell. 159. vt reſtit. fideic. vſque ad quart. grad. conſiſt.* [Liberorum] enim nomen conſtat eſſe generale, vt omnes cuiuſcunque gradus deſcendentes comprehendat in infinitum, vt ſcriptum eſt diſertis verbis, *in d.ſ.generaliter, & d.l.liberorum.220.de verb.ſignific.* Nec quicquam contrà ſcriptum eſt, *in d. Nouell. 159.* quæ nec de contractibus loquitur; ſed tantùm de vltimis voluntatibus, & quidem de fideicommiſſis, quę ſunt odioſiora, vt diximus: (in contractibus enim, maximè dotalibus, aliud eſt, *l.ſi dotali.48.* vbi Bald. nominatim id notat, *D.ſolut. matrim.* cùm non fiant contractus dotales niſi ad perpetuandas per plurium graduum liberos

Alia aduerſariorũ obiectio, quòd pactum dotale, quatenus loquitur de liberis, non de aliis poſſit intelligi, quàm qui ſint intra quartum gradum.

Reſponſio.

Ad Nouell.159. *vt reſtit. fideic. vſque ad quart. grad.conſiſt.*

Latiùs patet nomen, *liberorum*, in contractibus, præſertim dotalibus, vt nũquam reſtringatur ad quartum gra-

beros familias, dum alij liberi ex aliis liberis ſperantur & producuntur, *dict. l. liberorum. in fin.*) Et præterea non de dictione [liberorum,] loquitur *d. Nouell. 159.* nec de fideicommiſſo, quod vel liberis relictum ſit, vel à liberis: ſed tantùm de fideicommiſſo illo interpretatiuo, quod Prudentes noſtri ſolent inducere ex prohibitione alienationis faciendæ extrà familiam. Quod fideicommiſſum non vult Iuſtinianus extendi vltra quartum gradum, hac potiſſimùm ratione motus, quòd nõ fuiſſet alienatio prohibita liberis generaliter; ſed tantùm filiis primi gradus: ita innuens non obſcurè aliud ſe conſtituturum fuiſſe, ſi liberis omnibus interdicta fuiſſet alienatio. Sed & in nomine [familiæ,] ambiguitas plerumque nec parua eſt, vt conſtat ex *l. vlt. C. de verb. ſignific.* At in nomine, [liberorum,] nulla. Nemo enim vnquam dubitauit, ſi aduerſarios excipias, quin eo nomine poſteri omnes cuiuſcunque gradus in infinitum comprehenderentur. Taceo quod Nouella illa à variis interpretibus variè accepta eſt, & in vulgata editione ſic conceptus eſt titulus, *vt reſtit. fideic. vſque ad vnum gradum conſiſtant.* Alij ſunt qui legant, *vſque ad quotum*; non autem vt vulgò, *vſque ad quartum*, vt videre eſt apud Iac. Cuiacium, *lib. 4. Obſer. cap. 38.* Sed vt vt ſit, aliud eſt tractare de fideicommiſſo interpretatiuo, ex prohibitione alienationis inducendo; quod ſicut interpretatiuum eſt, ita facilè interpretationem hanc à Iuſtiniani conſtitutione accipere potuit, vt non vltra quartum gradum extendatur, etiam vſurpato nomine, [liberorum.] Aliud verò de datione dotis apertè & apertiſſimis verbis concepta, nullam penitùs ambiguitatem, nec proinde interpretationem admittentibus, & in qua nihil

dum, quàm in vltimis voluntatibus

De quo fideicommiſſo loquatur Iuſtinianus *in dict. Nouell. 159.*

In nomine, *familiæ*, aliqua eſt ambiguitas, ſed in nomine, *liberorum*, nulla.

Aliud eſt tractare de fideicommiſſo interpretatiuo: aliud verò de pacto dotali apertiſſimis verbis concepto.

nihil aliud inſpiciendum, quàm quid voluerint & dixerint contrahentes, qui non aliter fuerant contracturi. Nam neque circa teſtamentarias & fideicommiſſarias voluntates authoritatem ſuam interpoſuiſſet Iuſtinianus, ſi nullam ambiguitatis materiam inueniſſet. Voluntates enim hominum audire volunt & debẽt Imperatores, non iubere, vt præclarè ab Honorio & Theodoſio dictum eſt, *in l. omnium. 19. C. de teſtam.*

Voluntates hominum audire volunt & debent Imperatores, non iubere.

ENIMVERÒ quàm impertinens & nullius momenti ſit hæc aduerſariorum obiectio, ex eo quoque apparet euidentiùs, quòd Ioannes Georgius Marchio vltimus ex linea Paleologa, per cuius obitum ſine maſculis dicimus purificatam fuiſſe condicionem pacti dotalis, de quo diſputamus, non fuit vltra quartum gradum, ſed in quarto ipſo gradu; computando ſcilicet non à Theodoro primo, qui pactum fecit, ſed à Ioanne ipſius filio primi gradus, à quo incepit ſecunda pars condicionis, *ſi ſine liberis maſculis moreretur.* Habet enim cõdicio huius pacti duas partes: vnam illam, [*ſi Theodorum ſine maſculis mori contingeret, ſuperſtite licèt aliqua filia.*] Et hæc pars condicionis ſi vltra quartum gradum extendi non poſſet, vtique ad Io. Georgium, qui in quinto gradu à Theodoro fuit, peruenire non valeret. Alteram verò [*ſi Theodori liberos maſculos, abſque liberis maſculis, mori contingeret.*] Et hanc poſteriorem condicionis partem dicimus ad Io. Georgium vſque poſſe pertingere. Primus enim gradus liberorum Ioannis, qui erat filius Theodori, fuit Secundoti, Ioannis, & Theodori, qui Ioannis illius primi tres filij & ex ordine heredes fuêre. Secundus gradus

Ioannes Georgius Marchio vltimus ex linea Paleologa non fuit vltra quartum gradum à Theodoro, ſed in quarto gradu.

Condicio pacti dotalis, de quo agimus, habet duas partes. Primam quæ incipit à Theodoro: ſecũdam quæ à Ioanne filio Theodori.

Computatio graduum in liberis Theodori, vt appareat Io. Georgium vltimum maſculum nõ fuiſſe vltra quartũ gradum.

dus fuit Ioannis Iacobi, qui filius fuit dicti Theodori, & in Marchionatu succeſſor. Tertius fuit Ioannis, Guillielmi, Bonifacij, & Theodori, quos Ioannes Iacobus filios habuit, & omnes ſuperſtites reliquit. Quartus fuit Guillielmi & Io. Georgij vltimi ſine maſculis defuncti, qui ambo filij fuerunt Bonifacij primi. Et quamuis alius fuerit quintus gradus Bonifacij vltimi, qui & ipſe ſine maſculis deceſſit & impubes, ſuperſtite ſorore Margareta; hic tamen in hoc caſu non attenditur: quoniam à Bonifacio res tota rediit ad Io. Georgiũ, qui in quarto gradu fuit. Nec ob id magis in ſexto gradu fuiſſe videri poteſt, quòd poſt quintum gradum ſucceſſerit. Gradus enim liberorum computamus, non autem ſucceſſorum in Marchionatu. Ergo tametſi non poſſet pacti huius dotalis diſpoſitio vltra quartum gradum porrigi, quod aduerſarij volunt, & nos negamus: non tamen ea res excluderet caſum, qui euênit per obitum d. Io. Georgij, cùm eſſet ille in quarto gradu & de numero liberorum, etiam ſecundùm hanc interpretationem in pacto comprehenſorum. Aduerſarios igitur ſuccumbere neceſſe eſt, ſi non præciſè commentum illud ſuum probent, quod de ſolis liberis maſculis primi gradus contrahentes ſenſerint.

Computandi hic ſunt gradus liberorum, non autem ſucceſſorum in Marchionatu.

QVOD etſi iam plus quàm ſatis refutatum à nobis eſt, lubet tamen ex ipſis quoque pacti verbis aliis, quàm quæ hucuſque ponderata ſunt, conuincere. Pacti verba ſic habent: [*Quòd ſi contingeret dictum Marchionem, vel eius liberos maſculos ex legitimo matrimonio procreatos decedere, quoquo tempore,*

Alia ratio ex ipſis pacti verbis deſumpta, vt probetur pactum illud ad ſolos liberos primi gradus reſtringi non poſſe.

absq; liberis masculis ex suis corporibus, & legitimis matrimoniis procreatis. Quem verò sensum habere possunt illa, [*quoquo tempore*,] si non referantur ad defectum masculorum, quoquo tempore contingentem? Ergo ad cuiuscunque temporis gradus, ac proinde non ad liberos tantùm primi gradus; sed ad liberos etiam sequentium graduum; quia sunt sequentium temporum, & tempus omne in infinitum pacto comprehensum est. Nec enim dici potest, iis verbis cogitatum fuisse de temporibus ætatis pupillaris & pubertatis contingendis, vt cùm sit compendiosa substitutio, de qua *in l. precibus. 8. C. de impub. & aliis substit. & in l. Centurio. 15. de vulg. & pupill. subst.* Nam neque in Theodoro tractari poterat de pupillari ætate, neque in persona etiam Ioannis, quem constat vxorem duxisse paucis pòst annis, scilicet anno *1337*. Et quamuis pupillus eo tempore fuisset, non tamen tractabatur de pupillari aliqua, vt nec de fideicommissaria, substitutione facienda; sed tantùm de dando in dotem Marchionatu, in omnem casum, quo deficeret linea masculina Theodori; [*quoquo tempore*,] id accideret, id est, siue eo tempore, quo Theodorus ipse moreretur, siue eo tempore, quo Ioannes, aut Ioannis filij masculi, aut nepotes, aut pronepotes. Non enim quoquo tempore posset accidere id, quod tempore vel Theodori, vel masculi primi gradus accidere necesse esset. Denotant siquidem hæc verba perpetuitatem temporis, & extensionem ad omne tempus futurum in infinitum, & multiplicatiua ac comprehensiua plurium temporum vniformiter, vt loquitur Bald. *ad l. si quis ad declinandam. C. de*

Verba illa, *quoquo tempore*, referuntur ad defectum masculorum, quoquo tempore contingentem.

Absurda aduersariorum interpretatio ad illa verba, *quoquo tempore.*

Explicatio illorum verborum, *quoquo tempore.*

Verba illa, *quoquo tempore*, denotant perpetuitatem temporis, & extensionem ad omne tempus futurum in infinitum.

de Epiſc. & cleric. Andr. Tiraq. *de Retr. conuent. §. 1. gloſ. 1. num. 17. & ſeq.*

NEC reſponderi poteſt, quod ad hæc verba reſpondent aduerſarij, Eſſe comprehenſiua plurium temporum, ſed non plurium perſonarum: & ideo ſufficere vt poſſint verificari in tẽporibus pupillaritatis, pubertatis, & hereditatis aditæ, & nõ aditæ, *ex l. neminem. cum gloſ. in verb. quandocunque, C. de decur. lib. 10.* Neque enim tractari quicquam poteſt in propoſito de tempore pupillaritatis, aut pubertatis, aut hereditatis vel aditæ, vel non aditæ; ſiue in perſona Theodori, ſiue in perſonis maſculorum primi gradus. Et cum referantur ad verbum, [*decedere,*] quod nõ niſi de perſonis intelligi poteſt, planè non video quomodò poſſit hac parte ſeparari tempus à perſonis, vt ſignificent ea verba perpetuitatem quantum ad tempus, non quantum ad perſonas. Aut cur generalis eorum ſignificatio ſtrictiùs accipiatur in materia non ſtricta; & quæ generalitatem illam poteſt admittere, non minùs quod ad perſonas, quàm quod ad tempus.

Replicatio inanis aduerſariorum.

Verba, *quoque tempore,* referẽda ſunt ad verbum, *decedere,* quod nõ niſi de perſonis intelligi poteſt.

PONDERO item verba illa, [*Abſque liberis maſculis ex ſuis corporibus & legitimis matrimoniis procreatis,*] quæ cùm ſint pluralis numeri, verificari debent in pluribus, nec tantùm in liberis Theodori, & filij eius Ioannis; ſed etiam in pluribus liberis liberorum maſculorum Theodori & Ioannis; poſitis quippè ſeparatim in ſecunda parte eõdicionis: In pluribus, inquam, non tantùm perſonis; ſed etiam gradibus liberorum maſculorum. Cur enim velimus ſufficere, vt verificari

Ponderantur alia eiuſdẽ pacti verba, quæ verificari debẽt in pluribus liberis liberorũ maſculorũ, non modò Theodori; ſed etiã Ioãnis: & in pluribus non tãtùm perſonis; ſed etiam gradibus perſonarum.

Non ſufficit verificari in

pluribus personis verba, quæ possunt verificari in pluribus gradibus.

possint in pluribus personis, non etiam in pluribus gradibus, cùm verborum generalitas hanc æquè ac illam generaliter interpretationem admittat? Generalia enim verba generaliter sunt intelligenda, & vbi contrahentes non distinxerunt, nec nos distinguere debemus; Multominùs quàm si de legis vel edicti interpretatione ageretur, *vulg. l. de precio. 8. D. de Public. in rem act. cap. solitæ, de maior. & obed.* Præsertim cùm pluralitas quoque legitimorum matrimoniorum supradictis verbis designetur. Aptiùs autem & apertiùs in clausula sequenti, de filiabus dotandis, eo loco: [*Quòd si aliquæ filiæ remanerent, ex dicto D. Marchione & filiis suis legitimis, & legitimis matrimoniis procreatis.*] Quæ pluralitas licet possit verificari etiam in pluribus personis primi gradus; potest tamen multo commodiùs in personis plurium graduum. Quid enim si, quod accidit, vnus tantùm fuisset filius primi gradus? Quomodo in eo verificarentur verba illa, [*ex suis corporibus?*] Nullo prorsus modo: Nisi addas secundum gradum liberorum masculorum, in quo licèt vnus tantùm masculus esset; si tamen ille filium susciperet, possent in coniunctis duobus gradibus vsurpari ea verba, [*ex suis corporibus.*] Quomodo rursum illa, [*& ex legitimis matrimoniis*] in masculo primi gradus, qui & vnicus esset & vnicam vxorem duxisset, vt euênit in Ioanne filio Theodori? Dices, Potuisse illum plures vxores ducere, ac plura contrahere matrimonia. Non nego; sed dico casum hunc esse abominabilem, non modò probis viris; sed ipsis etiam legibus, quæ secundis nuptiis funestari dicunt eam personam, quæ ad secunda conuolat vota.

Generalia verba generaliter & indistinctè sunt intelligenda.

Pluralitas matrimoniorũ supradictis verbis designatur.

Ponderantur verba illa, *ex suis corporibus*, quæ non possunt verificari in vno tantùm filio, nec proinde in vno tantùm gradu, si vnus tantũ fuit filius.

Ponderantur etiam verba illa, *& ex legitimis matrimoniis.*

Cùm

Cùm igitur tractando de filiis Theodori, & de liberis masculis masculorũ ipsius, dictum sit in plurali numero, [*ex legitimis matrimoniis procreatis*,] satis expressum est, aut saltem significatum, de eo casu cogitasse contrahentes, quo plures essent masculi plurium graduum, quos proinde necesse omnino esset ex pluribus matrimoniis procreatos esse. Atqui, replicabis, Etiam in primo gradu solo plures posse personas esse, & consequenter plura matrimonia, vt nil sit necesse ad inducendam pluralitatem matrimoniorum, pluralitatem quoq; graduum inducere. Verùm iam dixi, Posse etiam contingere, vt vna tantùm persona sit: & vero in casu nostro ita ex facto contigisse, ac proinde illo casu pluralitatem graduum induci necessariò oportere. Deinde respondeo non potuisse filios primi gradus nasci ex Theodoro [*ex legitimis matrimoniis*,] in plurali, vt habet postrema clausula, de dotandis eorum filiabus: quin ponendum sit Theodorum plura matrimonia contraxisse, ideoque iam tùm cogitasse de pluribus vxoribus ducendis, quod iam diximus esse omnino improbabile, etiam in persona Ioannis, qui tunc adhuc erat iunior: Quanto magis in persona Theodori iam tum senis, & vxorati, & post paucos deinde annos defuncti? Quod si fatentur aduersarij, verificari posse hæc verba pluralis numeri, etiam in casibus funestis, aut saltẽ minus fauorabilibus, & qui non contigerunt, licèt contingere potuerint: quidni etiam, multoque magis admittunt verificari debere in casu qui euênit, &, vt dicam generaliùs, in omnibus casibus, qui verbis continentur, vt quibus casibus conueniunt verba dispositionis, conueniat etiam dispositio, *l. vlt. D. ad S. C. Trebell.* Nam & sufficeret

Replicatio pro aduersariis.

Responsio ad replicationem, ex eo, quod in proposito casu euênit.

Alia responsio ex illis verbis pluralitatẽ matrimoniorum denotãtibus *ex legitimis matrimoniis.*

Verba quę possunt verificari in casibus etiã funestis & abominabilibus; multo magis verificari possunt in cæteris.

talem casum esse, qui ex verbis concipi posset, licèt minùs aptè expressus esset, *l. Gallus. 29. §. 1.* [*vt eo casu valeat, qui ex verbis concipi possit,*] *de liber. & posthum.* Et sufficeret verba non omnino repugnare, *d. l. talem institutionem. 51. in fin. D. de hered. inst.* Tàtùm abest vt ob id solùm quod in aliquo alio casu verificari verba possint, alij omnes casus excludi debeãt, qui sub eâdem verborum generalitate & proprietate comprehenduntur. Itaque non in eo laborare deberent aduersarij, vt darent casum aliquem, in quo verificari possint verba pacti; sed potiùs in eo, vt rationem aliquam redderent, cur non deberent verba verificari in omnibus casibus in quibus possunt. Atqui possunt verificari, vt iam dixi, multoque aptiùs & commodiùs, & vniuersaliùs, cùm pluralitas & personarum & matrimoniorum inducitur ex pluralitate graduum, quàm si tota dispositio ad masculos primi gradus restringatur. Quidni ergo casus illos omnes supradictis verbis comprehẽdi admittemus? *l. si vir vxori. 61. D. de condic. & demonstr.* Vbi dicitur condicionem, [*liberorum,*] à testatore adscriptam, de omnibus liberis intelligi debere, de quibus potest, id est, siue viuo, siue mortuo testatore nascantur. Non addit lex, [*siue sint primi, siue secundi gradus:*] quia, vt iam diximus, nemo vnquã dubitauit, quin [liberorũ,] appellatione, tã secundi, quàm primi gradus liberi contineantur. Adde textum elegantem in *d. l. Gallus. §. sequenti parte, vers. & benè verba se habent ad omnes casus pertinentia, &c. de liber. & posthum.* Sanè, quod aduersarij facere tentant, vt dispositio, quæ sui natura, & ex proprietate verborum plures casus continet, ad vnum restringatur, perinde est ac si quis diceret, substitutionem vulgarem conceptam

Verba quæ in aliquo casu verificari possũt, non ob id minùs verificari debent in cęteris omnibus in quibus possunt, si sint generalia.

Pluralitas personarũ & matrimoniorum inducitur commodiùs in pluribus gradibus, quàm in vno solo.

Applicatio *l. si vir vxori. 61. de condic. & demonstr. & l. Gallus. 29. §. sequenti parte, D. de liber. & posth.*

Substitutio vulgaris, quæ

verbis

verbis illis generalibus, [*si heres non erit,*] non continere casum noluntatis, ideò quòd contineat casum impotentiæ. Aut contrà, non continere casum impotentiæ, quia contineat casum noluntatis; contra quàm scriptum sit *in l. 3. C. de hered. instit.* & aliis locis quamplurimis. Aut posthumi institutionem purè factam neutro casu expresso, siue illo, [*si me vivo nascetur:*] siue illo, [*si me mortuo,*] continere non posse vnum ex his casibus, ob id quod alterum contineat. Contra *l. commodissimè. 10. de liber. & posthum.* Nam imò verò vtrumque casum suprà dicta verba continent, quia sunt generalia, nec ad alterutrum casum restricta.

potest verificari in casu impotentiæ, non eo minùs continet casū noluntatis, & contrà.

Applicatio *l. cōmodissimè. 10. D. de liber. & posthum.*

DENIQVE verba illa, [*Si contingat liberos masculos Theodori decedere sine masculis,*] non alium sensum habere possunt, quàm vt hunc quoque casum comprehendant, *Si contingat vltimum masculum ex linea Theodori decedere.* Quod sanè tum contingere necesse est, cùm masculus vltimi gradus, non primi, decederet sine masculis.

Quem sensum habeant verba illa pacti dotalis, *si contingat liberos masculos Theodori decedere sine masculis.*

ADDO aliam rationem sumptam ex eo, quod verba illa: [*Vel eius liberos masculos ex legitimo matrimonio procreatos,*] sic necessariò accipienda sunt, ac si scriptū esset: [*Vel eius liberos masculos omnes,*] non solùm quod indefinita æquipolleat vniuersali, *l. si plures. 98. de leg. 3.* sed etiam, quia sequeretur alioquin, mortuo vno ex pluribus masculis Theodori, successuram fuisse Violandam etiam aliis masculis superstitibus: quod apertè esset absurdum, & contra mentem Theodori, qui præterea eo casu prouidere debuisset dictis masculis, sicuti prouidit filiabus. Atqui si adiecta

Alia ratio sumpta ex verbis illis pacti dotalis, *Vel eius liberos masculos ex legitimo matrimonio procreatos.*

fuisset

Dictio, *omnes*, cùm sit vniuersaliter collectiua, comprehẽdit omniũ graduum personas.

fuisset dictio illa vniuersaliter collectiua, [*Omnes*,] nemo dubitaret quin omnes masculi non vnius tantùm, & primi gradus, sed omnium graduum continerentur: Idem ergo & in proposito casu dicendum est, iuncta præsertim dictione illa collectiua omnium personarum, [*Omnes*,] cum alio vniuersali verbo collectiuo omnium temporum, [*quoquo tempore*,] de quo suprà diximus.

Alia aduersariorum interpretatio longè absurdior, vt pactum dotale non de aliis liberis Theodori debeat intelligi, quàm qui iam tùm nati erant.

QVOD autem aduersarij rursum tentant, Pactum illud dotale, cùm de Theodori liberis loquitur, non de aliis intelligi debere, quàm qui iam tùm nati essent, propter adiectum participium, [*procreatos*,] quod est præteriti temporis, tam absurdum est, vt dicere pudeat. Nam vt maximè verum esset, quod ijdem adfirmant, & nos non negamus, iam tum fuisse natum & superstitem Ioannem Theodori filium, quem legimus duxisse vxorem anno *1337*. Illud tamen æquè certò constat, nullos eo tempore fuisse liberos Ioanni, qui nõdum vxorem duxerat. Ac proinde non poterat non existere condicio illa concepta in personis masculorum Theodori, iis verbis: [*Vel eius liberos masculos ex legitimo matrimonio procreatos decedere, quoquo tempore, absque liberis masculis ex suis corporibus, & legitimis matrimoniis procreatis.*] Repetitum enim est, vt apparet, participium, [*procreatis*,] in liberis masculorum Theodori, ad extinguendam condicionem in ipsorum masculorum persona adscriptam, quẽadmodum in condicione adscripta ipsi Theodoro. Ac proinde vtrumque determinabile debet æqualiter &

Quando in eadem clausula sunt plura de-

vni

vniformiter determinare: nec minùs intelligi de liberis masculis Ioannis iam procreatis, quàm de liberis primi gradus Theodori, ex vulg. regula determinationis vniformis, de qua *in d.l.iam hoc iure.4. de vulg. & pupill. substit.* Atqui iuxta hunc sensum iam tum extitisset, & impleta fuisset in fauorem Violandæ condicio alternatiua, quod ad secundam ipsius partem: quia certum erat Ioannem neque tunc habere, neque postea vnquam habere posse filios, qui iam eo tempore nati & procreati essẽt ex legitimo matrimonio, cùm nõdum matrimonium contraxisset. Debuisset igitur iam inde ab eo tempore admitti Violanda ad Marchionatum etiam viuo adhuc Theodoro, adeóque quamuis ille masculum haberet iam natum: Quia in alternatiuis condicionibus sufficit vnam partem impletam esse, *l. hæc scriptura.26. l. cùm pupillus.73. §. 1. D.de condic. & demonstr. l. si heredi plures. 5. D. de condic. instit.* Nec rursus expectandum est, vt condicio iam semel impleta, iterum impleatur, aut deficiat; quia condicio, quæ semel impleta est, neque iterum impleri, neque deficere vnquam potest, sicut nec ea quæ semel defecit, *l. hæc condicio. 10. D. de condic. & demonstr.* Imò verò neque expectatur condicio, cuius euentus nihil operari potest, quamuis nec impleta sit adhuc, nec defecerit, *l. si quis ita scripserit.33. D. de hered. instit.* vbi est textus elegans. Et consequenter habenda est dispositio pro pura, cuius condicio alternatiua iam pro vna parte est impleta, *l. potior.11. D. qui potior. in pignor. hab. l. vlt. §. 1. D. de vulgar. & pupill. substit.* Adeóque, si verum amamus, nunquam fuit condicionalis dispositio; quamuis habuerit figuram condicionis, si relata fuerit condicio ad tempus

terminabilia, debent vniformiter determinari.

In alternatiuis condicionibus sufficit alteruttram partem impletam esse.

Condicio non expectatur, cuius euentus nihil operatur.

Condicio collata in tempus præsens, vel præteritum nõ habet vim cõ-

dicionis, neque suspendit.

præteritum, aut ad præsens, nec si contrahentes ignorauerint iam impletam esse: quia condicionis vim, & potestatem non aliter obtinere potest, quàm si in futurum tempus conferatur, *l. cùm in præsens. 37. cum duab. seqq. D. de reb. credit.* Quanto magis in proposito, in quo sciebant contrahentes & Theodorum habere iam natum filium, scilicet Ioannem: & rursum Ioannem, qui nondum vxorem duxerat, filium nullum habere, saltem ex legitimo matrimonio procreatum? Ergo iam inde ab eo die pacti, si ea mens contrahentium fuisset, quam aduersarii comminiscuntur, admitti ad Marchionatum Violanda debuisset, tanquam ex causa dotis purè constitutæ: & fuisset Marchionatus in dotem purè constitutus. Quod tamen quàm ridiculum sit dicere, nemo non videt, cùm apertè expresserint contrahentes, non fuisse datum in dotem Marchionatum, nisi sub condicione: & implicare contradictionem, vt datus fuerit, & purè & sub condicione simul, *l. si Titius. 16. D. de condic. instit.* Ergo & absurdius illud est, ex quo tantum absurdum sequitur.

6. Quàm graue absurdum sequatur ex aduersariorum interpretatione.

Alia replicatio aduersariorũ.

NEC replicari potest, ideò non potuisse admitti Violanda, viuis Theodoro & Ioanne, etiam supposita aduersariorum interpretatione: quia poterat & ipsa mori ante Theodorum & Ioannem, *ex l. Statius Florus. 48. §. Cornelio Felici, D. de iur. fisc.* Tunc enim ratio illa bona est, cùm agitur de commodo captando ex vltima voluntate condicionali, vt *in d. §. Cornelio.* At hic posuimus & probauimus nullam condicionem fuisse in persona Ioannis, quem constabat iam tunc nec masculos vllos habere ex legitimo matrimonio tunc procreatos;

Responsio.

creatos ; neque habere vnquam posse. In persona verò Theodori licèt poterat condicio deficere, si superstitem Ioannem reliquisset, vt reliquit: nihil tamen poterat nocere Violandæ, quod condicionis alternatiuæ pars vna defeciſſet, si alia extitisset, vt ostendimus : & probatur eleganter *ex d. l. Gallus.§. videndum*, in postremis illis verbis: [*Nisi quòd,licèt audenter,possis dicere viuo patre hunc suum heredem esse desiisse, licèt post mortem decedat,quia nec rediit,nec redire potest,*]*de liber.& posthum.*

Applicatio *l. Gallus. 29. §. videndum,D.de liber.& posth.*

PRÆTEREA contrahentes nostros iam eam condicionem adscripserunt, nihil minùs quàm de liberis iam tum ex Theodoro, aut ex Ioanne procreatis cogitasse, ex eo quoque apparet euidentiùs, quòd in eo instrumento dotali pactum aliud inuenitur, quo conuenit,vt iura omnia quæ habebat,& habere prætendebat Aymo Comes Sabaudiæ in dictis tribus castris & locis purè in dotem datis, Ciriaci, Lancei, & Casellarum, pertinerent ad communes eorum liberos masculos, si contingeret Violandam prædecedere, superstitibus liberis masculis ex eo matrimonio procreatis. Nam & in hoc pacto, secundùm aduersariorum rationem dicendum esset propter adiectum participium, [*procreatis,*] quod est præteriti temporis, debere conuentionem intelligi de liberis, qui iam tùm procreati fuissent ex legitimo matrimonio. Quod tamen non solùm esset absurdissimum, sed etiam implicaret manifestam contradictionem.Quomodo enim potuissent liberos habere iam natos ex eo ipso matrimonio,quod nondum contractum fuisset, ac de quo tum primùm contrahendo tractabatur?

Alia cõfutatio interpretationis aduersariorum , ex alio pacto dotali apposito in eodem contractu, in quo vsurpata est eadem dictio, *procreatis.*

Idem participium præteriti temporis vsurpatũ est in secundo pacto, quod in primo, nec tamen aduersariorũ interpretationẽ pati potest.

Vna pars instrumenti per aliam declaratur.

ERGO vt pars vna instrumenti per aliam declaretur, quomodo fieri solet & debet siue in contractibus, siue in legibus, siue in vltimis voluntatibus, *l. Titia. 134. §. idem respondit. 2. de verb. oblig. l. vtrum autem. 23. D. de hered. petit. l. qui filiabus. de leg. 1. l. quæsitum. 12. §. antep. de instr. & instrum. legat.* fatendum est vtroque loco dixisse Notarium [*procreatos,*] pro eo quod pluribus verbis solent prudétes nostri dicere, [*qui procreati erunt,*] vt *in l. Lucius. 85. D. de hered. instit.* [*Si filius natus, natáve erit.*] Est enim participium hoc, quamuis præteriti temporis, tamen aptum coniungi verbo futuri, eo modo quo diximus: quæque etiamsi non sit expressum verbum futuri temporis; quia tamen suppleri ac subintelligi potest, plerumque, & passim accipitur nomen illud non tantùm à Notariis, sed etiam à Grammaticis, pro participio futuri temporis; vt parùm interest, an scribãt, [*procreatos,*] an [*procreandos.*] Nimirum secundùm subiectam materiam, id est, cùm positum est participium, [*procreatos,*] in dispositione, quæ in cæteris omnibus respiciat tempus futurum, qualis hæc est de qua disputamus. Non ob id solùm quòd sit conditionalis, tanquam concepta per articulum [*si,*] *l. cùm ab eo. 41. D. de contr. empt.* Condicio autem verè nulla est, nisi cùm in futurum tempus confertur, *d. l. cùm in præsens. 37. & duab. seqq. D. de reb. credit. l. condicio. 100. de verb. oblig.* Bart. *ad l. 1. de condic. & demonstr.* Sed etiam quia verba penè omnia condicionis hunc sensum habẽt: Quale illud est, [*si contingeret.*] Item verbum [*liberorum.*] Item verbum [*decedere,*] quod est infinitiui modi. Item illa, [*quoquo tempore.*] Item illa, [*absq; liberis masculis.*] Item illa, [*ex legitimis matrimoniis:*] cùm eo tempore vnum duntaxat fuisset matrimonium

Verus sensus dictionis, *procreatos.*

Participiũ præteriti tẽporis, iunctum verbo futuri, habet futuri temporis significationem.

Faciẽda est alia atque alia interpretatio, secundùm subiectam materiã.

Cætera verba omnia huius cõdicionis respiciunt futurũ.

Theodo

Theodori, ex quo ſuſceptus erat Ioannes. Bart. *ad d. l. 1. n. 34. de cond. & demon.* per textum *in l. ſolemus. 9. eod. tit.* Vbi dicitur, quod ad rem noſtram valdè pertinet, Condicionem, quæ de liberis loquitur, ad naſcituros potiùs, quàm ad iam natos referri debere: tãtum abeſt, vt verum ſit quod aduerſarij volunt, hanc, de qua agimus, reſtringi debere ad liberos iam tum natos. Idem Bart. poſt Gloſ. *in l. 5. §. ſtipulatio autem, de verb. oblig.* Alex. *conſ. 28. num. 5. lib. 1. l. ſi ſtipulatus. 76. in princ. & §. 1. ſi à colono. 79. l. quicquid. 99. §. 1. l. ſi quis ſtipulatus. tit. 112.* & ibi Bart. *D. de verb. oblig.* Adferunt noſtri textum *in l. talis. 30. §. vlt. de legat. 1. l. ſi ita quis. 51. de leg. 2. tutoribus. pen. D. de teſtam. tutel.*

Applicatio *l. ſolemus. 9. D. de condic. & demonſtr.*

Cõdicio, quæ de liberis loquitur, ad naſcituros magis refertur, quàm ad iam natos.

QVARE non poteſt obſtare, quod proferunt aduerſarij ex eodem Bart. in *l. ſi ita. D. de aur. & argent. legat.* Verbum, [poteſt,] licèt ſit extenſiuum etiam ad futurum tempus; reſtringi tamen ad præſens, tùm quoque cùm adiunctũ eſt verbo infinitiui modi. Tractat enim Bart. eum caſum, quo diſpoſitio concepta ſit per verba denotantia præſens tantùm tempus. In caſu autem noſtro ex natura ipſa diſpoſitionis, & diſpoſitio, & verba eius omnia conferuntur in tempus futurum, ſcilicet in caſum quo Theodorum tunc viuentem, & eius liberos maſculos etiam nondum natos, contingeret decedere quoquo tempore ſine maſculis, qui ex legitimis matrimoniis nondum contractis procreati forent. Alioqui pugnaret ſententia Bartoli cum *d. l. ſi ita quis. 51. de leg. 2.* Et, vt benè priores noſtri Scriptores obſeruarunt, cùm Bart. ait, in ſpecie, quã ibi tractat, verbum, [poſſunt,] non referri ad res, ſed ad actum reperiendi: quia teſta-

Obiectio aduerſariorũ, ex doctrina Bart. *ad l. ſi ita. D. de aur. & argent. legat.* de verbo, *poteſt.*

Reſponſio & declaratio ad Bartolum.

Diuerſitas & ratio diuerſitatis inter caſum, quem tractat Bartolus *ad d. l. ſi ita.* & caſum noſtrũ.

tor ita dixerat, [*Lego res meas omnes, quæ sunt, & reperiri possunt Perusij:*] deinde cùm superuixisset, alias res multas acquisiuerat, Bene dicit: Quia testator legauerat tantùm eas res quæ tùm extabant, & quæ poterant reperiri. Sed ex hoc non negat, quin respiciat res tùm existentes; quia fieri non potest, quin si refertur ad actum reperiendi, referatur etiam ad res quæ postea reperiantur. Sed negat tantum Bart. referri ad res alias acquisitas per testatorem post testamentum. At diuersum est, inquiũt, in casu nostro, quia verbum, [contingeret,] refertur ad actum decessus in futurum, nõ solùm Theodori, sed etiam liberorum eius masculorum: nec tantùm natorum; sed etiam nascturorum. Nec sanè dici quicquam potuit aut apertius, aut melius, vt appareat, quàm malè aduersarij supradicta Bartoli traditione, vt sententiam suam muniant adeò improbabilem, abutantur.

Verbum, *cõtingeret*, in casu nostro, non nisi ad futurum tempus referri potest.

QVANTA verò, Deus bone! ac quàm multa sunt absurda, quibus aduersariorum ista interpretatio redundat, quæ pactum Theodori restringit ad masculos, & primi gradus, & iam natos tempore pacti. Placet hîc repetere, quæ ante nos nostri hanc in rem congesserunt; sed alia pleraque tamen addere nondum obseruata.

Absurda quãplurima, quæ suprà dictam & cõfutatam aduersariorũ interpretationẽ consequuntur.

PRIMVM est, quòd si Ioannes filius vnicus Theodori decessisset viuo Theodoro, & filium tamen aliquem reliquisset, dicendum esset, secundùm aduersariorum opinionem, quòd Violandæ post mortẽ Theodori succedere potuisset; quia verum fuisset pacti condicionem extitisse, & Theodorum sine liberis masculis primi

Absurdum primum, ex suppositione si Ioannes decessisset viuo Theodoro patre; & filiũ tamen aliquem superstitem reliquisset.

primi gradus,iam tempore pacti natis,decessisse.Quod tamen quis vnquam admitteret?Nec respõdeant, Fore hoc casu, vt nepos ille subintraret locũ filij & primum gradum: quia licet præmortuo filio nepos subintret locum & gradum ipsius; non ideo tamen fit filius: nec proinde conuenit illi dispositio pacti,quod loquitur de filiis,& quidem propriè sumptis, vt illi interpretantur, & in primo gradu constitutis.Fitque hæc,vt ita dicam, subintratio per fictionem quamdam repræsentationis, *ff.cùm filius, Inst. de hered.quæ ab intest.defer.* In condicionibus autem quoniam facti sunt, veritas naturæ attendi debet, non fictio & potestas iuri[illegible] *l. qui heredi 44. l. Mæuius.55.l.fideicommissum.76.D.de condic.& demonstr.* At neque prodesset quicquam ex nepote effici filium, si non fuerat etiam iam natus tẽpore pacti, quod tamen neque per repræsentationem,neque per aliam vllam fictionem fieri potest:quia ad ea quæ sunt facti non extenduntur iuris fictiones,*valg.l.denique.19. D. ex quibus caus.maior.l.in bello.12.ff.facti,de capt.& postlim.*

Nepos subintrans locum & gradũ filij,non ideo tamen fit filius.

Verba condicionum naturaliter & propriè sunt intelligenda,non fictè & ciuiliter.

Nepos subintrans locum & gradũ filij, non ideo fingitur natus eo tempore, quo filius, idemque pater.

SECVNDVM absurdum est, quod si eadem specie retenta decessisset nepos Theodori ex Ioanne premortuo, nullis superstitibus masculis, sequeretur,quòd exclusa fuisset Violanda à successione nepotis: quoniam æquè verum fuisset dicere,condicionem pacti hoc casu defeciisse:quandoquidem nõ decessisset masculus primi gradus sine liberis masculis,sed masculus tãtùm secundi gradus:qui casus non esset pacto comprehensus.Ita fieret, vt Violanda, quam Theodorus voluerat præferri filiabus Ioannis, postponeretur heredi cuilibet, quantumuis extraneo nepotis remotioris. An non verò esset hoc absurdissimum, vt melioris condicionis esset nepos

Secundum absurdum ex suppositione,si eadem specie retenta nepos Theodori ex Ioãne præmortuo, nullis superstitib⁹ masculis, decessisset.

Non deberet melioris esse cõdicionis ne-

pos minùs dilectus,quàm filius, nec deterioris conditionis Violanda filia Theodori,quàm extraneus heres quilibet.

pos minùs dilectus, quàm filius;& deterioris condicionis Violanda, cui per huiuſmodi pactum proſpicere pater voluiſſet, quàm extraneus heres quilibet nepotis, ſiue teſtamentarius, ſiue legitimus, puta mater, quæ non potuiſſet non eſſe ex aliena familia? *l.3.C.de bon. matern.l.Publius.36.§.1.de condic. & demonſtr.*

Tertium abſurdum ex alia ſuppoſitione, in qua poſtponeretur Violãda neptibus Theodori, qui tamẽ eam propriis filiabus ſuis cęteris prælatam volunt.

HVIC abſurdo proximum eſt tertium illud, quod noſtri adferunt, ſi fingas Ioannem patri ſuo Theodoro prædefunctum, relictis filio & filia: Deinde filium deceſſiſſe ſuperſtite ſorore, ac Violanda amita: Quis ferat potuiſſe & debuiſſe ſororem ſuccedere, excluſa amita? Cùm voluerit Theodorus alias quoque filias ſuas excludere,vt eã præferret Violandam in Marchionatu? Quanto igitur magis eam præferre voluit neptibus? *d.l.3.C.de bon. matern.d.l.Publius.§.1.de condic.& demonſtr. l.heredes mei.57.§.vlt.D.ad S.C.Trebell.*

Quartum abſurdum ex alia ſuppoſitione,in qua potuiſſet Imperator ſuccedere in hoc feudo,etiam viua & ſuperſtite Violanda.

QVARTVM eſt, quod ſi fingamus Theodorum præter Violandam aliam filiam ſuſcepiſſe, & Ioannem prædeceſſiſſe relictis filiabus, & nepote, qui deindę nullis relictis liberis deceſſiſſet, ſequetur ex aduerſariorum interpretatione, quòd neque illo caſu potuiſſet Violanda ſuccedere ex pacto, tanquam excluſa per pactum ipſum reſtrictum, ſi Diis placet,ad maſculos primi gradus, & iam natos tempore pacti: in quorum numero certè hic nepos non fuit. At nec tamen alia filia, eadémque ſoror Violandæ poſſet ſuccedere, tanquam ſemel à feudo excluſa per nepotem, & quæ per conſequens excluſa manere in perpetuum deberet, *ex §.quinetiam,tit.Epiſco.vel Abbat.* Quid ergo fuiſſet? Succedere nimirum in hoc feudo Imperatorem oportuiſſet, atque ita præferri Violandæ, cui tamen vel ob hoc

Pactum dotale, de quo agimus, vel ob hoc ipſum fuit in-

ipſum

ipſum prouidere pater voluerat, vt ſi maſculi deficerent, feudum ad eam perueniret, nec ad Imperatorem deuolueretur. Cùm igitur de Theodori potiſſimùm mente quæramus, nec tantùm de Theodori; ſed etiam de Comitis Aymonis voluntate, quis credat eam fuiſſe contrahentium mentem, vt ad primi maſculi mortem, qui nullos reliquiſſet liberos, ſed ſuperſtitem tamen Violandam ipſam, feudum aperiretur Imperatori, & non ſolùm Violandæ, ſed etiam alij filiæ Theodori eriperetur?

terpoſitum, ne Marchionatus ad Imperatorē deuolueretur, quandiu Violãda, vel aliquis ex ea maſculus ſupereſſet.

QVINTVM abſurdum eſt, quod Theodorus poſt pactũ hoc dotale initum, alios maſculos ſuſ[illegible]ſet, ante quos defunctus fuiſſet Ioannes, nullis relictis liberis; dicẽdum fuiſſet admittendã Violandã ad excluſionem fratrum quantumlibet maſculorũ: quia tametſi fuiſſent illi maſculi primi gradus; non tamen fuiſſent iam nati tempore pacti; ac proinde non potuiſſent impedire, quominùs pacti condicio in fauorem Violandę extitiſſet. Cúmque in poteſtate Theodori fuiſſet de Marchionatu diſponere, etiam in præiudicium maſculorum, ex licentia ei data ab Imper. Henrico VII. etiam antea ipſius prædeceſſoribus Marchionibus Saxonicis ab Ottone, excluſi manſiſſent maſculi, & antepoſita ijs Violanda: quam tamen maſculis omnibus ſuis poſtponere, & ſolis filiabus ſuis, aut liberorum ſuorum maſculorum præferre voluiſſet. Neque ſanè abſurdius quicquam dici poſſe arbitramur.

Quintum abſurdum, ex alia ſuppoſitione, in qua fuiſſet Violanda prælata fratribus ſuis maſculis, quos Theodor⁹ poſt pactum dotale ſuſcepiſſet.

SEXTVM abſurdum eſt, quod licèt Theodoro decedenti ſuperſtes fuerit Ioannes filius primi gradus, & Ioanni filio plures maſculi: (ſic enim ex pacto accidit;) non eo minùs tamen verum fuit, deceſſiſſe Ioan-

Sextum abſurdũ, ex eo quod accidit Ioannẽ decedere ſine maſculis, qui iam pacti tempore fuerint procreati.

nem ſine maſculis, iam tempore pacti procreatis, & conſequenter pacti condicionem extitiſſe, non quidem in perſona Theodori, ſed in perſona Ioannis. Quod ſufficit ad implendam ſecundam partem condicionis conceptæ in perſonis maſculorum primi gradus: cùm condicio fuerit alternatiua, vt diximus. Nam, quemadmodum aduerſarij volunt, prima illa verba condicionis: [*Si contingeret dictum D. Theodorum, vel eius liberos maſculos ex legitimo matrimonio procreatos,*] intelligi de ijs ſolis liberis maſculis, qui iam pacti tempore nati fuiſſent. Ita [illegible]reantur neceſſe eſt, verba ſequentia, [*deque liberis maſculis ex legitimis matrimoniis procreatis,*] de iis quoque maſculis intelligi debere, qui iam tùm eſſent procreati. Cur enim idem participium præteriti temporis vtroque loco vſurpatum, & in eadem parte clauſulæ, aliam atque aliam recipiet interpretationem? Atqui certiſſimum eſt, Ioannem pacti tempore, licèt in rerum natura eſſet; nullos tamen adhuc eo tempore maſculos habuiſſe, cùm vxorem duxerit anno tantùm *1337*. Non ergo potuerunt facere liberi maſculi ab eo poſteà ſuſcepti, vt deficeret condicio, ſub qua fuerat vocata Violanda, ſi vera eſt aduerſariorum interpretatio. Imò iam inde ab initio, & à die ipſo pacti, certum fuiſſet condicionem non tam extituram omnino, quàm extitiſſe iam, & impletam eſſe: propterea quòd neque haberet Ioannes, neque habere vnquam poſſet maſculos, qui eo tépore nati fuiſſent; ac proinde ſtatim mortuo Theodoro; imò verò, vt ſuprà probauimus, vltimo inſtanti vitæ ipſius, & conſequenter eo adhuc viuo, ius fuiſſet quæſitum Violandæ habendi totum Marchionatum pleno iure, quaſi impleta iam ſecunda parte con di

Participiũ, *procreatos*, & *procreatis*, repetitũ in pacto dotali, de quo agimus, nõ recipit aliam interpretationẽ in vno loco, quàm in alio.

Ioannes filius Theodori nullos habuit liberos iam natos, tempore pacti dotalis, cũ vxorẽ duxerit anno 1337.

Plus eſt condicionem iã extitiſſe, quàm omnimodò extituram eſſe.

condicionis in persona Ioannis, licèt prima per orbitum Theodori, superstite Ioanne masculo, defeciisset. Iam enim ostendimus, esse hîc duas condiciones alternatiuas: aut potiùs, quod tamen effectu idem est, vnam condicionem habentem duas partes alternatiuas, quarum alterutram impletam fuisse satis erat ad Violandam admittendam, *l. hæc scriptura. 26. D. de condic. & demonstr.* Et tamen neque Violanda ipsa, aut maritus eius Comes Aymo, ita hoc pactũ interpretati sunt, qui Marchionatum nunquam petierunt, nec ipsius successores, quandiu masculus, vel vnus ex linea Paleologa superfuit. Neque Theodorus, qui testamento suo ostenditur cõtrahentes nunquam ita interpretatos esse pactũ hoc dotale, quomodo Mantuani interpretantur. masculos omnes suos instituit heredes in Marchionatu, & substituit eorum liberos, secundùm ordinem primogenituræ, quamuis non ignoraret Ioannem, pacti dotalis tempore, nullos adhuc masculos habuisse: ac proinde condicionem pacti iam extitisse, si ita eam fuerat interpretatus Theodorus, vt aduersarij interpretantur: sed neque aut Ioannes, aut ipsius liberi masculi pactum hoc ita interpretati sunt. Quandoquidem & Ioannes æquè ac Theodorus pater de dicto Marchionatu inter liberos suos disposuit, institutis iis, & substitutis, secundùm voluntatem patris, ex ordine genituræ. Cùm igitur contrahentes ipsi voluntatem suam pacto ipso declarauerint, eámque longè aliam quàm sibi fingant, & comminiscantur aduersarij; cur nos aliam quærimus; & verbis pacti vim facimus, vt contra voluntatem fiat, quod ex voluntate proficiscitur? *l. in ambiguis orationibus. 96. de regul. iur.*

Nihil interest an duæ sint cõdiciones alternatiuæ, an vna tantùm condicio habẽs duas partes alternatiuas.

Nec Ioannes ipse filij Theodori, nec descendẽtes ab eo masculi sic interpretati sunt pactum dotale, quomodo aduersarij interpretantur.

SEPTIMÒ, cætera absurda omnia, quæ nos consecutura diximus, si Ioannes patri fuisset præmortuus,

Absurdum septimum, quòd in persona Ioã-

nis cætera supradicta absurda omnia euenirent, quæ in persona Theodori.

eadem repeti & tractari possunt in eo casu, quo Ioánes patri superuixerit, si circa filios, & filias, & nepotes Ioannis eadem fingamus euenisse, vt euenire potuerunt; licèt non euenerint, quæ finximus circa filios, & filias, & nepotes Theodori; vt appareat quàm multa, & quàm magna absurda ex aduersariorum interpretatione sequantur. Eadem enim vis & potestas condicionis est in persona Theodori, & in personis liberorum eius masculorum, iisdémq; verbis coniunctim concepta, & consequenter eodem penitùs modo interpretanda.

Octauum absurdum, ex eo quod imminuta & tantopere restricta, per aduersariorum interpretationem, potestate pacti dotalis, dos quoq; Violandæ minueretur.

OCTAVVM absurdum est, quod cùm ea pactio sit dotis, vt totiès diximus, nec in alio differat à reliqua dote, nisi quòd reliquæ dotis datio pura fuit: hæc verò totius Marchionatus, non nisi sub condicione; sequeretur, si vera esset aduersariorum interpretatio, quæ pacti condicionem tantopere imminuit, vt faciliùs inferàt eam defecisse, vt ipsa quoq; dos minueretur, quæ in huius vtilitate pacti potissimùm consistit. Atqui absurdum est in dubio capi eam interpretationem, quæ dotem minuat: quia si quid aliquãdo est ambigui cùm tractatur de dotibus, quale hìc certè nihil est, in ambiguis pro dotibus respondere melius est, siue ambiguitas sit facti, siue iuris, *l. in ambiguis. 70. D. de iur. dot.* Fauore scilicet rei & vtilitatis publicæ, *l. si ego. 9. §. si res, l. si mulier. 59. §. ex asse, eod. l. 1. D. solut. matr. l. interest. 18. D. de reb. author. Iud. possid. aliàs l. 3. de priuil. credit.* Idque etiamsi contra tertium agatur, vt Baldus, & post eum alij tractant *ad d. l. in ambiguis.* Quanto igitur magis contra eum ipsum, qui dotem constituit, eiúsve successores, cùm in eius potestate fuerit legem apertiùs dicere? ex reg. *l. veteribus. 39. D. de pact.* Quamquam in proposito non poterat,

In ambiguis respondendum est pro dotib. non ita vt dos minuatur.

Etiamsi contra tertiũ agatur.

Non potuit Theodorus le-

Theo

Theodorus legem apertiùs dicere in fauorem Violandæ, quàm quæ ab eo dicta eſt, vt ſignificaret nolle ſe reſtringere condicionem dotis ad liberos primi gradus iam tùm natos: Cùm & generali verbo vſus ſit, [*liberorum,*] quod comprehendit perſonas omnes deſcendentium, & tot verbis extenſiuis in tempus futurum; præſertim illis, [*quoquo tempore,*] omnia omnino futura tempora continentibus, ratione perſonarum omnium, quæ [liberorum,] appellatione poterant comprehẽdi. Denique cùm tota hæc quæſtio in eo ſolo vertatur, an condicio dationis Marchionatus in dotem extiterit, an defecerit: Dicimus in dubio & ambiguo, ſi quid hîc dubij & ambigui eſſet, præſumendum eſſe non tantùm pro dote, quod ſufficeret; ſed etiam, quod magis eſt, pro euentu & implemento condicionis, per textum *in l. ex facto. 17. §. penult. D. ad S. C. Trebell.* Vbi licèt agatur de fideicommiſſo, quod per ſe odioſum eſt tanquam onus, quod teſtandi & alienandi libertatem conſtringit: cùm tamen quæreretur, an condicio extitiſſet, quæ non poterat exiſtere, niſi filius præmoriente patri grauato de reſtituenda hereditate, ſub illa condicione, [*ſi ſine liberis:*] an verò defeciſſet per filij ſuperuiuentiam, vt loquuntur? Reſpondet Vlpianus in hæc verba: [*Cùm autem quis antè, aut quis poſt deceſſerit non apparet, extitiſſe condicionem, fideicommiſſi magis dicendum eſt.*] Quamuis extra illum caſum præſumptio iuris ſit pro filio, quòd ſuperuixerit patri, ex communi ſcilicet voto parẽtum omniũ, *l. qui duos. 9. §. cùm in bello, D. de reb. dub.* niſi cùm fuit filius impubes, *l. ſi mulier. 23. eod. tit.* aut cùm tractatur de patrono vindicante bona liberti.

gem apertiùs dicere in fauorem Violandæ & liberorum maſculorum, qui ex ea naſcerentur.

Præſumendũ eſt in dubio extitiſſe condicionem dotalis conſtitutionis.

Applicatio *l. ex facto. 17. §. penult. D. ad S. C. Trebell.*

Regulariter præſumptio eſt pro filio, quòd ſuperuixerit patri.

Hoc enim reuerentię patroni debetur, inquit Tryphoninus, *in d.l. qui duos. §. si cum filio, eod.* Nam in fratribus aliud est, licèt alter eorum sit impubes, *l. sed & §. 18. eod. tit.* Cur non ergo filius patri, præsertim ad exclusionem fideicõmissi, quod tam est odiosum quàm est dos fauorabilis? Nimirum quia condiciones ipsæ odiosæ sunt, quòd suspendant, & euentu suo extinguant dispositionem, quæ alioqui ab initio pura fuisset & effectum hodie haberet. Et quemadmodum pura dispositio semper fauorabilis est, ita vt statim executioni mandanda sit, *l. in omnibus obligationibus. 14. de reg. iur.* Ita & ea interpretatio fauorabilior, quæ dispositionem puram facit, siue ab initio, siue ex postfacto per euentum condicionis. Tendit enim euentus & implementum condicionis ad perfectionem & executionem actus: Defectus verò ad annullationem, aut potiùs annihilationem ipsius, quasi nunquam interpositus fuisset, *l. potior. 11. D. qui potior. in pignor. hab. l. vnica. §. sin autem sub condicione, C. de caduc. tollend. l. 1. & pass. D. de condic. & demonstr.* Et rursum fauorabilis est cuiusque rei reditus ad suam naturam, *vulg. l. si vnus. 27. §. pactus, ne peteret, D. de pact. l. filio. 23. de liber. & posthum.* Dispositio autem quælibet sui natura, & ab initio pura est, donec adiiciatur condicio, quæ facit eam ex pura condicionalem. Est ergo fauorabilis extinctio condicionis, vt dispositio rursum fiat pura. Quòd si etiam pro fideicommisso, & cõtra præsumptionem iuris fundatam in naturali ordine mortalitatis, & in communi voto parentum, lex præsupponit in dubio decessisse filium, quamuis iam puberem, ante patrem, vt fideicõmissi condicio dici possit extitisse: Quid credimus responsuros fuisse Prudẽtes illos veteres, si de casu

Fideicommissum tam odiosum est, quàm dos est fauorabilis.

Fauorabilis est interpretatio, quæ condicionalem dispositionem facit puram.

Fauorabilis est cuiusq; rei reditus ad suam naturam.

Fauorabilis est cõdicionis extinctio, per quã condicionalis dispositio, quæ ab initio pura fuit, rursum fit pura.

Circumstantiæ facti, quibus nititur nostra

casu nostro interrogati fuissent, in quo & de dote agitur, re omnium fauorabilissima, cuius causa & publica & pia esse creditur, *d.l.1.solut.matr.& l.cum is.32.§.mulier, D.de condict.indeb.* & pro filia primi gradus nupta tanto Principi, cui non aliter nubere potuisset, ac qui non aliter eam fuerat accepturus pro dote tam exigua, quàm erat illa quæ constituebatur dictæ Violandæ, extra spem Marchionatus aliquando habendi: Ac præterea in verbis tam apertis, nullam penitùs ambiguitatem admittentibus, & contra extraneos successores, quos, tanquam ex fœmina Margareta descendentes, excludos Theodorus voluit à spe Marchionatus, quandiu vel Violanda, vel aliquis ex eius successoribus supereſſet?

interpretatio circa pactum dotale, de quo tractamus, & per quas aduersariorum interpretatio cõcinitur.

NONVM absurdum est, quod aduersariorum interpretatio meliorem facit condicionem masculorum remotiorum, quàm proximiorum. Volunt enim masculos secundi, aut tertij gradus extra condicionis aleam positos esse, vt nihil ipsis nocere posset, quod sine masculis morerentur: cùm tamen Theodorus ipse, aut eius masculi primi gradus morientes sine masculis, vtique Violandæ, eiusque successoribus tanquam ex pacto vocatis viam aperuissent ad Marchionatum obtinendum. Quis verò credat Theodorum tam amentem & inconsideratum fuisse, vt de Marchionatu testandi, & inter viuos disponendi libertatem sibi per pactum præripere voluerit, & Ioanni quoque filio suo primi gradus, iam tùm nato, cognito, & amato, quem fortunarum suarum & dignitatum successorem destinabat, in eum scilicet casum, quo vel ipse Theodorus, vel Ioannes sine masculis moreretur, relictis licèt filiabus; Ioanni autem Georgio quinti à Theodoro gradus nondum nato,

Nonum absurdũ, ex eo quòd aduersariorum interpretatio meliorem facit condicionem masculorũ remotiorum, quã proximiorum.

Non est verisimile Theodorum meliorem facere voluisse cõdicionem masculorũ quinti gradus, quàm vel suam propriã, vel filij sui.

nato, nec proinde vel cognito, vel amato, eandem & testandi,& alienandi libertatem saluam relinquere voluisse:tametsi non modò sine masculis, sed & sine filiabus moreretur?Imò, si verum amamus,nec de hoc quę-

Ioannes Georgius vltimus masculus ex linea Palcologa de Marchionatu non disposuit, neque inter viuos, neq; in vltima voluntate.

rimus, an Io. Georgius vltimus masculus sine liberis moriens,de Marchionatu disponere potuerit, cùm neque inter viuos, neque in vltima volũtate de eo dispo-

[redacted]

suerit: Sed, quod magis mirum videri debeat, an Margareta iam bis à Marchionatus successione excluſa per vltimum masculum,neque ab vltimo masculo vocata, adeoq; ne per ipsum dotale, de quo agimus, excluſa magis;admitti tamen debeat in præiudicium Violandę ad Marchionatus successionẽ, ad quam nec ipsa Theo-

Non debet esse deterior cõdicio Violandæ, moriẽtibus posteriorum graduũ masculis, quàm si Theodorus, aut primi gradus masculus sine masculis decessisset.

dori filia, si qua præter Violandam esset,ac viueret,admitti hodie tamen posset? Quid verò est quod deteriorem facere debuit Violandę condicionem,vt minùs iuris habere debeat morientibus posteriorum graduum masculis, quàm habitura esset, si Theodorus ipse, aut primi gradus masculus sine masculis decessisset?Dicent fortasse, Theodorum tanquam prudentem patremfamiliàs debuisse cõdicionem illam, sub qua dabat Violandæ Marchionatum in dotem, ad masculos primi gradus restringere, ne alioqui per omnes masculorum gradus in infinitum vagaretur,& perpetuo veluti fideicommisso masculi omnes grauarentur. Verùm, præter id, quod iam dixi, nullum hîc subesse onus fideicommissi,sed dotem sub condicione datam,hoc ipsum est, quod nos absurdum esse contendimus, vt in personis inferiorum graduum noluerit Theodorus inducere vel admittere condicionem, quam in persona sua admisit. Ac cur sibi, & liberis suis masculis primi gradus magis

Obiectio pro aduersariis.

Responsio.

nocere

nocere voluerit, non solùm quàm liberis masculis posteriorum graduum; sed etiam quàm fœminis iam exclusis per masculos, & quæ ab vltimo masculo non fuissent vocatæ? Quid verò tam præter spem Theodoro potuit accidere, quàm vt ille ipse iam tùm habens filium Ioannem adolescentem, & iamiam nuptias ambientem, aut vt Ioannes in florida illa ætate sine masculis moreretur? Quid verò minùs præter spem, quàm quod in omnibus ferè, sed in illustrioribus potissimùm familiis euenisse videmus? si Sabaudicam excipias, quæ vnica singulari priuilegio ac planè diuino beneficio ab annis penè septingentis, primæuam a Beroldo Saxone Aledrami nostri fratre, masculinam familiam felicissimè per masculos in hunc vsque diem, continuata serie, conseruatam gloriari potest, nulla fœminarum interiectione variatam, nullo denique vel patruelibus ipsis in successione loco vnquam aperto? Poterant sanè casus illi duo, in quibus pacti condicionem admittunt aduersarij, esse, aut videri abominabiles. At non illi etiam vt sine masculis morerentur liberi, quarti, aut quinti gradus, id est, vt tandem aliquo tempore fortè post mille annos linea masculina deficeret. Quis enim familiæ suæ in hoc seculo æternitatem sperare debeat, quam nec ferè optare conceditur in tãta rerum humanarum inconstantia & perturbatione? Si ergo prouidit ille Violandæ, & eius successoribus in duos illos casus primos abominabiliores, quidni etiam prouisum voluerit in alios casus & fauorabiliores, & qui faciliùs poterant euenire? Quodnam verò prudentius consilium capere Theodorus poterat, quàm vt sibi primùm prospiceret & suis masculis quorumcunque graduum, data Vio-

Quid Theodorus magis sperare potuerit, quid minùs.

Mirum & singulare à Deo Opt. Max. vni familiæ Sabaudicę concessum beneficium.

Non fuit abominabile præuidere familiã Paleologã, deficiẽtibus masculis, tandem aliquando extinctum iri.

Si Theodorus prouidit in duos casus primos abominabiles; multo magis credendus est disposuisse in alios casus fauorabiliores, & qui faciliùs poterant euenire.

Prudens consiliũ Theodori

benè prospicietis sibi primũ, deinde suis masculis, postremò Violandæ filiæ.

landæ filiæ tam exigua dote, si hanc succedendi spem demas, quam benè olim Sapiens quidam dicebat esse paullò plus quàm nihil: deinde masculis, conseruata ipsis & inter ipsos legitima successione, nullo tum adhuc fideicommisso inter eos facto, vt *in l. vel singulis. 37. de vulg. & pupill. subst.* nec vocata Violanda, nisi in defectum totius lineæ masculinæ à Theodoro ipso descendentis: denique Violandæ filiæ, dato ei in dotem ipso etiam Marchionatu, si lineam masculinam deficere contingeret, exclusis etiam filiabus suis aliis, quas tunc nondum natas, nec cognitas amare minus debuerat, quam Violandam sibi tunc vnicam & nuptui collocandam, exclusis etiam filiabus Ioãnis filij sui, tãquam nec cognitis, & remotioribus. Quídni ergo exclusis etiam filiabus aliorum masculorum posteriorum graduum, quas tanto remotiores fore constabat, quanto longiore gradu distaret masculus ex quo suscipi eas contingeret? Contrà verò, si secundi gradus & sequentium graduum masculis parcere, adeoque filias ipsorum anteponere Violandæ voluisset; sibi verò & filiis primi gradus eam facere iniuriam, quam sequentium graduũ masculis facere noluisset, quis non amentem illam, nulliusque iudicij & consilij voluntatem dixisset? Cur ergo de tanto Principe, quantus is Theodorus fuit, tam malè suspicari volumus, vt stultam facere voluerit conuentionem, qualem alius nemo sanus vnquam fecerit, aut facturus sit; ac non potiùs tam benè vt prudens consilium pro se, & pro liberis, ex paterno affectu capere voluisse existimetur? Voluntates siquidem defunctorum coniicere & æstimare debemus ex desideriis viuentium, & desideria morientium ex arbitrio

Qui suas & proximiorum masculorũ filias excludit, multo magis remotiores excludere creditur.

Aduersariorũ interpretatio facit stultã & ineptam Theodori dispositionem.

Nemo præsumẽdus est stultam & insanam cõuentionem facere voluisse: omnium verò minimè Princeps.

viuorum

viuorum, *l.quoniam.4. C. de natur.liber.* De quolibet autem defuncto præsumere, quantùm fieri probabiliter potest, quòd prudens consilium acceperit, *l. Lucius.85.* ibi: *Prudens consilium testãtis animaduertitur, de hered.instit.* maximè verò Princeps, idemque pater, *l.vlt.C.de impub. & aliis substit.l.omnium.19.C.de testam.*

Bene præsumẽdum est de cõsilio cuiuslibet defuncti, sed maximè si fuerit Princeps, & pater.

SED & cùm Theodorus dotem purè dedit Aymoni Comiti nomine Violandæ filiæ in castris Lancei, Ciriaci, & Casellarum: quæro, an non in iis bonis quæ erant de Marchionatu, voluerit Marchionatum diminuere, etiam in præiudicium masculorum tertij, quarti, & quinti gradus? Nemo certè negauerit, cùm dominium, quod semel ab aliquo abscessit, nõ nisi ex noua causa discedere possit ab eo, cui semel quæsitum fuit, aut ad eum redire à quo semel abscesserit, *l. si quis vi.17.ff.differentia, D. de acquir. possess. d.l.si ego. 9. ff. si res, D. de iur.dot.* Quidni ergo dicemus, eandem Theodori mentem fuisse in constituenda dote condicionali, vt etiam iis masculis euentus condicionis noceret, qui tertio, aut quarto, aut etiam remotiore gradu essent? Cur non enim liceat nobis argumentari à dote pura, ad condicionalem, & ex partis qualitate præsumere qualitatem totius? ex traditis per Nicol. Boer. *quæst.51.nu. 15.* Quamquam nec nocebat masculis ea condicio, quandiu extarent, nisi hactenus, vt si quandoque lineam masculinam deficere contingeret, Marchionatus ad Violandam, eiúsque successores totus recurreret. In quo nihil intererat masculorum, qui quandiu vixissent Marchionatum illum liberè possedissent. Filiarum duntaxat ipsorum intererat, si quas reliquissent:

Aliud pro nobis argumentũ ex dote, quam Theodorus purè dedit Aymoni Comiti in castris Lancei, Ciriaci, & Casellarum.

Dominium, quod alicui semel acquisitum est, non potest ab eo inuito, sine causa discedere.

Valet argumẽtum à dote pura ad condicionalẽ, & ex partis qualitate præsumitur qualitas totius.

aut extraneorum heredum, si quos instituissent, aut ab intestato habuissent. Sed quídni nocere potuit Theodorus proneptibus & abneptibus, qui propriis filiis non pepercisset? Quídni extraneis multo magis, qui nec sibi ipsi: Nam si absque masculis decessisset, præmortuo fortassis Ioanne sine masculis, iam diximus & verissimum est, quòd vltimo instanti vitæ ipsius impleta condicione, & consequenter eo adhuc viuo, Marchionatus ex pacto acquisitus fuisset Violandæ: ac proinde viuus Theodorus eum amisisset, nec ad hereditatem, aut ad heredem suum trãsmittere dominium potuisset; sed solùm possessionem. Datio enim dotis titulus habilis est ad trãsferendum dominium, vt diximus toties *ex d.l.1.D.de iure dotium, l. in rebus. 30. C. eod.* adeóque interdum ipso iure, vt *in d.l. si ego. §. si res, D. eod.* Quòd si pro dote etiam restituenda, quæ minùs fauorabilis est, habet mulier vindicationem, soluto matrimonio, *d.l. in rebus. 30. C. de iur. dot.* quanto magis habere debet pro dote constituta, quam omnes fatentur esse multo fauorabiliorem, per quam scilicet fit non tantùm vt dotata sit mulier; sed etiam vt matrimonium contrahatur, ad replendam liberis hominibus ciuitatem, quod alioqui minimè contraheretur? Nec quod necessaria sit traditio ad transferendum dominium dotis ad rem facit: quoniam id obtinet in persona mariti, qui vtique non aliter fieri potest dominus dotis, quàm si res ei tradita sit: sed in persona mulieris facilius est, vt dos ei acquiratur, nec tantùm actio de dote, sed etiam dominium dotis; præsertim quæ à Principe supremo facta sit, cuius voluntas sit pro lege, *l. 1. D. de constit. Princ. d.l. omnium. 19. C. de testam. l. donationes. 26. C. de donat. int. vir. & vxor.* Vbi textus est omnium

Negari nõ potest quin Theodorus, & proneptibus, & abneptibus suis nocere & potuerit, & voluerit, qui nec propriis filiis, nec sibi ipsi pepercit.

Casus in quo dominiũ Marchionatus potuit acquiri Violandæ, etiã viuo adhuc Theodoro.

Fauorabilior est dos constituta & debita, quàm restituẽda.

Applicatio, *l. donationes. 26. C. de donat. int. vir. & vxor.*

apertiſſimus & accommodatiſſimus in illis verbis:[*Vtpote Imperialibus contractibus legis vicem obtinentibus, minimèq; opitulatione quadam extrinſecus egentibus.*]facit *l.cùm multa. 7. C. de bon. quæ liber. l. vlt. ad fin. C. de quadr. præſcript.* Quæ leges licèt loquantur de Imperatore, tamen habent etiam locum in Sereniſſimo quolibet ſupremo Principe, qui habeat iura Imperij in ſuo territorio, & legis cõdendæ poteſtatem, qualem habuit olim Theodorus, tanquam ſucceſſor Alèdrami, ex ampliſſimis illis verbis conceſſionis Ottonianæ: [*Vt ſicut hucuſque iuri regni noſtri & dominio ſubditi ſunt: ita amodò in anteà prædicti Aledrami dominio ſubdantur, & in eius ius delegentur, & omnia transfundantur.*] Dictio enim illa, [*Sicut,*] omnimodam ſimilitudinem denotat in omnibus & per omnia, vt tradunt DD. *ex l.ſicut. C. de oblig. & act. l.ſicut. C. de repud. vel abſtin.hered.* Socin.Iun. *int. conſilia Mantuæ, conſ.7. num.50. & in cap. vlt. extr. de reſtit. ſpoliat.* vbi etiam Ant. de Butr. Lex porrò transferre poteſt dominium ſine vlla traditione, *l. 1. & 2. de Public. in rem act.* Et apud Vlp. Lex, vnus eſt ex modis ſex transferendi dominium, etiã iure Quiritium, à traditione diſtinctus, *tit.19. de acquiſ. rer. in fragm.* Ergo & Princeps: Dec. *conſ.187. num.4.* poſt Bart. Ang. & Alex. per eum citatos. Quod ſi etiam in donatione id obtinet, quæ mera liberalitas eſt; quanto magis habebit locum in dote, quæ eſt fauorabilior, & quam pater, etiam Imperator ex neceſſitate officij paterni, conſtituere filiæ cogitur, *l. vlt. C. de dot. promiſſ.* Nam & ſupradicta *l.26.* non tantùm de donationibus loquitur; ſed generaliter de contractibus omnibus Im-

Dictio, *ſicut,* omnimodam ſimilitudinem denotat.

Lex poteſt transferre dominiũ ſine traditione, & conſequẽter Princeps.

Maximè verò fauore dotis.

Etiam priuatus constituere dotem potest nuda pollicitatione.

perialibus: præsertim cùm etiam in aliis personis ex nuda quoque pollicitatione dos constitui vtiliter possit, ex Theodosij constitutione, quam suprà retulimus, *in l. ad exactionem. 6. eod. tit.* Adde quod Interpretibus nostris placet, vt dominium saltem vtile transferatur ex actu condicionali, per solum euentum condicionis, etiam sine traditione, *arg. l. quoties. 3. C. de donat. quæ sub mod.* quam ad hoc citat Dec. *cons. 239. num. 7. & 8. in vers. nam tali casu videtur acquisitum vtile dominium*, post Specul. Io. Andr. & Alex. per eum allegatos, Chass. qui eum refert & sequi[illegible] *cons. 53. num. 54.* post Paul. de Castr. *cons.* [illegible] *Louis*, Craue[illegible] *cons. 19. num. 8. & 9.* Natt. *cons. 503. num. 1. & cons. 532. num. 24. & seqq.* præsertim si non sit omissa clausula constituti, quæ reperitur adiecta in dicto instrumento, & per quam translata fuit possessio, & cum possessione dominium, vt infrà tractabimus latiùs, & suprà iam diximus.

Ex actu condicionali etiam dominiũ vtile transfertur, ex solo euentu cõdicionis, etiam sine traditione.

In pacto dotali, de quo agimus, traditio ficta interuenit per clausulam constituti, quę transtulit verã possessionem.

NEQVE rursus verum est, quod aduersarij supponunt, Eam Theodori mentem fuisse, vt masculos posteriorum graduum nollet oneratos; sed solos filios primi gradus. Nam ex subsecuto ipsius testamento apparet, imò verò id eum voluisse, & expressim constituisse, vt masculi sui omnes à primo vsque ad vltimum grauati essent per fideicommissum, de restituenda sibi inuicem hereditate: præsertim autem dicto Marchionatu, secundùm ordinem genituræ. Cùm igitur in suo testamento non minùs grauauerit masculos secundi, tertij, & quarti gradus, quàm eos qui primi essent, vnde obsecro coniecturã voluntatis sumere possumus, quòd adeò iis indulgere voluerit, vt condicionem dotalis consti-

Ex testamento Theodori apparet voluisse illum oneratos nõ solos filios primi gradus, sed etiam masculos posteriorum graduum.

constitutionis factæ Violandæ ad eos quoque extendi noluerit? An non fuit longè durius & odiosius, quòd eos graduali, successiuo, & perpetuo fideicommisso grauauit, etiam erga proprios liberos, & fratres, quàm quod in defectum ipsorum omnium Marchionatum ad Violandam, eiúsque successores voluit pertinere? Quos ergo magis grauauit in testamento, cur minùs grauasse credatur in dotali instrumento? Nimirum grauandi fuerant inuicem fideicommisso perpetuo, non solùm vt Marchionatus perpetuò in familia Paleologorum conseruaretur, quod primum Theodori propositum fuit; sed etiàm, vt deficientibus masculis omnibus, ad Violandam totus & illibatus peruenire posset: Nisi quantum pro dotandis filiabus detrahi necesse fuisset, vt suprà diximus. Ita igitur benè omnia conueniunt, & tantùm abest, vt in Theodori testamento aliquid scriptum sit, quod dotali pacto derogauerit, vt confirmet potiùs omnia, quæ in fauorem Violandæ & Aymonis Comitis conuenta fuerant: cùm in dotali instrumento nulla inter masculos substitutio facta fuisset. Nec nouum est coniungi plures plurium specierum voluntates, vt ex vna meliùs intelligatur altera, vt iam suprà monuimus, *ex l. tale pactum. 40. §. vlt. D. de pact. l. vir vxori. 54. de donat. int. vir. & vxor.* Et hoc decimum sit absurdum, quod ex aduersariorum interpretatione sequitur, vt Theodorus solos filios suos primi gradus, non etiam posteriores masculos grauatos esse voluerit.

Fideicommissum graduale, successiuum, & perpetuũ, quo Theodorus in testamẽto suo grauauit suos omnes masculos à se descendentes, longè onerosius iis est, quàm pactũ dotale, ex quo non vocatur Violanda, nec ipsius successores, nisi in defectum masculorum.

Conuenta in pacto dotali & disposita in testamẽto Theodori benè omnia inter se cõueniunt.

Decimum absurdum.

VNDECIMVM est, quod si admittenda esset aduersariorum interpretatio, vt pactum dotale, de quo tractamus, restringeretur ad Theodori masculos iam natos,

Vndecimum absurdũ, quod secundum aduersariorũ interpretationẽ

pactum Aymonis cum Theodoro esset perpetuum, non etiam pactum Theodori cum Aymone.

natos, & qui essent primi tantùm gradus, sequeretur quòd ex duobus pactis correspectiuis, quorum vnum factum esset ab Aymone in fauorem Theodori; alterum à Theodoro in fauorem Aymonis, illud quidem quod ab Aymone factum esset, reperiretur perpetuum in fauorem Theodori & masculorum ipsius omnium, & cuiuscunque gradus, etiam nascturorum: Illud verò, quod à Theodoro factum fuisset in fauorem Aymonis, & Violandæ, non esset perpetuum; sed restrictum ad liberos primi gradus, adeoque ad iam natos. Nam in eodem dotali instrumento legimus, Aymonem Comitem Sabaudiæ, cùm prætenderet ac haberet multa iura, tam per eum quàm per antecessores eius Amedeum, & Eduardum Comites acquisita super castris & oppidis Clauassij, Verolengi, Montisbelli, & aliis partibus Marchionatus, præter alia quæ habebat super castris Lácei, Ciriaci, & Casellarum, de quibus specialem initam fuisse cõuentionem iam diximus in fauorem masculorum, qui ex Violanda nascerentur, omnia illa iura Marchioni Theodoro remisisse, & quidem in perpetuum, ac proinde in vtilitatem quoque & commodum masculorum, qui ex Theodoro, eiusq; liberis masculis in perpetuum nascituri essent, absque vlla graduum distinctione ac restrictione. Nec enim credendus est Theodorus per eam conuentionem, & stipulationem liberis masculis vltimi gradus, minùs quàm iis qui in primo gradu essent prospicere voluisse, quod omnium pacisscentium & stipulantium votum & propositũ est etiam in fauorem extraneorum heredum, *l. si pactum. 9. D. de probat.* Atqui perabsurdum est dicere, In pactis correspectiuis vnum esse perpetuum, aliud temporale: vnum

Iura, quæ eodẽ instrumẽto dotali Aymo Comes in perpetuum remisit.

Pacisscentes omnes id agũt, vt omnib. suis heredibus etiã extraneis prosint.

In pactis correspectiuis debet fieri par de-

restri

restrictum ad liberos primi gradus,& iam natos ; aliud verò extendi ad liberos omnes masculos, cuiuscunque gradus : cùm in actibus correspectiuis vnus ex alio interpretationem recipere debeat, & vno cessante, alius cessare,*ex l.vlt.C.de cupress.lib.11.l.filio.§.matri,l.alumnæ.§. Seia,D.de adim.legat.*Crauet.*cons. 230.num.2. & cons. 246. num.4.*Esse autem hos actus correspectiuos ex eo appareret,quòd ambo contenti sunt eodem dotali instrumento:& vtraque conuentio,vt habent verba instrumenti, facta est contemplatione matrimonij, quod non aliter contractum fuisset,*l.cùm te.6.C.de pact.int.empt.& vend. l.si diuersa.14.C.de transact.* Cùm igitur commodum pacti,quo dictus Aymo iura sua omnia in perpetuum remisit Theodoro,ad omnes ipsius masculos, etiam vltimi gradus,transmissum fuerit;consequens certè est, vt de iisdem quoque masculis vltimi gradus actum sit & cogitatum, cùm conuenit,vt si morerentur liberi masculi Theodori,quocúque tempore,sine masculis, Marchionatus esset pleno iure Violandæ ex causa dotis, eiusque successorum. Ne alioqui pacta ista matrimonialia claudicent: quod semper absurdum est, quoties contractus inter eos gestus est, qui obligari vtrimque potuerunt,*l.Iulianus.13.§.si quis à pupillo,antep.l.bona fides. 50.D.de action.empt.*

terminatio ; & ex vno debet interpretatio sumi alterius.

Quòd pacta contẽta in dotali instrumẽto sint correspectiua.

Nõ debet claudicare contractus initus inter eos qui obligari potuerunt.

DVODECIMVM & vltimum absurdum est (plura enim cõgerere iam piget,pudetq;)quod captiosa prorsus est ista aduersariorum interpretatio, per quam fieret,vt spe huius pacti,& condicionis, aliquando fortassis euenturæ,deceptus fuisset Aymo Comes Sabaudiæ, qui non aliter Violandam vxorem ducturus fuerat, quàm si tale pactum interuenisset; adeoq; perpetuum,

Duodecimum absurdũ, quod secundùm aduersariorũ interpretationẽ spe pacti dotalis deceptus fuisset Aymo, qui non aliter Violandam ducturus erat, decepta etiã Violanda.

id est, tandiu duraturum, quandiu aliquis ex masculis supereſſet, quem poſtea contingere poſſet mori ſine maſculis: ſed & Violanda ipſa, cuius etiam gratiâ pactum hoc adiiciebatur, decepta fuiſſet. Nam cùm nullo pacto interueniente potuiſſet illa & illius ſucceſſores, præſertim maſculi, ſuccedere in feudo Marchionatus poſt extinctam totam lineam maſculinam, vt à nobis probatum eſt in præcedentibus, attamen ex eo pacto non potuiſſet illa, neq; illius maſculi ſuccedere in Marchionatu: ne quidem poſt extinctos omnes maſculos, ſi modò vel vnus ex filiis primi gradus relicto vno maſculo deceſſiſſet. Atque ita pactio quæ appoſita fuiſſet ad augenda Violandæ iura, non profuiſſet niſi ad diminutionem. Quo quid abſurdius dici poteſt? *vulg. l. legata. 19. de leg. 1. l. legata inutiliter. 14. D. de adim. legat. l. in ratione. 30. §. tametſi ad leg. Falcid.* in illis verbis: [*Sed id non eſt veriſimile, cùm talis oratio magis pro ipſo, quàm contra ipſum poſita videatur,*] *l. nulla. 25. D. de legib. l. quod fauore. 6. C. eod.* Denique, quod magis eſt, ipſe etiam Theodorus ſe decepiſſet. Nam cùm id egiſſet, ſecundùm aduerſarios, vt condicionem, quam Aymo & Violanda coniuges perpetuam fore putabant, & ad cuiuſcunque gradus maſculos, quoquo tempore naſcituros, extendẽdam, citiùs & in perſonis maſculorum primi gradus extingui poſſet: Id tamen ſuo illo dolo aſſecutus fuiſſet, vt eo moriente, ac proinde adhuc viuo, Marchionatum obtinere Violanda potuiſſet, ac debuiſſet, tanquam impleta iam pacti condicione alternatiua in perſona Ioannis, quem neceſſe erat mori ſine liberis maſculis legitimis ante pactum natis. Et hanc obiectionem præſentientes quidam ex aduerſariis ſubtilioribus, coacti ſunt diuinare,

Melius fuiſſet Violandæ nullum tale pactũ interponere, quàm quale interpoſitum eſſe volunt aduerſarij.

Pactum dotale appoſitum ad augenda Violandæ iura, non profuiſſet niſi ad diminutionem.

Aduerſariorũ interpretatio facit vt Theodorus etiam ſeipſum deceperit.

Quid aduerſarij coacti ſint diuinare &c. 6.

nare, sed dubitanter, ne nimis impudenter, Ioannem potuisse iam tùm habere aliquem filium, quod tamen non modò commentitium, sed etiam falsissimum est: cùm neque adhuc contraxisset nuptias, sed tantùm anno 1337. vt supra ostendimus: neq; ex prioribus nuptiis liberos vllos postea susceperit, sed tantùm ex secunda vxore, vt Beneuenutus testatur. Vide, obsecro, quisquis hæc legis, quàm multa in hoc absurdo sint absurda: quæ tamē omnia euitabit quisquis nobiscum dixerit, Pacti huius dotalis conditionē, sicut iis verbis concepta est, quæ ex propria sua significatione masculos omnes comprehēdunt & natos & nascituros, & primi & vltimi gradus, ita & ad omnes masculos per lineam masculinam descendentes, quoquo tempore natos, & nascituros, referri debere: vt vltimo eorum decedente sine masculis, totus Marchionatus ad Violandam, eiúsque successores pleno iure pertineret.

ministri, vt obiectionem hāc effugerent.

Nullum ex interpretatione nostra inferri potest absurdū.

ADDAMVS, Præsumendam esse in dubio quamlibet condicionem & dispositionem perpetuam potiùs, quàm temporalem. Et nominatim, quod ad dotem pertinet, certum est causam dotis esse perpetuam, cùm detur eo animo, & voto, vt perpetuò remaneat penes maritum & eius successores, *d.l.1.D.de iur.dot.* Ergo & pacta omnia quæ de dote fiunt, pro perpetuis semper habenda sunt, & præsumenda, si non expressim verba contrarium suadeant: sicut è contrario pro temporalibus habenda sunt ea quæ dotis aut mariti condicionem deteriorem faciunt, vt *in l.cùm pater.11.* vbi est textus elegans, *D.de pact.dotal.*

Condicio & dispositio quælibet præsumenda est perpetua potiùs, quàm temporalis.

Quemadmodū dotis causa perpetua est: ita & pacta dotalia perpetua esse debent, non temporalia.

RELIQVVM iam est, vt ad eas aduersariorum ob-

Responsio ad varias alias ad-

uersariorũ obiectiones nondum cõfutatas.

iectiones respõdeamus, quibus nituntur illi suam istam adeò improbabilem & absurdã sententiã comprobare. Ná quod adferunt de participio, [*procreatis,*] & [*procreatos,*] iam satis supérq; refutauimus. Itémq; quod ex dictione, [*filiis,*] apposita in clausula, de filiabus vltimi masculi, per Violandam, eiúsq; successores dotandis.

Prima obiectio ex cõtractu dotali initio inter Theodorum & Philippũ à Sabaudia, Principem Achaiæ, vasallum Comitis Aymonis anno 1325.

OBIICIVNT, Eundem Theodorum ante aliquot annos, quàm Aymoni Comiti Sabaudiæ filiam suam Violandam nuptui traderet, cogitasse de ea collocanda in matrimonio cum Philippo à Sabaudia Principe Achaiæ; & pactis dotalibus, anno 1325. conuenisse, vt si Theodorus & Ioannes eius filius decederent sine liberis, Marchionatus pleno iure esset dictæ Violandæ & successorum ipsius; ex eoque pacto inferunt eam fuisse mentem Theodori, vt sibi tantùm, & Ioanni, non etiam sequentium graduum liberis legem daret.

Responsio ex diuersitate cõtractuũ & personarum, & ex ratione diuersitatis.

NOS verò respondemus, Esse hæc longè dissimilia: neq; ex eo contractu, qui inter alias personas initus sit, & aliis verbis, argumentum sumi posse ad alterum interpretandum: præsertim vbi euidens ratio diuersitatis assignari potest. Philippus enim ille à Sabaudia Princeps Achaiæ, vasallus erat Aymonis Comitis, & consequéter minùs dignus cui tã ampla dos constitueretur. Nec tam facile fuisset Aymonem Comitem impellere, vt ea ipsa dote contentus esset, qua contentus Princeps Achaiæ fuisset. Deinde nec aduersarij ipsi negant aliter cum Principe Achaiæ conuentum fuisse à Theodoro, quàm conuentum ipsi velint cum Comite Aymone. Nam cum Principe Achaiæ de Ioanne filio Theodori nominatim actũ fuerat: cum Aymone autẽ volunt illi actum

Aymo Comes Sabaudiæ dignus erat maiore dote, quã Philippus à Sabaudia, qui vasallus eius erat.

Fatẽtur aduersarij aliter cõuenisse Theo-

actum esse non tantùm de Ioanne, sed etiam de aliis masculis, si qui fuissent primi gradus. Vident enim vno loco dictum esse de masculis: alio autem de filiis, quo nomine significarur pluralitas, si non graduum, saltem personarum. Poterat enim fieri vt alios masculos susciperet ipse etiam Theodorus. Deinde in supradictis verbis pacti cum Philippo initi, [*de liberis*] tantùm proponitur facta mentio: In nostro [*de masculis*,] solis. Vnde apparet in illo casu, quo Philippus Violandam vxorem duxisset, voluisse illum filias etiam cęteras prędferri Violandæ; nec tantùm suas, sed etiam si quas Ioannes reliquisset. Magis ergo dilexit, vt diligere debuit, Aymonem, quàm Philippum. Tertiò pactum initũ cum Philippo nihil exprimit, aut continet propter quod debeat restringi ad liberos siue Theodori, siue Ioannis in condicione positos iam natos: quomodo aduersarij restringi volunt illud quod initum est cum Aymone. Quartò nulla iura habebat aut prætendebat Philippus super Marchionatu Montisferrati, quæ posset, aut vellet eodem contractu alotali remittere: at Aymo habebat quæ posset remittere, & quæ remisit, alia in fauorem communium masculorum, qui ex ipsius & Violandæ matrimonio nascerẽtur: alia verò in fauorem ipsius Theodori, & masculorum omnium cuiuscunque gradus, qui ex eo per lineam masculinam descenderent. Longè igitur maior ratio fuit augendæ dotis in fauorem Aymonis, saltem quod ad spem obtinendi aliquando Marchionatus, vt quàm longiùs fieri posset ea spes produceretur, nec ad primi gradus liberos coarctaretur. Nam pro qualitate & dignitate mariti certum est ampliorem dotem constitui posse, & debere, vt con-

dorum cũ Aymone Comite, aliter verò cum Principe Achaiæ.

in pacto inito cum Philippo facto mentio est *de liberis* generaliter: in nostro *de solis masculis*.

Pactum initum cum Philippo nihil continet, propter quod restringi debeat ad liberos iam natos.

Nulla iura habebat, nec prætendebat Philippus super Marchionatu Montisferrati, nec proinde vlla remittebat, quomodo habebat & remittebat quãplurima Comes Aymo.

Pro qualitate & dignitate mariti ampliot

les constitui debet, vt congruavideri possit.

grua videri possit, *l.quæro. 60. l.cùm post. 69. §. gener. D. de iur.dot. Not. ad Authen. res quæ C. commun. de legat.* Denique cùm sint hi casus omnino disparati, apparet nihil ab vno ad alium inferri posse, *vulg. l. Papinianus. 20. D. ex quib. caus. maior.*

Retorquetur in aduersarios obiectio.

SED præterea retorquemus iaculum in aduersarios, & quidem validissimè. Nam si Theodorus eandem habuisset voluntatem, quomodo illi sibi fingunt, quam habuerat tempore prioris contractus, de non vocanda Violanda, eiusque successoribus, nisi in casum quo Theodorus, vel Ioannes eius filius sine masculis moreretur, quidni eadem verba vsurpasset in posteriore pacto, quæ vsurpauerat in priore? An non erat illi æquè facile, imò longè facilius, breuius, & expeditius, Ioannis solius mentionem facere, quàm liberorum masculorum ex Theodoro & liberis eius masculis ex legitimis matrimoniis procreatorum? Textus est *in l. vnica. §. vbi autem, vers. sin autem ad deficientis*, in postremis illis verbis: [*Nam si contrarium volebat, nulla erat difficultas,*] *C. de caduc. tollend.* Cùm ergo longè aliis verbis vsus sit, ibi de solo Ioanne; hîc de liberis Theodori omnibus masculis: aut saltem, secundùm id quod aduersarij fatentur, de filiis omnibus primi gradus, qui plures esse poterant, ibi positis liberis omnibus generaliter in condicione; hîc solis masculis, quis non videt aliam fuisse voluntatem Theodori, cùm filiam Violandam nuptui tradidit Aymoni, quàm esset cùm tractabat de ea Philippo tradenda? Quis non fateatur aliam quoque esse debuisse; & longè fauorabiliorem Aymoni supremo Principi & potentissimo, quàm Philippo à Sabaudia, Principi quidem Achaiæ nobilissimo, qui à

Ex diuersa cõceptione verborum, inducitur diuersitas voluntatis.

Ex diuersitate verborum, probatur diuersitas voluntatis.

Quantum interesset inter Aymonem Comitem, & Philippũ à Sabau-

tam

tam nobili,& inter illuſtriſſimas perilluſtri familia originem trahebat; ſed longè inferiori tamen, & Aymonis vaſallo? Item contemplatione remiſſionis iurium multorum,quam & puram, & perpetuam Aymo faciebat, Philippus nullam? In ſumma non decipiebatur Philippus, cum quo pactum diſertis verbis reſtringebatur ad perſonam Ioannis:At deceptus fuiſſet Aymo, ſi pactum cum eo initum de maſculis omnibus, quoquo tempore morituris, ſine liberis maſculis, reſtrictum fuiſſet ad filios primi gradus, & ad iam natos duntaxat.

Secunda aduerſariorum obiectio, ex eo quòd vitanda ſit infinitas.

OBIICIVNT ſecundò aduerſarij, Nunquam eſſe tolerandam infinitatem, *ex l. ſi auerſione. de peric. & commod.rei vendit.* meliùs ex *l.4.§.ait Prætor,l.à Diuo Pio. 15.§.ſed ſi emptor,D.de re iudic.l.fratris tui.10.C.de tranſact. l.2.C.de re iudic.* vt inferant, non ergo ſic interpretandum eſſe hoc pactum dotale,vt omnes Theodori maſculos deſcendentes in infinitum comprehendat.

Reſponſio: Et quo ſenſu Prudentes noſtri admittant infinitum.

SED ſicuti obiectio ridicula eſt, ita facilis reſponſio. Nam imò verò leges noſtræ iſtam admittunt infinitatem in pleriſque iuris partibus, non qualem intelligunt Philoſophi cùm dicunt,Non poſſe dari progreſſum in infinitum; ſed quatenus ſumitur pro indeterminatione, & infinitum, pro eo quod finitum, id eſt, certis finibus circumſcriptum, non eſt. Sic enim Paulus, *in l.ſi cui ſimplicius.9.D.de ſeruit.* [*In infinito*,inquit, *videlicet per quamlibet fundi partem ire, agere licebit.*] Et *in l.qui reſtituere.68.D. de rei vindic.* Vlp. [*Is quantum aduerſarius in litem ſine vlla taxatione*

Applicatio variorū iuris locorum, qui loquuntur de infinito.

Licet ei, qui habet ſeruitutem actus per fundum vicini,

ire, agere in infinito.

Permittitur iurare in infinitum.

tione in infinitum iurauerit, damnandus est.] Nec dissimiliter idem Vlp. *in l. 4. §. iurare, D. de in lit. iur.* [*Iurare autem in infinitum licet:*] id est, sine vlla certæ quantitatis taxatione, ac determinatione. Et quod ad rem nostram accommodatius est, *in l. 1. §. generaliter, D. de legat. præst.* qui locus iam sæpius à nobis citatus est: [*Generaliter,* inquit Vlp. *parentes & liberos Prætor excepit, nec gradus liberorum, parentúmve enumerauit: in infinitum igitur eis præstabitur,*] id est, sine vlla graduum enumeratione & restrictione. Hoc ipsum verò est, quod nos in proposito dicimus, Theodorum & Aymonem in pacto illo Theodori, appellatione generalis nominis, quo vsi sunt, [*Liberorum,*] liberos omnes masculos Theodori in infinitum comprehendisse: id est, omnes liberorum masculorum gradus, neque condicionem ad vnum, aut alterum gradum restrinxisse. Denique infinitas nunquam est prohibita, cùm ea mens fuit contrahentium, *l. si finita. 15. in prin. de damn. inf. l. continuus. 137. §. illud, de verb. oblig. l. cùm quidam. 17. de vsur. l. si ita stipulatus à Seio fuero. 55.* vbi Bart. *de fideiuss.* Denique infinitas toleratur semper, nisi cùm ex ea sequitur absurdum. Tiraq. *de Retract. conuent. §. 1. vers. à tel temps, Glos. 2. num. 18.* Afflict. *in tit. 1. qui feud. dar. poss. ad §. & quia vidimus, num. 28. vers. In glosa finali.*

Prætor in Edicto, *de bonor. poss. contr. tabul. & de legat. præst.* excepit parentes & liberos in infinitum.

Quo sensu dicamus Theodorũ in pacto dotali, de quo agimus, appellatione liberorum masculorum, masculos omnes in infinitum comprehendisse.

Ea demùm infinitas toleranda non est, ex qua sequitur aliquod absurdum.

Obiectio tertia, ex eo quod pactum, de quo agimus, sit odiosum & exorbitans à iure cõmuni, cùm sit de succedendo.

OBIICIVNT tertiò, Pactum esse odiosum & exorbitans à iure communi, cùm sit de succedendo: & ideò restringendum per interpretationem, vt non nisi primi gradus liberos, & iam natos complectatur. Respondemus

mus & retorquemus, Imò esse pactum fauorabile, non de successione aut deferenda, aut conseruanda (quamquam hoc posterius esset fauorabile;) sed de dote constituta sub condicione, & in eum duntaxat casum, quo [illegible]ie Theodori quicquam interesse poterat, nec masculorum ipsius; sed tantùm filiarum, aut heredum, quos vltimus masculus relinquere potuisset, quorum minùs fauorabilem causam esse decebat, quàm Violandæ filiæ Theodori, & primi gradus, & primogenitæ. Ergo debet hoc pactum adiuuari potiùs interpretatione, *l. cùm quidam. 19. D. de lib. & posth. l. hoc modo 64. de condic. & demonstr.* Gasp. Ant. Tessaur. *lib. 2. Quæst. forens. quæst. 79.*

Responsio per retorquutionē.

Pactum fauorabile adiuuandum est interpretatione potiùs, quàm restringendum.

QVARTA obiectio est omnium suauissima, ex genitiuo [*eius,*] posito in illis verbis condicionis: [*Si contingeret dictum D. Marchionem, vel eius liberos masculos, &c.*] cuius genitiui, inquiunt, natura est, vt dominium, vel aliqualem possessionem, vel saltem detentionem importet: ex Bart. Ias. & aliis *ad Rubric. de verb. oblig.* Ergo, inquiunt, non de aliis liberis pactum hoc intelligi potest, quàm qui aliquo modo possiderentur à Theodoro, vel ratione patriæ potestatis, vel quasi possessionis filiationis. In quo numero censeri nō possunt masculi, qui eo pacti tempore nondum editi, neque concepti, id est, neque in hominum, neque in rerum natura erant: *ex l. 1. §. sed vbi natus, D. vnd. cognat. l. Titius. 6. D. de suis & legit.* Respondemus, quod verissimum est, genitiuum, [*eius,*] inducere duntaxat relationem quandam, & respectum inter eas personas, de qui-

Quarta obiectio ex genitiuo, *eius*, posito in verbis illis condicionis, [*vel eius liberos masculos.*]

Responsio.

Sunt ex liberis Theodori tam qui post pactū, quàm qui antè nati sunt.

bus agitur. Hanc autem relationem, non minùs conuenire liberis masculis natis post pactum, siue ex Theodoro, siue ex eius liberis masculis, quàm iis qui iam tùm nati fuissent: quia verum est, Esse illos omnes liberos Theodori, sumpta etiam propriè & strictè appellatione [liberorum,] *d.l. liberorum.220. de verb. signif. d.l.si dotali. 48. D. solut. matrim.* & descendentes Theodori, heredes sanguinis Theodori, denique ex Theodoro ipso & ex ipsius corpore procreatos, vt mox dicemus, *ex cap.1.de eo qui sibi & hered. suis mascul. & fœm. l.1.* vbi Bald. Paul.Castr.& alij *C.de condic. insert.* Hoc ergo sufficit, vt etiam nascituri possint verè, ac propriè dici liberi [*eius,*] scilicet Theodori; non ratione alicuius dominij, aut possessionis, quæ omnia in patre & liberis non nisi ineptè vsurpari possent, *l.1. §.per hanc autem, D. de rei vindicat.* sicut de exheredatione in extraneo scribit Paulus, *in l. quidam filium. 126. de verb.oblig.* sed per abusionem, vel potiùs ἀναφορικῶς, id est, per relationem, vt iam diximus, post Iulianum, *in l.item Prætor.8. D.de suis & legit.* id est, ratione natiuitatis, quòd ex eo procreati sint, & ab eo tanquam à stipite, & communi parente descenderint verè ac naturaliter, descendendo ex corpore ipsius per intermedias personas præcedentium graduum; ad exclusionem eorum, qui ab ipso Theodoro, aut ab ipsius liberis masculis adoptari postea, vel legitimari potuissent, *d. l.si ita quis.51. §.1.de legat.2.l.fideicommissum.76. de condic.& demonstr.* Nec bona est consecutio, vt qui post Theodori mortem concepti essent, & suscepti ab ipsius liberis masculis, ideò non possint dici, [*eius*] esse, quòd ei ab intestato succedere non possent, neque tanquam sui, neque tanquam agnati,

Etiam posteà nati liberi ex Theodoro, aut eius masculis, liberi dici possunt, per relationem scilicet ad Theodorū.

Qua ratione dicantur liberi nostri, qui post mortem nostrā ex nostris nascuntur.

Non est bona consecutio, vt qui Theodoro succedere ab intestato non potuissent, eius liberi dici non possint.

agnati, neque tanquam cognati, *ex d.l.Titius. d.l.1. §. si quis proximior, D.vnd.cognat. §. cum autem, Inſt.de hered.quæ ab inteſt. defer.* Eſt enim illud ſpeciale ius legitimarum hereditatum, quæ à lege duodecim Tabularum defe-[r]tur & ſuis heredibus, & agnatis, quia lex XII. Tab. iis verbis vſa eſt: [*Si paterfamiliàs inteſtatò morietur, nec ſuus heres vllus erit, agnatus proximus familiam habeto.*] Quibus verbis apertiſſimum eſt tempus mortis deſignari, vt *in l. pen. D.de teſtam.tutel.* & ideò qualitatem iunctam verbo, ſecundùm tempus verbi debere intelligi, ex vulgari noſtrorum bre[ca]rdico, *l.4. §. ſi extraneus, D. de noxal. act.cum ſimilib.* Prætor autem *in tit. vnd. cognat.* [proxin[qu]itatis,] & [cognationis] nomine vſus eſt, quæ fuiſſet tempore mortis; quod ſanè non conuenit ei, qui auo viuo neque conceptus, neque natus fuit, *d.l. item Prætor.8. de ſuis & legit.* ſed cùm de eo ta[n]tùm quærimus, an quis ab alio deſcenderit, & an à Titio, aut à Mæuio, nihil tale dici poteſt. Alioqui neque auos vllos, neque proauos haberemus: neque Ada[m] primum parentem noſtrum dicere poſſemus, aut Adamum prohibere, ſi à mortuis reſurgeret, ne quam ex fœminis omnibus, quæ in mundo ſunt, vxorem poſſet ducere, cùm omnes ab eo ſint deſcendentes: Et qui mihi auus, propriè ſi voles, non eſt, quòd poſt mortem eius conceptus fuerim: ſaltem pater mei patris dici poterit, quod ſufficit vt appareat me ab eo deſcendiſſe. Ita eleganter Paulus noſter explicat *in l. Paulus reſpondit. 47. §. penult. D. de bon. libert.* Bart. *in d.l. item Prætor.* per illum text. qui hoc propriè explicat, *D. de ſuis & legit.* Dec. *in rubr. C. de ſucceſſ.edict.*

Non poteſt quiſquam vllo iure ab inteſtato ſuccedere ei, poſt cui⁹ mortem conceptus fuit.

Verba legis duodecim Tabularū in ſucceſſione inteſtati, deſignant tempus mortis.

Cùm quæritur, an quis ab alio deſcenderit, nihil intereſt an viuo eo conceptus ſit, nécne?

Qui auus meus non eſt, ſaltem pater patris mei dici poteſt.

& conſ. 217. in fin. poſt Alex. *conſ. 26. incip. Videretur fortaſſe, ad fin. lib. 3.* Idem Bart. *in l. quod dicitur. de verb. oblig.* vbi etiam Alex. Iaſ. & alij communiter, Bald. *in l. ſi in perſona. col. 1. verſic. & nota, lex, item Prætor. C. de fideic.* vbi ait ille aliud eſſe in ſucceſſorio edicto legis : aliud in ſucceſſorio edicto hominis & conuentionis, quamuis parùm propriè ac partitè in hoc loquatur, cùm edictum ſucceſſoriũ nullum ſit, neque legis, neque conuentionis, ſed tantùm Prætoris. De quo *in tit. de ſucceſſ. edict. D. & C.* Iunge notat. *in tit. 1. §. hoc autem, qui feud. dar. poſſ.* & per Andr. de Iſer. *in tit. 8. §. hoc quoque. col. 7. verſ. item an filij naſcituri & agnati, de ſucceſſ. feud.*

Succeſſorium edictum hominis & conuentionis differt ab edicto ſucceſſorio Prætoris.

QVINTÒ ijdem aduerſarij obiiciunt, Dictionem, [*ex*,] qua vſi ſunt contrahentes in pacto, de quo tractamus, denotare cauſam proximam & immediatam, ex not. per Bart. *in l. 1. §. ex incendio, D. de incend. ruin. & naufrag.* vt inferant, Non ergo de aliis liberis maſculis Theodori contrahentes ſenſiſſe in eo pacto de quo agimus, quàm qui ex eo ipſo, aut ex ipſius liberis maſculis primi gradus & immediatè ſuſcepti eſſent. Reſpondemus, & negamus primùm vſurpatam fuiſſe dictionem, [*ex*,] cùm de Theodoro & liberis eius actum eſt, niſi in illis verbis, [*Ex legitimo matrimonio procreatos*;] & in illis ſequentibus, [*Abſque liberis maſculis, ex corporibus ſuis procreatis*,] quod ad rem planè non pertinet. Cauſam enim natiuitatis legitimorum liberorum proximam & immediatam admittimus eſſe legitimum matrimonium, & quidem patris, quiſquis ille ſit, ſiue Theodorus, ſiue ex liberis, aut primi, aut

Quinta aduerſariorum obiectio, ſumpta ex dictione [*ex*,] quæ denotat cauſam proximam, & immediatam.

Reſponſio.

Cauſa proxima & immediata natiuitatis legitimorum liberorum eſt legitimum matrimonium.

aut ſecundi, aut etiam remotiſſimi gradus: ſed non ait pactum: [*Theodorum, vel liberos maſculos ex eo procreatos.*] Illa autem ſequentia, quæ habent articulum *ex*, [*abſque liberis maſculis, ex ſuis corporibus procreatis,*] de iis liberis ſunt, in quos non poteſt cadere dubitatio: id eſt, qui nec ſunt, nec fuerunt, nec erunt. Illud ſanè verum eſt in ſequenti clauſula, quæ eſt de dotandis filiabus, vſurpatam particulam, [*ex,*] iis verbis: [*Quòd ſi aliquæ filiæ remanerent ex dicto D. Marchione & filiis ſuis legitimis.*] Sed præter id, quod alia clauſula illa eſt quæ bonum per ſe & ſeparatum ſenſum habet, non loquitur de maſculis, de quibus ſolis nunc diſputamus; ſed de ſolis filiabus, de quibus nunc nō agimus. Nec enim quærimus, an Margareta ſola ſuperſtes fœmina ſit dotanda per Sereniſſ. Ducem Sabaudiæ, cùm conſtet non eſſe dotandam: ſiue cum ea intelligas pactum de dotandis tantùm filiabus filiorum primi gradus, ſiue, vt nos interpretamur, de filiabus vltimi maſculi: quandoquidem Margareta nec primi maſculi filia fuit, nec vltimi; adeoque nec penultimi; ſed antepenultimi: ac proinde dotari debuit à fratre, vel ſaltem à patruo, à quibus & dotata fuit. Vltimus verò maſculus Io. Georgius filiā nullam reliquit: cuius ſi qua fuiſſet, dotandæ onus ad Sereniſſ. Ducem Carolum pertinuiſſet, cùm iam inde à die pacti interpoſiti acquiſitus Marchionatus fuiſſet Violandę, eiúſq; ſucceſſoribus, in caſum, qui euênit deficientis lineæ maſculinæ Paleologorum.

Clauſula de dotandis filiabus non loquitur de maſculis, ſed tantùm de filiabus.

Io. Georgius filiam nullam reliquit, quam ſi reliquiſſet, dotanda illa fuiſſet à Sereniſſ. Sabaudiæ Duce Carolo.

Ex quo apparet, quàm facilè ac leuiter obiectiones iſtas futiles & inanes conquirant, vt vndequaque

Aduerſarij melioribus rationibus deſtituti, obiectiones

iſtas futiles & inanes conquirunt.

ſibi conſulant, ſupponentes in facto, quod ex ipſa verborum lectura manifeſtiſſimè conuincitur. Debuerunt potiùs dicere genitiuum illum,[*eius*,] de quo tam multa illi & tam anxiè, poſitum eſſe pro illis verbis,[*ex eo*:] & idcircò debere ſic intelligi, vt denotet cauſam proximam & immediatam, quam denotaret articulus, [*ex*.] Atque ita eôdem recidiſſet obiectio: ſed voluerunt illi pro vna duas comminiſci, vt nos duabus credo reſponſionibus onerarent. Nos verò huic eorum deſiderio, quamuis ſuperuacuo, non tamen inhoneſto, ſatisfaciamus.

Genitiuũ, *eius*, poſitum eſſe pro, *ex eo*.

Particula, *ex*, non ſemper denotat cauſam proximam & immediatam.

DICIMVS particulam illam, [*ex*,] non ſemper denotare cauſam proximam & immediatam; ſed aliquando pro perſonarum & rerum varietate cauſam remotam, & mediatam, vt in propoſito. Nam ex Theodoro, adeóque, quod magis mirum videri poſſit, ex Theodori corpore deſcendiſſe dici poſſunt quotquot per lineam maſculinam ab eo deſcenderunt, ad Bonifacium vſque vltimum, qui in quinto & omnium remotiſſimo gradu fuit. Quemadmodum nec aberraret, nec malè loqueretur, qui nos diceret ex Adamo deſcendiſſe, ſcilicet, [*per relationem* :] vt eleganter Iulianus explicat, *in d. l. item Prætor. 8. de ſuis & legit.* quia continuatio ſanguinis facit, vt idem corpus eſſe videatur. Quãdoquidem, [*dici poteſt idem, quod continuatiuè eſt idem*,] vt inquit Baldus, & poſt eum cæteri, *ad d. l. 1. C. de condic. inſert.*

Non malè loquitur, qui dicit nos omnes ex Adamo deſcendiſſe, ſcilicet, per relationem.

Dici poteſt idem, quod cõtinuatiuè eſt idem.

ET in hanc rem textus eſt elegans & apertus *in c. 1. de eo qui ſibi & hered. ſuis maſcul. & fœmin.* in illis verbis: [*Donec ſupereſt maſculus, ex eo qui primus inueſtituram de feudo*

Applicatio & explicatio *cap. 1. de eo qui ſibi & hered. ſuis maſcul. & fœm.*

feudo accepit.] Ait enim textus, [*In eo numero esse descendentes omnes à primo inuestito, etiam qui per fœminas descenderunt.*] Et *in tit.50.de natur.succes. feud.* in illis verbis: [*Si cui etiam ex aliis superioribus, vel primis fratribus supersunt masculi,*] *lib.2.* Nec sanè fieri ferè potest, vt meliùs, aut aptiùs quis possit sensum hunc exprimere, quàm per hũc articulum, [*ex,*] qui per se aptus est ad designandam æqualiter causam quamlibet siue proximam siue remotam. Sic & *in d.l. Lucius. 85.de hered. instit.* cùm testator dixisset: [*Aut filium, filiámve ex se natum, natámve non habebit:*] nemo ex Interpretibus dubitat, quin non tantùm filij primi gradus; sed etiam omnes vlteriorum graduum suprad[illegible]s verbis contineantur: quamuis non [liberorum] nomen ibi vsurpasset testator, sed [filij:] nec [filiorum] in numero plurali, sed [filij,] aut [filiæ,] in singulari, vt tractat Socin. *cons. 43. viso testamento, col. 3. vers. ad hoc textus notabilis, & vers. præsertim quia dispositio collata est in futurum euentum, lib.3.* Curt. Iun. *cons.111.n.19.* Alex. *cons.26. videtur fortasse, col.2. & fin. lib.3.*

Textus *in tit. 50. de natur. succes. feud.*

Ad *l. Lucius. 85. D. de hered. instit.*

SEXTA obiectio est, Fuisse vocatam Violandam solam; sed non eius successores, nisi successiuè, si in persona Violandæ condicio extitisset. Et vt huic obiectioni colorem aliquem dent aduersarij, dicunt in instrumento scriptum esse paucioribus literis, [*succes.*] quod illi interpretantur, [*successiuè:*] Nos verò [*successorum:*] sed dicimus legendum esse, [*successorum,*] cùm propter adiectiuum, [*suorum,*] qui subiungitur; tum quia in sequenti clausula, quæ est de dotandis filiabus masculorum,

Sexta aduersariorũ obiectio, quod sola Violanda per pactũ dotale Theodori fuerit vocata: nõ autem eius successores, nisi successiuè post Violandam, id est, postquã in eius persona condicio pacti extitisset.

non

Abbreuiatura Notarij quomodo in casu nostro sit extendenda.

non tantùm Violanda onerata fuit; sed etiam successores eius: & quidem æquè principaliter, ac per copulam, [&,] quamuis æquè illo loco per abbreuiationem scripserit Notarius, [*succeſſ.*] Vnde coniectura fortissima sumi potest, neque aliter Notarium sensisse in [illegible] abbreuiatura, neque Theodorum vocasse successores Violandæ accessoriè, sed principaliter æquè ac Violandam ipsam, cùm eos æquè principaliter grauauerit de dotandis filiabus: si valet argumentum, quo nituntur aduersarij, à qualitate oneris ad qualitatem dispositionis: Onus enim præsupponit honorem in necessarium antecedens, *d.l.ab eo.9.C. de fideic.l.si sic.6.in fin.de legat.3.* Et quamuis non negemus vocatos fuisse successores Violandæ post Violandam successiuè, non simul, & coniunctim cum ipsa: (nec enim heredes, aut successores vlli sunt viuo eo, cui succeditur, vt simul cum ipso admitti possint:) negamus tamen vocatos esse in casum illum, quo Violanda Marchionatum iam obtinuisset; sed potiùs & omnimodò in casum quo prædecessisset illa ante euentum condicionis, id est, in casum vulgarem. Id enim agebat Theodorus, vt in defectum lineæ suæ masculinæ, prospiceret Violandæ filiæ suæ, & eius marito Aymoni, ac per consequentias ipsorum successoribus, de quibus nihil erat necesse illo casu cauere. Aut, vt si Violanda prædecederet vltimo masculo, prospiceret ipsius heredibus & successoribus, vt haberent illi, quod Violanda morte præuenta habere non potuisset: Vt scilicet Violanda, si Marchionatum ipsum habere viua non posset, nec proinde ad successores suos eum transmittere, saltem succedēdi spem ad eos transmitteret: Illi verò Marchionatum obtinerent,

A qualitate oneris argui potest ad qualitatem dispositionis.

Vocati sūt successores Violādæ successiuè post Violandā, in casum potissimùm vulgarem: id est, quo ipsa ante condicionis euentum decessisset: qui casus contigit.

Mēs Theodori fuit, vt liberi, &

rent, si non ex inuestituris primis, saltem ex pacto illo & ex persona Violandę, quasi dato Violandæ in dotem sub condicione, quæ post ipsius mortem extitisset.* At quòd Theodorus cogitauerit de oneranda Violanda erga suos proprios heredes, & successores, dici nullo modo potest: quia nec fieri hoc iure potuit, cùm nemo heredi suo possit esse obligatus, tanquam heredi. Vt verò Marchionatus, qui Violandæ acquisitus fuisset, ad eius heredes & successores transiret ità demùm, si Violanda voluisset, nec aliter de Marchionatu disposuisset; inutile ac superuacuum erat prouidere: cùm ex iure communi non ad alios, quàm ad heredes & successores peruenire Marchionatus potuisset. Sicut & quod ad onus dotandarum filiarum, non fuisse illud iniungendum successoribus Violandæ in eum casum, quo ipsa Violanda viuens adhuc iam Marchionatum obtinuisset, cùm eo casu ad id obligati fuissent tāquam heredes & successores illius quæ dotare tenebatur. Et ita esset superflua in vtraq; clausula mētio adiecta [successorū,] quod dici nunquam debet, *vulg. l. si quando. 109. de leg. 1. c. si Papa, de priuil. in 6.* At quoniam præuidebat Theodorus, nec ipse tantùm, sed etiam Comes Aymo, cuius potissimùm intererat, fieri posse, & euenire, quod euēnit, vt Violanda primi gradus filia ante vltimi gradus masculum moreretur, prouiderunt ambo prudentissimè, vt Marchionatus, qui Violandæ esse nunquam potuisset propter ipsius prædecessum, saltem esset heredum & successorum ipsius, qui eo tempore in rerum natura reperirentur, quo dotis condicio extitisset; In eamque rem cōcipiendum fuit pactum eo modo, quo conceptum est, & adiiciendamentio heredum & successo-

successores Violandæ in casum euenientis condicionis, haberent Marchionatum, si non ex primis inuestituris, saltem ex pacto dotali.

*Nō cogitauit Theodorus de oneranda filia sua Violanda erga proprios liberos suos & heredes.

Adiectio successorum, tam in concedendo Marchionatu in dotem sub condicione, q̄ in onere dotādi filias, esset superuacua & inutilis secundùm aduersariorum interpretationem.

Nunquam debet admitti interpretatio, quę faciat vt verba sint superflua.

Cur in pacto dotali, de quo agimus, ita cōceptum & concipiendū fuerit.

pactum, de quo agimus, vt mētio fieret heredum, & successorum Violandæ:

rum Violandæ, vt appareret non id actum fuisse inter contrahentes, vt cum vita Violandæ pactum finiretur: Sed vt quemadmodum pacti verba in id vsque tempus extensa fuerant, quo masculus vltimus moreretur, quod poterat contingere, quomodo contigit post centos tantùm annos, & eo tempore quo impossibile per rerum naturam erat, Violandam viuere: Ita & in vtilitate pacti succederent, qui in cæteris omnibus Violandæ successores fuissent, vt non tantùm ex iure communi; sed etiam ex verbis ipsis pacti in locum Violandæ succederent, scilicet [descendentes,] qui soli in hac

Nomine *successorum*, in hac specie, videtur soli descendētes significari.

specie fortassis significantur verbo, [successorum,] secundùm Mantic. *lib.8.tit.11.num.5.& 6.* post Socin.Sen. *cons.1.num.1.& cons.249.num.12.vol.2.* Quamquam non nego, etiamsi nihil de heredibus & successoribus dictū

Etiam nulla mētione facta successorum Violandæ; spes tamē pacti dotalis in eos transmissa fuisset.

fuisset; perinde tamen fuisse illos successuros in Marchionatu, propter transmissam in eos spem quam habuerat Violanda obtinendi Marchionatum ex dotali stipulatione: & consequenter etiam in onere dotandi filias, quod iniunctum fuerat Violandæ, si ea viua stipulationis condicio extitisset. Essent autem hæc omnia apertiora, si in vtraque clausula fuisset positus articulus

In clausula huius pacti, coniuncta resoluitur in disiūctiuam, vt alibi sæpe, ad euitandam incompatibilitatem, & absurditatem.

disiunctiuus, in hunc modum: [*Sint & esse debeant pleno iure dictæ D. Violātis, vel successorū suorum.*] Et in sequenti clausula: [*Quòd eis prouideatur secundùm dignitatem Marchionatus per dictam D. Violantem, vel heredes & successores eius.*] Quem tamen sensum esse superiorum clausularum omnino sanè fatendum est, & coniunctam resolui necessariò debere in disiunctam, ad euitandam absurditatem,

tem,& incompatibilitatem,quæ alioqui ſequeretur, vt ſuprà probauimus.

ITAQVE quod aduerſarij afferunt ex Oldradi *conſil.* 177. & Ioan.Andr. *in addit. ad Speculat.in tit.de teſtam. §. imprimis*,Si inſtituto heredi quis ſubſtituatur, & primo ſubſtituto rurſum alius,& ſecundus gradus non habeat effectum, etiam ceſſare tertium : vt inferant, extincta condicione pacti in perſona Violandæ,nec eius ſucceſſores quicquam iuris ex eo pacto habere poſſe. Nam præter id quod ea Oldradi ſententia communiter reprobata eſt, vt conſtat ex Bart. *ad l. quamdiu. 3. de acq. hered.*vbi etiam Bald.Ang.& Aret.Socin. *conſ.52.vt veram,lib.*1.Dec.*conſ. 427. num. 7. & ſeq.& conſ. 318. n.3.* Iaſ. *conſ. 148. lib.2.* Niſi cùm ſecunda ſubſtitutio habet ſubſiſtentiam, & dependentiam à prima, & debet ſecũdus ſubſtitutus capere à primo,qui caſus eſt Oldradi *ex d.l. Publius.36.§.1.de condic.& demonſtr.* Obſeruare debuerunt aduerſarij, non hîc agi de pluribus ſubſtitutionibus factis ex ordine, ita vt alij aliis ſubſtituti dici poſſint in caſum acquiſitionis? (nam neque Violanda ſubſtituta fuit maſculis,neque ipſi Violandę eius ſucceſſores :) ſed de pluribus ex ordine vocatis ad habendum Marchionatum ex cauſa dotis Violandæ, ſub vna eademque condicione : & in ea tantùm condicione fuiſſe heredes Violandæ ipſi ſubſtitutos, in caſum vulgarem, vt ſi condicio in perſona Violandæ locum non habuiſſet; habere tamen in perſona heredum & ſucceſſorum eius poſſet.Quæ ſubſtitutio facta in vna eademq; condicione, cùm nullum alium caſum, quàm vulgarem complecti poſſit, tantùm abeſt vt ob id minùs habere

Obiectio aduerſariorum ex Oldradi *conſil.* 177. Quaſi deficiente vocatione Violãdæ, ceſſet ac deficiat vocatio deſcendentium ex ea.

Oldradi ſententia communiter reprobata eſt.

Non tractatur hîc de pluribus ſubſtitutionib. factis ex ordine : ſed de pluribus gradibus & perſonis ex ordine vocatis ad Marchionatum, ex cauſa dotis exiſtente quandocunque condicione.

Subſtitutio facta in perſonis ſucceſſorũ Violandę in caſum

vulgarem, tãtò magis locum habere debet, quòd in persona Violandæ locum habere non potuerit.

possit locum in persona successorum Violandæ, quòd in eius persona locũ non habuerit: vt è contrario, non aliter possit in eorum personis locũ habere, quàm si non habuerit in persona Violandæ. Non enim plures sunt conditiones, vt in casu Oldradi, quorum vna & prima in persona Violandæ locum habere debeat: cæteræ in personis successorum, sed vnica illa: [*si linea Theodori masculina deficeret:*] quæ condicio, sicut vnica est, licèt plures essent masculi: ita neque potest nisi semel aut impleri, aut deficere, sed alterutrum tamen; vel viua adhuc Violanda, vel ea iam mortua. Ideoque in casum vtrumque & prouidendum fuit & prouisum, scilicet per vulgarem quidem substitutionem factam de successoribus Violandæ post eam vocãdis; sed per vulgarem positam in condicione tãtùm, non in dispositione.

Ex hoc pacto dotali, de quo agimus, nõ nisi sub vnica cõdicione vocati sunt Violanda & eius successores.

Obiectio ista & ratiocinatio aduersariorum præsupponit falsum, quod per mortem Violandæ extinctum fuerit ius omne, quod ex pacto dotali habere & sperare poterat.

SED & ratiocinatio aduersariorum præsupponit, Extinctam fuisse condicionem per mortem Violandæ, & extinctum ius omne, quod Violanda ex pacto illo dotali sperare poterat. Quod tamen nos negamus, quia moriens ante impletam condicionem, potuit transmittere, & transmisit spem ex pacto condicionali, *d. ſ. ex condicionali, Inſt. de verb. oblig.* etiamsi nulla in pacto de heredibus mentio facta fuisset. Nec priùs deficere potuit condicio, quàm si aut Violanda sine successore decessisset, aut ipsius heredes, & successores sine successore. Alioqui quod masculi superuixissent & durassent per mille annos, non tam extinxisset condicionem, quàm eius implementum distulisset, *vt in ſ. penult. Inſtit. de ſingul. reb. per fideic. relict.* Aliud ergo est impletam non esse condicionem: aliud verò iam defectam, vt suprà

Aliud est condicionẽ esse iã

diximus

diximus, *ex d. l. hæc condicio. 10. in fine princ. D. de condic. & demonstr.* Quid si pactum sui natura transitoriũ fuit ad heredes & successores; etiamsi nihil de iis cõuentum fuisset, quia scilicet per mortem Violandæ condicio [illegible]nõ defeciſſet; quis credat deteriorem eorum condicionem esse debere, ob id solùm quòd iis quoque cautum & prospectum contrahentes voluerint? Præsertim verò cùm possint & debeant verba illa intelligi de heredibus & successoribus sanguinis, secundùm propositam materiam: & consequenter de iis personis quæ iam erant comprehensæ in præcedentibus inuestituris Ottonis & Henrici VII. Quia quoties ad feudum fœmina aliqua admittitur, etiam admittuntur omnes ex ea descendentes, præsertim masculi, *cap. 1. de benefic. fœmin. cum similib.* Quorum tamen dicendum esset factam esse deteriorem condicionem per pactum, si sic intelligeretur quomodo aduersarij intelligũt, vt non aliter ad Marchionatũ admitti possent, quàm si Violanda priùs admissa fuisset, ac ea viua cõdicio extitisset. Item vt nec Violanda ipsa aliter admitti posset, quàm si liberi masculi primi tantùm gradus, & qui iam ipso pacti tempore nati fuissent, postea decessissent sine masculis. Nam si Violanda decessisset relicto filio masculo Amedeo, superstite Theodoro patre, & Ioanne fratre, qui ambo postea nullis superstitibus masculis decessissent, solo relicto Amedeo, dicendum esset ex aduersariorum opinione & interpretatione, futurum, vt non fuisset admittendus ex pacto Amedeus, tanquam defecta pacti condicione per prædecessum Violandæ: cùm tamen dubitari non possit, quin etiam secluso pacto fuisset ille admittendus ex inuestituris, eodem penitùs iu-

defectam: aliud verò nondum impletam.

Verba, *heredũ*, &, *successorum*, in feudis, & secundùm subiectam materiã, debent intelligi de heredib. & successorib. sanguinis.

Quoties ad feudum admittitur fœmina, admittuntur etiam omnes ex ea descendẽtes, præsertim masculi.

Aduersariorũ interpretatio facit deteriorẽ condicionem successorum Violãdæ, quàm si in pacto dotali nulla ipsorum mentio facta fuisset.

Absurdum ex hypothesi.

Etiam secluso pacto dotali, Amedeus filius Violandæ fuisset admittendus ex pri-

tis inueſtituris; qui tamen, ſecundùm aduerſariorum interpretationem, admitti non poſſet.

re, quo fuerat admiſſa prior Violanda mater Theodori per obitum Ioannis vltimi maſculi ex linea Aledramica. Quis ergo ferat ita pactum intelligi, vt noceat ſucceſſoribus Violandæ, quibus maximè prodeſſe contrahentes voluerunt, & debuerunt? Aut cur non potiùs ſic pactum interpretamur, vt inueſtituris aliquid addat, non vt quicquam detrahat? ne inducta ad augmentum operentur diminutionem, vt ſuprà diximus: contra *d.l.legata inutiliter.14. de adim.legat.l.in ratione. 30. §.tametſi, D.ad leg.Falcid.* Concludamus itaque vocatos fuiſſe per hoc pactum ſucceſſores Violandæ, non tantùm conſecutiuè à Violanda, & acceſſoriè, ſi in ipſius perſona condicionem pacti exiſtere contingeret: ſed etiam principaliter & per ſe, & conſecutiuè ab vltimo maſculo, ſi poſt mortem duntaxat Violandæ, quod accidit, condicio pacti euenisſet, quam ex aliis eiuſdem pacti verbis ſufficiebat euenisſe, *quoquo tempore*. Ergo etiam poſt mortem Violandæ, non autem, *viua tantum Violanda*. Subintelligi enim poſſet talis aliqua clauſula, ſi faueret Violandæ, & doti, vt in ſpecie *l. cùm pater. 11. D. de pact.dotal.* at in propoſito noceret.

Vocati ſunt ſucceſſores Violandæ, non tantùm conſecutiuè à Violanda & acceſſoriè; ſed etiam principaliter & per ſe; & conſecutiuè ab vltimo maſculo.

Subintelligi poteſt aliqua clauſula, quæ faueat doti, ſed non quæ noceat.

Septima & vltima obiectio aduerſariorũ ex verbis illis pacti, [*in augmentum, & ex cauſa dotis.*]

SEPTIMA & vltima obiectio eſt ex verbis illis pacti, [*in augmentum & ex cauſa dotis:*] quia, inquiunt, dos eſſe non poteſt ſine matrimonio, licèt matrimonium poſſit eſſe ſine dote, *l. 3. l. ſi ſeruo. 39. in fin. D. de iur. dot.* Atqui matrimonium Violandæ cum Aymone Comite Sabaudiæ, morte ipſius Violandæ finitum fuit. Ergo dos eſſe amplius non potuit in perſonis heredum, ad quos ideo nec tranſeunt priuilegia omnia dotis, vt Bart. & alij tractant *ad l. 1. D. ſolut. matr.*

matr. Ratio igitur pacti adiuncta pacto, debet eam vim habere, vt pactum restringat ad Violandam, quæ sola fuit capax habendæ dotis, etiam post mortem quidem patris, si matrimonium adhuc durasset, *vt in l. Pompo-nius. 35. D. famil. erciſc.* at non post mortem suam. Potiúsque recedendum esset à propria significatione verborum præcedentium, quàm vt adiuncta dispositionis ratio violaretur: ex glos. Bart. & aliis *ad l. cùm pater. 77. §. dulciſſimis, per ill. text. de leg. 2.* Ias. *in l. planè. §. ſi eadem, num. 5. de legat. 1.*

Potiùs recedendum est à propria significatione verborum, quàm vt adiūcta dispositionis ratio violetur.

RESPONDERVNT nostri, nec malè, Causam dotis non fuisse causam limitatam supradictæ conuentionis, sed potiùs [*matrimonium,*] quod aliter contractum non fuisset, & quo semel contracto, non potest in irritum recidere conuentio, licèt matrimonium morte Violandæ finitum sit. Cùm non ideò irritum factum sit matrimonium, cuius effectus fuit perpetuus, & ex quo tam multi masculi descenderunt adhuc superstites: Itémque [*affinitatem,*] quæ per dictum matrimonium inter tantos Principes contrahebatur. Etiamsi ergo dos esse desierit per matrimonij solutionem; non ideo tamen verum esset cessare rationem pacti: quoniam ex pluribus causis vnam remanere sufficit, *vulg. §. affinitatis, & §. ſocrum, Inſt. de nupt. l. ſi non lex. 83. in princip.* vbi Bald. & alij, *D. de hered. inſtit.*

Nostrorum ad hanc obiectionem responsio.

Soluto matrimonio licèt dos esse desineret: non ideo tamen extinguerētur pacta dotalia.

SED nos dicimus præterea, & respondemus, Etiam finito matrimonio, dotem manere; non quidem vt retineat nomen dotis; sed tamen vt remaneat ei acquisita, cui fuerat iam constante matrimonio: nisi cum vel ex ratione iuris, vel ex pacto alij reddenda est, *l. licèt. 27. C. de iur. dot. l. ſi dotali. 48. D. ſolut. matr.* id est, marito, cui

Etiam finito matrimonio dos manet: eius scilicet cui primùm fuerit acquisita.

Dos datur marito eo animo & voto, vt penes eum perpetuò sit.

cui datur eo animo & voto, vt penes eum perpetuò remaneat, *l.1.D.de iur.dot.* liberis scilicet interuenientibus, *l.2.D.de pact.dotal.* quia & eo voto & fine contrahuntur matrimonia, vt liberi suscipiantur, ex quibus familia in æuum si fieri possit propagetur, vt ait *d. l. liberorum. 220.ff.vlt.de verb.signific.* Idque in proposita specie ita euenisse apparet, ex eo quod castra Lancei, Ciriaci, & Casellarum, quæ Comiti Aymoni purè data in dotem fuerant, etiam in ipsius hereditate remanserunt; ita vt hodie possideantur à Sereniss. Duce Sabaudiæ, tanquam herede tam dicti Aymonis, quàm dictæ Violandæ, & suorũ in directa linea prædecessorum: nec ob id minùs, quòd forte illo matrimonio dos esse desierit. Bona enim, quæ dotis tempore fuerunt dotalia, non idcirco aufferenda sunt marito, aut ipsius heredibus, quòd per mortem vxoris desierit maritus esse. Finitur enim nomen dotis, sed non ius dominij, quod ex ea causa marito, eiúsque heredibus & successoribus acquisitum est. Acquisitio namque ex causa dotis, cùm sit iusta & perpetua, transit etiam ad heredes quoslibet, sicut & cęterę, *toto tit.D.& C.solut.matrim.quemadm. dos petat.* quamuis non item fauor & priuilegia omnia dotis. Denique ratio nulla diuersitatis afferri potest inter tria illa castra & loca Marchionatus, quæ Violandæ nomine data purè fuerant in dotem, & reliquum totum Marchionatum, de quo nunc contenditur. Nam id agebatur proculdubio inter contrahentes, vt totus Marchionatus in dotem daretur: sed cum hac distinctione & differentia, quòd tria illa castra dabantur & tradebantur purè: totus verò reliquus Marchionatus non nisi sub condicione illa toties repetita, [*Si Theo-*

Castra Lancei, Ciriaci, & Casellarum eodẽ contractu data in dotem, quo & ipse Marchionatus, etiãnum à sereniss. Sabaudiæ Duce possidentur, tanquam herede & successore Violandæ. &

Soluto matrimonio, finitur nomen dotis; sed non ius dominij, quod marito ex causa dotis quęsitum est.

dori

dori lineam masculinam totam deficere cõtingeret.] Quæ condicio cùm tandem extiterit per mortem Io. Georgij vltimi masculi, fatendum est perinde esse debere, ac si totus Marchionatus in dotem ab initio purè datus fuisset. Verissimum enim est, quod suprà probauimus, posse dotem constitui sub condicione, non minùs quàm purè, *d.l. promittendo. 41. ff. si à debitore*, D. *de iur. dot.* & in tempus quo pater ipse dotem constituens moreretur, *l. pater. 76.* vbi est text. expressus in illis verbis, [*Nam & si in id tempus, quo ipse moreretur, promisisset, obligaretur,*] *eod. tit.* Quæ verba mirum in modum casui nostro conueniunt. Nam si Theodorus sine masculis decessisset, siue viua Violanda, siue iam ea mortua, qui vnus erat ex casibus in pacto comprehensis, & qui euenire facilè poterat, verum fuisset dicere, constitutam ab eo dotem in id tempus, quo ipse moreretur, quia eo moriente, & consequenter adhuc viuente, condicio extitisset, *l. vlt. D. de cond. instit. l. qui duos. 18. §. 1. de manum. testam.* quæ res proinde dotis dationem puram effeciisset, *d.l. potior. 11. qui potior. in pignor. hab.* Quid verò refert, an dos promittatur, aut constituatur sub condicione, an in diem mortis incertum, qui condicionem facit? Item quid interest an dies adiecta, an condicio adscripta sit personæ patris, an alterius cuiuslibet? In summa sufficit quandocunque extitisse condicionem: nec necesse est vt in vita constituentis existat, cùm quandocunque existens retrotrahenda sit ad tempus conuentionis, vt Interpretes loquuntur: aut potiùs, vt dicere soleo, nunquam dispositio condicionalis fuisse videatur, *d.l. potior. l. pe-*

Nulla differentiæ ratio est inter dotem purè datam, & eam quæ data est sub cõdicione, postquàm condicio extitit.

Potest dos constitui sub condicione, non minùs quàm purè.

Applicatio *l. pater. 76. D. de iur. dot.*

Potuit fieri, vt à Theodoro dos cõstituta & promissa videretur in id tempus, quo ipse moreretur.

Quandocũque existens condicio retrotrahitur ad tempus contractus, & facit contractum purum.

cuniam. 38. D. de reb. credit. l. cedere diem. 213. de verb. signific. Sufficit enim vt non conferatur dies, aut condicio in id tempus, quo non erit amplius matrimonium, licèt exactio dotis quoquomodo differatur, *l. Julianus. 20.* vbi est text. elegans *D. de iur. dot.* Textus alius est optimus *in d. l. vlt. §. 1.* in illis verbis: [*Quippe cùm si extiterit condicio, duæ purè sint institutiones.*] *D. de vulg. & pupill. substit.* & paullò ante: [*Sed si extiterit condicio, duæ purè sunt,*] *l. necessario. 8. vers. quod si pendente, D. de peric. & commod. rei vendit.* Neque hoc aduersarij ipsi negant, vt constat ex Bruno, *cons. 135. col. 8. vers. & licèt ista promissio Marchionatus*, Socin. Iun. *cons. 65. num. 58. vol. 1.*

Applicatio *l. Julianus. 20. D. de iur. dot. & l. vlt. §. 1. D. de vulg. & pupill. substit.*

Etiam spes sicut vendi & donari potest, ita etiã in dotem constitui.

ET verò si spes quoque & alea vendi potest, *l. nec emptio. 8. §. 1. D. de contr. empt. l. si iactum retis. 11. D. de action. empt.* itemque donari, *l. 3. C. de donat.* cur non etiam in dotem constitui? Solent etenim donatio & dotis datio pari passu ambulare, iisdemque iuris regulis contineri, *l. quisquis. 28. eod. tit. l. quoties. 15. C. de rei vindicat.* nisi quod dos semper fauorabilior est, ideóque præsumenda in dubio, *l. sed nisi. 8. l. dotem. 30. D. de iur. dot.* cùm è contrario donationis præsumptio sit odiosa, *l. cùm de indebito. 25. D. de probat.* Cùm autem dicimus spem in dotem dari posse, dupliciter intelligimus, siue spes aliqua sit, quam habuerat is qui constituit; putà si quid ei sub condicione debebatur, & ille ius hoc debiti in dotem dederit, quod totum in spe consistit, *l. condicionales. 54. de verb. signific.* siue pactum tale fecerit cum marito, vt ex eo spem aliquam habere maritus possit,

possit, quam constituens habere non poterat, vt in specie proposita. Et vtroque modo, intelligi posse dico, quod scriptum est, *in d.l.3.* [*Spem quoque donari, & proinde in dotem dari posse.*] Nam nec quicquam interest, an spes, quæ in dotem datur, à constituente ipso cœperit, an ab eo cui fit dotis constitutio. Porrò vtroque casu, cùm spes in dotem datur, aut donatur, aut venditur, id ipsum in dotem datum, aut donatum, aut venditum intelligi debet, quod spe continetur, si quando contingat existere diem vel condicionem, quæ sperabatur, *d.l. si iactum. 12. D. de act. empt.* Quomodo etiam dicimus, cùm res donatur, quæ fuerat in dotem data marito, donationem quidem rei non valere; sed tamen spem donatam intelligi, vt soluto matrimonio res donata peti possit, *l. constante. 21.* vbi Bald. notat, & ad eum Barbat. *in apostill. C. de donat.* Neque expectandum est vt hoc casu traditio rei in dotem datæ, vel donatæ, vel venditæ, vlla fiat; cùm hi omnes contractus, qui nihil nisi spem continent, dicantur fieri sine re, *d.l. nec emptio. §. 1.* ideóque nihil habent quod tradi possit: spem enim ipsam quomodo tradere quis posset?

Explicatio *l. 3. C. de donat. & l. constante. 21. eod.*

Contractus qui nihil nisi spem continent, dicuntur fieri sine re.

QVAMQVAM in proposito casu potest defendi, cùm totus Marchionatus, vt iam dixi, ab initio datus fuerit in dotem, partim purè, partim sub condicione: purè quidem quantùm ad castra Lancei, Ciriaci, & Castellarum: sub condicione verò quantùm ad cætera omnia bona, & iura dicti Marchionatus, posse sufficere traditionem realem factam dictorum trium castrorum pro toto Marchionatu transferendo in euentum condicionis: quemadmodum sufficit traditam fuisse glebam fundi, vt totus fundus traditus intelligatur;

Traditio trium castrorum Lancei, Ciriaci, & Castellarum, potuit sufficere pro traditione totius Marchionatus, in euentum condicionis, sub qua fuerat datus in dotem.

nec neceſſe eſt vt ſingulæ glebæ tradantur, aut vt nouus poſſeſſor omnes glebas fundi perambulet; ſed per adprehenſionem poſſeſſionis partis, cenſetur apprehenſa poſſeſſio totius fundi, etiam eius quod per alluuionem, *l.3.§.1.* vbi omnes notant, *D.de acq. poſſ.* Maximè verò, ſi reliquum tale ſit, cuius poſſeſſio adprehendi non poſſit, ſiue ex natura, quia fortè ſit incorporalis, & conſiſtat in iure: ſiue ex qualitate rei, puta quod ager ſit inundatus, aut à latronibus occupatus, vt *in l. cùm vnus.12.§. vlt.& l.ſeq. D. de reb. author. Iudic. poſſid.* Idque generaliter euenit, quoties non transfertur dominium, nec poſſeſſio, niſi ſub condicione, quod fieri poſſe iam ſæpius diximus, *ex l.qui abſenti.33. §.1. D. de acquir. poſſ.* Nec enim poteſt ſtatim & purè adprehendi & acquiri poſſeſſio, quæ non transfertur, niſi ſub condicione. Vnde videtur fluxiſſe, quod tradunt Interpretes, vt ſuprà diximus, Ex actu condicionali dominium transferri & acquiri ſine vlla traditione, *ex l. quoties.3.C. de donat. quæ ſub mod.* Vt quemadmodum condicio impedit, ne res tradi purè poſſit; ita facere debeat eueniens quandocunque, vt iam inde ab initio res tradita videatur. Probatúrque meo iudicio hæc ſententia multo meliùs *ex l.vlt.* quam tamen nemo ad hoc ponderat, *eod.tit.* in illis verbis: [*Tamen priùs marito defuncto, ſui iuris quocunque modo effecta, ad ſimilitudinem legati ita relicti rem donatam firmiter habere, vel vindicare poteſt.*] Habere, inquam, ſi iam teneat ex facta ei traditione: vindicare verò, ſi non teneat, licèt nunquam tranſlata in eam poſſeſſio ſit: (Id enim ſignificant verba illa: [*Non tenuit.*] Nec rurſus traditio, quæ fit ex cauſa condicionali, etiam dotis, transferre dominium

Per adprehenſionem poſſeſſionis partis, cenſetur adprehenſa poſſeſſio totius: maximè cùm reliquum tale eſt, cuius poſſeſſio adprehendi ſtatim non poſſit.

Nec poteſt ſtatim adprehendi & acquiri poſſeſſio, quę non transfertur niſi ſub condicione.

Applicatio *l. vlt.C.de donat. quæ ſub mod.*

minium ſtatim poteſt, *d.l.ſi ego.9.§.ſi res,D.de iur.dot.*) ſola ſcilicèt poteſtate condicionis euenientis. Nam & in legato idem contingeret, *l.2. D. de Public. in rem act. l. is cui via.11. §.1. D. quemadmo. ſeruit. amittat.* ad cuius legati ſimilitudinem hanc donationem capi, lex ait: Tametſi in ea ſpecie,quod magis mirum eſt, condicio, quæ ex verbis donationis debuerat impleri viuo patre, non niſi per ipſius mortem impleta fuiſſet. Condicio enim illa erat,[*Si filia intra biennium emancipa-retur,*]quæ tamen nunquam fuerat emancipata,ſed per mortem patris,ſui iuris effecta.Quamquam in caſu noſtro facta eſt traditio per clauſulam conſtituti relatam ad omnia bona dotalia,per indefinitam,quæ æquipollet vniuerſali. In quo numero etiam condicionaliter data continentur, cùm dos etiam condicionalis verè ſit dos,& traditio quælibet non minùs poſſit recipere condiciones, quàm ſtipulatio, *l.omnia.7.D.de reb.cred.d. l. qui abſenti.38.D.de acquir.poſſ.*Præſertim cùm addita ſint verba illa generaliſſima [*de ipſis & ſingulis eorum.*] Et paullò poſt:[*ipſiusq; D.Comitem in prædictis rebus dotalibus procuratorem & dominum conſtituit in rem ſuam,tanquam in rebus dotalibus.*] Deinde adiecit: [*vt ſuprà,*] ne quis poſſet dubitare, quin ea clauſula cõſtituti ad omnia ſupradicta eſſet referenda, ac proinde etiam ad dotem condicionalẽ:Dec.*conſ.304. nũm.1.*poſt Bart.ibi citatum.Quemadmodum & paullò poſt: [*Promittunt contrahentes omnia & ſingula ſupraſcripta rata,grata,& firma habere,cum iuramento:*]Non repetita tamen clauſula conſtituti, quòd viderent primam ſufficere. Accedit, quòd cùm Theo-

In caſu noſtro, facta fuit traditio etiã Marchionatus in dotem, ſub cõdicione dati per clauſulam conſtituti.

Clauſula conſtituti poſita in hoc contractu dotali,referenda eſt ad omnia præcedentia.

Cùm Theodorus de ſolis ca-

ſtris Lancei, Ciriaci, & Caſellarum loqui voluit, ea ſola ſpecialiter expreſſit.

dorus de ſolis caſtris Lancei, Ciriaci, & Caſellarum, in dotem purè datis loqui voluit, ea ſpecialiter expreſſit; nec generaliter de omnibus prædictis bonis dotalibus locutus eſt, vt in ſequēti clauſula, quæ ſic habet, [*Mãdans & præcipiens omnibus & ſingulis vaſallis & ſubditis dictorum locorum Lancei, Ciriaci, & Caſellarum, præſentibus & futuris.*] Quo loco non fuit facienda mentio reliqui Marchionatus; quia non dabatur in dotem, niſi ſub condicione, in cuius vſque euentum non erat mandandum ſubditis vt obedirent Comiti Sabaudiæ, in cuius ſolius fauorem adiecta erat clauſula conſtituti: quoniam marito, non filiæ traditio dotis & puræ, & conditionalis fieri debebat. Sed & obſeruandum eſt, quod initio clauſulæ conſtituti ſic ſcriptum eſt, [*prædicta in dotem aſſignata & data,*] vt omnia comprehenderentur. Aſſignatorum quidem nomine omnia, quæ purè data fuerant, cum certa deſignatione: Datorum verò, cætera generaliter, quæ non alia deſignatione data fuerant, quàm ſub nomine Marchionatus, & in caſum. Adde quod eadem clauſula conſtituti in ſimili pacto fuit appoſita in fauorem Philippi Principis Achaiæ, 1. Mart. 1325. ex cauſa donationis tantùm, & non dotis. Itaque pactum noſtrum fauorabilius eſt, & propter dotem, & quia factum cum maiore Principe. Neque conſtitutum hoc caſu eſt condicionale, ſed purum, vt æquipolleat puræ traditioni, quæ trãſferat dominium ſub cõdicione, vt in *d. l. 9. §. 1. de iur. dot.* licèt pactio eſſet condicionalis, ita vt nulla ſit opus alia traditione, ſed tantùm euentu condicionis: quod valdè notandum eſt, probaturque pereleganter & concludenter

Clauſula conſtituti fuit adiecta in fauorē ſolius Aymonis Comitis, non Violandæ.

Ponderatur quod clauſula conſtituti loquitur de bonis omnibus in dotem aſſignatis, & datis.

Eadem clauſula cõſtituti legitur poſita in alio contractu dotali, facto cũ Principe Achaiæ 1. Mart. 1325.

Conſtitutum æquipollet puræ traditioni, tum quoque cũ adhibitum eſt in pacto condicionali: quãuis nec dominium, nec poſſeſſionem trãſferat, niſi ſub condicione.

denter,non tantùm ex textu *d. l.9.§. 1.D. de iur.dot.* ſed etiam ex *l.2.§.ſi pecuniam,D.de donat.*vbi donatio ſimiliter erat condicionalis, ſed traditio pura, & ex qua dominium tranſlatum intelligitur ipſo iure, per euentum condicionis, licèt mortuo iam, vel furente donatore, condicio extiterit: quo tempore nec traditio noua ab eo facta quicquam valeret. In quo falluntur plerique Interpretum, exiſtimantes conſtitutum appoſitum in contractu condicionali æquipollere traditioni condicionali. Nam cùm æquipolleat veræ ac naturali traditioni, adeò vt transferat veram quoque & realem & actualem,licèt non corporalem,poſſeſſionem, *ex notat. in l.quod meo.18.D.de acquir.poſſ.* certum eſt traditionem corporalem,ſicut eſt meri facti,*l.cõſilio.7.§.vlt.D.de curat. furioſ.* ita non poſſe fieri ſub condicione, ſi reſpicias factum ipſum tradendi:quoniam facta omnia fiunt verè, naturaliter,& in re præſenti. Natura autem neſcit condiciones, nec quicquam facit ſub condicione: licèt effectus traditionis & alterius cuiuſlibet actus naturalis poſſit recipere condicionem; vt per traditionem quæ nunc fit, non tamen transferatur dominium, adeoque nec poſſeſſio,niſi exiſtente demùm condicione. Nimirum quia actus non operantur vltra intẽtionem agentium,*vulg.l.non omnis.19.D.de reb. credit. d.l.qui abſenti.38. de acq.poſſ.*

Applicatio *l.2. §. ſi pecuniã,D. de donat.*

ADFERRI etiam pro nobis poteſt, quod eleganter ſcriptum eſt à Paulo *in l.4.D.de iur.dot.*Si proprietati nudæ in dotem datæ vſusfructus acceſſerit, incrementum videri dotis,non nouam dotem: quemadmodum ſi quid alluuione acceſſiſſet. Et ſi enim caſus ille alius eſt,&

Applicatio *l.4. D.de iur.dot.*

est, & diuersus à nostro; similimam tamen habet iuris rationem. Nam quemadmodum in illo casu nuda proprietas in dotem data fuerat: ita & in nostro, nuda spes obtinendi Marchionatus, si condicio existeret, sub qua pro parte fuerat datus in dotem. Et quemadmodum ibi vsusfructus accesserat nudæ proprietati: ita & hîc per euentum condicionis, rei commodum & emolumentum accessit nudæ spei: & spes quæ ab initio erat sine re, *d.l. nec emptio. 8. ff. 1.* cœpit conuersa esse in rem quæ sperabatur. Et sicuti cùm ad nudam proprietatem accessit vsusfructus, neque nuda proprietas amplius vlla est, neque vllus vsusfructus, sed ex vtroque fit tertium quid omnino diuersum, id est, plena proprietas: Ita & in casu nostro, ex nuda spe condicionis implendæ, cùm impleta est condicio, fit tertium quid, quod neque spes est, neque condicio; sed pura acquisitio rei quæ sperabatur. Imò, si verum amamus, non solùm hæc alia dos non est; sed neque incrementum dotis: At ea dos ipsa, quæ data fuerat sub condicione, nunc demùm conuersa in dotem puram: cùm, vt dixi, spes nihil aliud sit in effectu, id est, si quando effectum habeat, quàm illa ipsa res, quam sperabamus: cùm tamen nemo dixerit nudam proprietatem, quæ in dotem data fuit, videri esse plenam ex post-facto proprietatem. Ideoque fatendum est, augeri dotem in illa specie, non etiam in nostra: quia, quod in instrumento scriptum est, [*in augmentum & ex causa dotis,*] sic intelligi debet in augmentum dotis, quæ purè constituta fuerat in tribus illis castris Lancei, Ciriaci, & Casellarum: sed non ita, vt hæc reliqua dos sub condicione cõstituta augeatur per euentum condicionis. Eadem enim dos illa est quæ

Definit esse nuda spes, cùm conuertitur in rem, quæ sperabatur.

Impleta condicione dotis condicionalis, neq; noua dos est, neque incrementũ dotis; sed illa ipsa dos, quæ sub condicione data fuerat, nunc cõuersa in puram.

Quis sit sensus eorum verborum, [*in augmentum & ex causa dotis*]

priùs

priùs fuerat conſtituta condicionaliter: ſed hodie pura per euentum condicionis, & cõuerſionem ſpei in commodum & emolumentum ſperatum. Deniq; augmentum eſt dotis, ſed factum à patre, non à lege, aut ab euentu aliquo condicionis. Euentus condicionis nec fecit dotem, nec auxit; ſed ſpei, quæ in dotem data purè fuerat, commodum attulit, vt illud ipſum commodum, quaſi in locum ſpei ſubſtitutum, æquè doti purè eſſet. Et ſanè non aliter poteſt conuentio noſtra accipi, quàm ſi ſcriptum eſſet, vt donec aliquis maſculus ſupereſſet, totus reliquus Marchionatus ad maſculos ſolos, non ad Violandam perueniret. Quid enim referre poterat an ita ſcriberent contrahentes: an quomodo ſcriptum eſt? Atqui dictio, [donec,] temporis limitationem denotat: Gloſ. *in Clem. 1. in verb. donec, de cenſib.* Bart. *in l. antiquitatem. C. de vſuf.* & quando apponitur poſt conceſſionem alicuius rei, tũc importat condicionem extinctiuam ipſo iure præcedentis diſpoſitionis, *l. 4. D. de ſeruit.* Bart. *in l. 1. num. 15. de cond. & demon.* Surd. qui multos citat, *conſ. 439. num. 10.* Ergo & in noſtro caſu dicendum eſt, per euentum condicionis extinctum fuiſſe ipſo iure ius omne maſculorum, & purè confirmatum ius Violandæ, quaſi in præteritum dato purè in dotem Marchionatu.

Euentus condicionis, in caſu noſtro, nec fecit dotẽ, nec auxit, quæ iam aucta & conſtituta fuerat à patre.

De ſenſu & poteſtate dictionis, *donec.*

In caſu noſtro, per euẽtũ condicionis extinctum fuit ipſo iure ius omne maſculorum, & purè confirmatum ius Violandæ.

FACIT etiam valdè pro noſtra ſentẽtia quod Paulus adiicit: [*Quemadmodum ſi quid alluuione acceſſiſſet.*] Certum enim eſt alluuionem adcreſcere rei, non perſonæ, *l. ſi Titio. 33. in fin. D. de vſufr.* Ergo quemadmodum in ſpecie *d. l. 4.* vſusfructus adcreſcit nudæ proprietati, quę in dotem data fuerat, ideoque dotis incrementum eſſe creditur: Ita & in propoſito dicendum eſt, Impleta

Applicatio eius quod ſcriptum eſt *in d. l. 4. D. de iur. dot.* [*Quemadmodũ ſi quid alluuione acceſſiſſet.*]

Tot⁹ Marchionatus, qui non

nisi sub condicione datus in dotem fuerat, accessit per euentum condicionis velut alluuio, puræ cõstitutioni dotis.

condicione, quæ spem commutauit in rem ipsam, totum Marchionatum, qui non nisi sub condicione datus fuerat in dotem, accessisse velut alluuionem alteri portioni dotis purè constitutæ: & ideo tam dominij, quàm possessionis iure intelligi acquisitum Violandæ, & eius successoribus, ac si iam tum purè in dotem datus

Nulla hîc opus est adprehensione noua possessionis, nulla acquisitione noua dominij.

fuisset: vt proinde nulla sit opus noua adprehensione possessionis, nulla acquisitione noua dominij. Quamquam in proposita specie, hoc amplius est, quod cùm tractemus de contractu inito non solùm à Principe; sed etiam inter Principes iura imperij habentes, qui legis vicem obtinere debeat, *ex l. donationes. 26. C. de donat. int. vir. & vxor.* potuerit dominium ex eo transferri sine vlla traditione, & ipso iure, perinde atque ex lege, *l. 2. D. de Public. in rem act. l. cùm heredes. 23. D. de acq. poss. ff. l. legatum. 80. de legat. 2. l. à Titio. 64. D. de furt.* Præsertim cùm ex verbis illis pacti: [*sint & esse debeant pleno iure,*] appareat manifestissimè hanc fuisse Principum voluntatem: ac si esset adiecta clausula, [*ex nunc, prout ex tunc:*] quomodo reperitur adiecta in contractu inito cum Philippo Principe Achaiæ, anno 1325. 1. Martij. Vbi etiam vocatur hæc donatio pura, licèt facta esset in casum deficiẽtium Ioannis liberorum legitimorum. Condicio enim fuit, [*Si moreretur ille sine legitimis heredibus, ex eo descendentibus: Vel se transferret ad partes transmarinas, ibi continuò cõmoraturus.*] Sed & dicta donatio non modò continet totum Marchionatum, sed etiam omnia loca cismarina, quæ possidebat Theodorus, quocunque loco existentia. Rursus obseruandum est, in eodem pacto adiectum esse in condi

Explicantur & põderãtur verba illa: [*sint & esse debeant pleno iure.*]

Volũtas Theodori colligitur etiam ex pacto inito cum Philippo Principe Achaiæ, anno 1325. die 1. Martij.

Donatio facta Philippo Principi Achaię cõtinet totum Marchionatũ, & omnia loca cismarina, quę Theodorus possidebat.

condicione,[*Nullis aliis filiis masculis legitimis & naturalibus ipsius Marchionis & succedentibus eidem in ipso Marchionatu Montisferrati.*]Item, quòd illud quoque pactum fuit factum per verba directa,non per viam succedendi.Habet enim,[*Quòd d. Violanda & successores, & sui ex causa donationis, & per pactum habeant,teneant, possideant,& quasi iam d. Marchionatum, &c.*] Et paullò post: [*Faciens idem D.Marchio de prædictis,&c. in casibus prænotatis,& ex nunc,prout ex tunc,donationem puram, meram, simplicem,& irreuocabilem, ad præsens & inter viuos: Tali modo quòd ipsa Violanda & successores eius, & ab ea causam habituri in casibus prædictis,teneant & possideant,& quasi iam dicta omnia & singula ex causa prædicta, absque contradictione ipsius Marchionis, & causam habentium ab eodem.*] Clausula verò constituti in eo instrumento concepta est iisdem penè verbis,quibus nostra, nisi quòd nulla bonorum dotalium fit mentio:neque illius clausulæ[*ex nunc, prout ex tunc,*] cuius non est vsus necessarius,nisi cùm obligatio nascitur ex die,qui sit incertus obligationi: non autem cùm sub condicione; quia condicio quælibet sui natura retrotrahitur ad tempus contractus in præiudicium contrahẽtis,aut successorum eius.Imò verò etiam in præiudicium iuris tertij,si condicio sit casualis,vel mixta; tametsi posita sit in cõstituti clausula,*Desi.1.in Cod.nostro, qui potior.in pign.hab.desi.4.C.de pact.pign.*Dec.*cons.247.n. 3. & 4.* post.Bart.*ad l.quoties. 14.D.de nouat.* Præter id

Verba condicionis pacti.

Pactum initũ cum Principe Achaię factum fuit per verba directa nõ per viã succedendi.

Clausula constituti in vtroque instrumẽto iisdem penè verbis concepta est.

Quam vim habeat clausula,[*ex nũc,prout ex tunc,*]& quẽ vsum.

quod cùm Margareta fuerit ex heredibus Theodori, non potuit impedire, quominùs ex facto Theodori dotis dominium, etiam quod aliquando ipse habuisset, ad Violandam, eiusque successores ipso iure pertineret: per textum, quem sępius iam citauimus, & ad hoc ponderauimus, *in d.l. si ego. 9. §. si res, D. de iur. dot.* ad quem textum nihil fingi iudicio nostro potest, quod aduersarij respondere possint.

Tota hæc quæstio deciditur pro nobis, per textum in terminis, *in l. si ego. 9. §. si res, D. de iur. dot.*

Quàm malè Margareta in possessorio cõtenderit coram Cæsare, & obtinuerit.

EX quo apparet, vt hoc etiam obiter moneamus, quàm malè, nulloque iure, quod salua Cesareæ sententiæ dignitate dictum sit, Margareta in possessorio contenderit, & obtinuerit. Nam cùm interdicto *quorum bonorum* ageret, certum est debuisse illam probare, Marchionatum fuisse in bonis relictis, & repertis in hereditate vltimi masculi, *ex l. 1. C. quor. bonor.* & similiter relictis in hereditate defuncti, vt vtrobique DD. notant. Atqui Marchionatus non mãsit in bonis & hereditate Io. Georgij, cùm eo viuo, id est, in instanti mortis ipsius, & statim atque certum esse cœpit mori Io. Georgium sine masculis, extitit condicio pacti, & dominium retrofingitur acquisitum fuisse Violandæ, & Aymoni, tanquam ex constitutione pura. Nec nouum est, vt dominium, quod quis habuit, ab eo discedat & abeat per euentum alicuius condicionis, sine vlla traditione, vt probatur *ex l. non ideo. 66. de rei vindic. d.l. is cui. 11. §. vlt. D. si seruit. vindic. cum similibus.* Ergo quamuis masculi ex Theodoro descẽdentes fuerint domini Marchionatus quandiu vixerunt, cùm tamen extitit condicio per defectum vltimi masculi, id est, ex quo per rerum naturam certum esse cœpit nullum masculum ex ea Paleologo

Marchionatus non mansit in bonis & hereditate Io. Georgij vltimi masculi, cũ eo moriente extiterit condicio, quæ dotalem Marchionatus constitutionẽ fecerat condicionalem, & cuius euentus puram eam fecit.

Dominium ꝙ quis habuit, potest ab eo abire per euentum solum cõdicionis sine vlla traditione.

Dominium Marchionatus

logorum linea ſuperfuturum, abiit & diſceſſit dominium ab vltimo illo maſculo, & acquiſitum fuiſſe intelligitur, tanquam ex pura conſtitutione dotis, Violandæ, & eius omnibus ſucceſſoribus, non minùs, quàm ſi ea adhuc viua, nulliſque maſculis vnquam ſuſceptis Theodorus deceſſiſſet, dato priùs in dotem Marchionatu ſub condicione illa, ſi ſine maſculis moreretur. Nã quid intererat an facta eſſet pactio, eo tẽpore, quo nulli fuiſſent maſculi, & tamen naſci aliqui potuiſſent: an eo tempore, quo adeſſent maſculi, ſed qui poterant, aut eorum maſculi decedere ſine maſculis, cùm facta ſit pactio in caſum deficientium omnium maſculorum?

intelligitur receſſiſſe ab vltimo maſculo, ſtatim atq; certum eſſe cœpit illum ſine maſculis morituru.

Nihil intereſt an facta ſit dotis conſtitutio, nullis adhuc exiſtentib. maſculis: an in caſum deficientium maſculorum, ſi qui aliquando extitiſſent.

Et ex hoc illud etiam intelligimus, quàm parui ponderis ſit ratio, quam aduerſarij ducunt ex eo quod conuênit, vt Marchionatus in caſum deficiẽtium maſculorum eſſet Violandæ & eius ſucceſſorum, ſupponẽtes nunquam fuiſſe Violandæ, ideoque nec poſſe ad ſucceſſores pertinere. Nam præter id quod mala eſſet conſecutio, etiamſi præſuppoſitum antecedens verum eſſet, vt oſtendimus in præcedentibus: illud etiam falſiſſimum eſt, quod illi ſupponunt pro vero, Marchionatum hunc nunquam Violandæ fuiſſe videri poſſe, ob id quòd condicio pacti non niſi poſt eius mortem euenerit. Non enim quo tempore condicio euenerit inſpiciendum eſt; ſed quo tempore diſpoſitio & conuẽtio illa condicionalis facta ſit, vt ſciatur quonam demùm tempore dominium Marchionatus ex cauſa dotis ad Violandam peruenerit. Quia exiſtente quandocunque condicione, diſpoſitio non amplius conſideratur tanquam condicionalis, ſed tanquam quæ ab

Errore aduerſariorum in eo, quod ſupponũt Marchionatũ nunquam fuiſſe Violandæ.

Exiſtente condicione diſpoſitionis condicionalis, diſpoſitio non conſideratur am-

Plius vt condicionalis, sed vt ab initio pura.

initio fuerit pura, *d.l. potior. 11. D. qui potior. in pignor. habeant. & l. vlt. §. 1. de vulg. & pupill. substit.* Et nihil interest inter dispositionem puram, & quandocunque purificatam. Ob quam causam iuris regula est, in dispositionibus condicionalibus inter viuos, inspiciendum esse tempus contractus non euenientis condicionis; quamuis secus sit in legatis & vltimis voluntatibus, *l. si filiusfamilias. 78. D. de verb. oblig. l. quæ legata. 18. l. non omne. 144. §. 1. de regul. iur.* Nec verendum est, vt ideò videatur fuisse eiusdem Marchionatus dominium duorum in solidum. Nam in pendenti potiùs dominium fuisse dicendum est hoc casu, vt & in aliis plerisque iuris partibus, vt ex postfacto retro id fuisse, aut non fuisse masculorum dicamus, vt Tryphoninus loquitur, *in l. de hereditate. 19. §. pater, vers. quid autem, D. de castr. pecul. l. quædam. 15. D. de reb. dub. l. si tibi homo. 86. §. cùm seruus, de leg. 1.* Verumtamen est interim, id est, pendente condicione dotalis constitutionis, dominium Marchionatus fuisse masculorum ex Theodoro descendentium: sed cum sua causa, id est, ita vt existente condicione nunquam in ipsorum dominio, adeóque nec in Theodori hereditate, imò nec in bonis ipsius, ex die constitutionis fuisse videantur. Quomodo in re legata sub condicione scribit Vlp. *in l. & post litem. 12. §. res quæ, D. famil. erciscund.* & Caius, *in l. generaliter. 29. §. 1. D. qui & à quib. manum.* Vbi ait sub condicione legatum seruum, pendente condicione, pleno iure heredis esse; sed interim tamen libertatem nullam consequi posse, ne fieret iniuria legatario, si quandocunque condicio euenire. Nempe quia libertas, quæ semel competiisset, reuocari postea nunquam posset, *§. si is qui, Inst. de eo cui libert.*

In contractibus inspicimus tempus cõtractus, nõ autem euenientis cõdicionis: licèt secus sit in legatis.

Rerum dominia possunt esse in pendenti, & sunt in plerisq; casibus.

Per legata sub condicione interim pleno iure est heredis, sed ita vt existente quandocunque postea cõdicione, nũquam eius fuisse videatur; sed ab initio, & sẽper retrofingãtur fuisse legatarij.

Ratio diuersitatis inter da-

libert. cauſ. bon. addic. At cæterarum alienationum alia ratio eſt, quia ex poſtfacto irritari poſſunt, & pro infectis haberi. Quod ſignificat ſatis *l. plerumque. 205. de reg.iur.* Cuius exemplum elegans eſt apud Marcellum, *in d.l.is cui.11.§.vlt.D. quemadm.ſeruit. amitt.* Vbi ait: Si heres, cùm legatus eſſet alicui fundus ſub condicione, impoſuerit ei ſeruitutes, extingui eas, & quidem ipſo iure, ſi legati condicio extiterit tanquam ab eo impoſitas, qui nunquam eius fundi dominus fuiſſe intelligatur, in præiudicium legatarij, qui iam inde à tempore mortis teſtatoris dominus legati fuiſſe retrofingitur, quandocunque condicio extiterit. Nec aliud eſſet, etiamſi legatarius ante condicionis euentum deceſſiſſet, ſi legatum condicionale tranſmitti perinde poſſet, atque certum eſt ſtipulationem condicionalem tranſmitti, *d.§.ex condicionali, Inſt.de verb. oblig. l.is cui. 42. de oblig.& action.* De quo eſt textus elegans, *in d.l. neceſſario. 8.* in illis verbis: [*Quòd ſi pendente condicione emptor, vel venditor deceſſerit, conſtat, ſi extiterit condicio, heredes quoque obligatos eſſe, quaſi iam contracta emptione, in præteritum.*] Nec potuit quicquam à I. C. ſcribi accommodatius ad rem noſtrã. Adde alium textum, *in l.ſi quis ſi Titius.57. de verb.oblig.* vbi Bart. & alij. Nam & contrahentes poſſunt facere, vt tùm quoque cùm condicio habet adnexum certum tempus, quod ſui natura retrotrahi non poteſt, tamen retrotrahatur ad tempus præteritum, *l. ſi ita ſtipulatus fuero. 126. in princ. D. de verb. oblig.* Et tamen ſubiungit Marcellus *in d.§.vlt. l.is cui. 11.D.quemadm.ſeruit.amitt.* ſi heres pendente legati condicione ſeruitutes aliquas fundo

tionem libertatis, & cæteras alienationes.

Applicatio *l. plerumque.205. de regul.iur. & l.is cui.11.§.vlt. quemadm. ſeruit. amitt.*

De ſeruitutibus impoſitis ab herede, pendente condicione legati.

Legatum condicionale non tranſmittitur ad heredem: ſtipulatio condicionalis trãsmittitur.

Applicatio *l. neceſſario. 8. D. de hered. vel act. vendit.* accõmodatiſſimè ad caſum noſtrum. Et *l. ſi quis ſi Titius. 57. de verb. o. leg. & l.ſi ita ſtipulatus fuero.126.in princ. eod.*

Contrahentes poſſunt facere vt rum quoque cum condicio habet adnexũ certũ tempus, quod retrotrahi nõ poteſt: tamen retrotrahatur ipſa ad tempus præteritum.

fundo legato acquisiuerit, sequi eas legatarium: scilicet quia verum est fuisse illas acquisitas ab eo, qui interim dominus erat pleno iure. Et quamuis postea existente legati condicione retrofingatur nunquam fuisse dominus, vt diximus; id tamen ius ita constitutum est fauore legatarij, ne iniuria ei fiat, si interim permittatur heredi, tanquam domino, de re legata pro arbitrio disponere: Non autem vt legatarij condicio deterior ob id esse debeat; quomodo esset, si seruitutes fundo legato acquisitæ per heredem, non sequerentur legatarium. Et quamuis non possint dominia acquiri ad tempus; potest tamen in suspenso manere, cui potiùs ex pluribus personis acquisita videri debeant in perpetuum, id est, cuius fuisse toto tempore præterito videantur. Quod cùm euênit, interim tamen dominium alicuius esse necesse est: at non ideo ad tempus, sed ita vt si condicio eueniat, neque interim eius vnquam fuisse videatur. Et ita hæc tota quæstio subtilis alioquin & difficilis omnino explicanda est, vt scripsimus in Rationalibus ad *d. §. vlt. & d. §. res quæ.* Verum est igitur dicere, Marchionatum, ex quo impleta condicio est, retrofingi iam inde fuisse Violandæ à die contractus, licèt condicio non nisi longo post ipsius mortem interuallo extiterit. Ioannem autem filium Theodori, adeóque Theodorum ipsum ex die contractus dotalis, Marchionem nunquam fuisse videri, licèt interim reuerà fuerit. Actus enim viuentium faciliùs quá morientiũ suspendi possunt, *l. vlt. in fin. D. commun. præd. l. per fundũ. 11. de ser. rustic. præd. l. proinde. 5. cum præced. de reb. cred.* Iunge fictiones legis Corneliæ, & postliminij, *l. illa institutio. 32. §. 1. D. de hered. instit. l. penult. D. de suis & legit.*

Cur seruitutes acquisitæ per heredem fundo legato sub condicione, sequantur legatarium.

Dominia licèt non possint acquiri ad tempus, in suspenso tamen manere possunt.

Marchionatus retrofingitur fuisse Violandæ, iam ex die cõtractus, postquam semel condicio extitit.

In fictionibus legis Corneliæ & postliminii idem cõtingit.

legit. Fuerunt autem hæc pluribus explicanda, quia in hoc vno præcipuus difficultatis nodus consistit.

vt omnia inæ-rim rerum do-minia in iure maneant in su-spenso.

SVPEREST sexta & vltima exceptio, qua potissimùm nituntur aduersarij, vt pacti huius dotalis, de quo nos hucusque tam multa scripsimus, vim & potestatem elidant. Aiunt enim fuisse conuentionem illam reuocatam ex concessionibus & inuestituris Imperatorum subsecutis, scilicet Caroli IV. Federici III. Maximiliani I. & Caroli V. per quas, ex certa scientia, motu proprio, & de plenitudine potestatis factas, derogatum est expressim omnibus in contrarium facientibus.

Sexta & vltima exceptio Mãtuanorum, ex posterioribus concessionibus, & inuestituris Imperatorum Caroli IV. Federici III. Maximiliani I. & Caroli V. quasi per eas derogatum sit prioribus, quæ faciebant pro Serenissi. Duce Sabaudiæ.

VERVM esse hanc exceptionem omnium leuissimam & infirmissimam, præter id quod ex iis, quæ diximus, iam apparet satis, etiam ex iis, quæ dicenda superfuns, manifestissimè apparebit. Respondemus vno verbo, per supradictas omnes inuestituras neque derogatum fuisse pacto nostro dotali, neque derogari vllo modo potuisse. Alterutrum ad litis victoriam probasse sufficeret, sed nos vtrumque probabimus.

Exceptio ista omnium leuissima.

Responsio duplex.

ET quidem iam in præcedentibus luculentissimè à nobis ostensum est, Ius quod ex supradicto dotali pacto quæsitum Violandæ fuerat, & Aymoni Comiti & eorum successoribus, neque per subsequentes Imperatorum concessiones, inauditis, & non vocatis iis, factas potuisse ipsis adimi, tanquam quæ sint posteriores iure iis quæsito, *ex l. vlt. D. de pact.* & vulgatibus regulis iuris, quas hîc repetere nil est necesse. Proinde tota hæc quæstio in eo vno posita videtur, vt sciamus, An valuerit illa pactio: & an ex ea ius quæsitum

Non potuisse per posteriores concessiones Imperatorum derogari iuri iam quæsito ex pacto dotali.

Status totius huius causę pẽdet ex validitate, aut inualiditate pacti do-

ralis, de quo hucusque tam multa.

fuerit Violandæ, & Aymoni, eorumque successoribus, & quidem tale, quale hodie à Serenis. Sabaudiæ Duce prætenditur? An non? Si enim verum est, vt est, fuisse illis acquisitum ius, non actionis tantùm personalis, sed dominij ex causa constitutionis dotalis, in Marchionatu toto Montisferrati, in casum deficientis lineæ masculinæ; prorsus consequens est, vt nec in ipsius Theodori potestate fuerit deteriorem facere dotis condicionem. *l. cùm dos. 7. l. Attilicinus. 17. & pass. D. de pact. dotal.* Quanto minùs in potestate heredum ipsius, qui neque factum eius impugnare potuerunt, cùm ei heredes extiterint, *vulg. l. cùm à matre. 14. de rei vindic. l. venditrici. 3. C. de reb. alien. non alienand.* Neque in bonis, aut hereditate eius reperire, quod ipse iam inter viuos sub condicione alienauerat; quamuis condicio nondum extitisset, cùm tandem postea extiterit, *d. l. necessariò. 8. vers. quod si pendente, D. de peric. & commod. rei vendit.* Etsi enim Marchionatus interim ipsorum fuit, vt diximus, & quidem iure hereditario, fuit tamen cum sua causa, vt fieri solent omnes alienationes, tam quæ inter viuos fiunt, quàm quæ in vltima voluntate, *d. l. & post item. 12. §. res quæ, D. famil. ercisc. l. alienatio. 67. D. de contr. empt. l. mit. C. rem alien. gerent. non interd. rer. suar. alien.* Id est ita vti quando contingeret condicionem pacti existere, nunquam eorum fuisse videretur, *d. §. res quæ, & d. l. is cui. 11. §. vlt. D. quemadm. ser. amit.* Quemadmodum contingeret, si Theodorus testamento suo & extra contractum dotalem Violandæ filiæ suæ Marchionatum legasset sub eadem illa condicione, [*Si lineam masculinam Paleologam deficere quandoque contingeret*

Nec Theodorus ipse potuit ex interuallo deteriorem facere dotis à se constitutæ cõdicionem: heredes autem ipsius multo minùs.

Alienationes omnes tam inter viuos, quàm in vltima volũtate, semper fiunt cum sua causa.

Si Theodorus in testamento legasset Marchionatũ Violandæ, aut Aymoni Comiti, sub condicione deficientis lineæ Palcologorum, hoc ad-

tingeret: (hoc tamen addito, vt legatum huiusmodi etiam ad heredes ipsius transire posset: (alioqui legatum condicionale præmoriente legatario interciderit, vt diximus.) Cur enim deterior condicio sit Violandæ, ob id solùm, quòd ius habeat quæsitum ex constitutione dotali ab initio quidem condicionali, sed quæ tamen post impletam condicionem retrofingatur fuisse pura, vt probauimus: constat enim potentius esse ius, quod acquiritur ex contractu, quàm quod ex testamento, & alia specie qualibet vltimæ voluntatis, *d. l. is cui. 42.* vbi omnes notant, *de oblig. & action.* Nec sanè potuerunt contrahentes apertiùs exprimere velle se, vt existens condicio quandocunque retrotraheretur ad tempus contractus, quàm conueniendo, vt quandocunque lineam masculinam deficere cõtingeret, quod non nisi post multa secula euenturum, aut saltem euenire posse credebatur; Marchionatus tamen ad Violandam pertineret ex causa dotis, & ex eius persona ad ipsius successores: vt *in l. si ita stipulatus. 126. in princip.* quam suprà ad hoc citauimus, & quæ accommodatissima est, *D. de verb. oblig.*

dito, vt legatũ quamuis condicionale, esset transmissibile, & postea condicio extitisset, quid iuris foret?

Non debet esse deterior cõdicio pacti dotalis, quod sui natura transmissibile est, quàm legati transmissibilis.

Non potuerũt contrahentes meliùs exprimere, quòd vellent condicionẽ pacti huius dotalis quandocunque contingentem retrotrahi ad diẽ pacti.

QVOD si neque Theodorus, neque liberi eius masculi pactum illud dotale infringere vlla ratione potuerunt: (& verò nec posse voluerũt, nec velle potuerunt,) quis credat Imperatores tam pios, tam iustos, & erga Serenissimam Ducum Sabaudiæ familiam semper tam benè affectos, tale quid contra successores Aymonis Comitis & dictæ Violandæ tentare aut voluisse, aut potuisse? Notissima sunt omnia illa, & Prudentum non minùs quàm Interpretum axiomata, Principem nunquam velle derogare iuri tertij, vt nil sit necesse ad

De Imperatorum erga Duces Sabaudiæ voluntate non malè suspicandum est.

Nunquam censetur Princeps velle derogare iuri tertij.

aliam illam quæstionem, quæ scrupulosior est, recurrere, an possit? *l. 2. §. meritò, & §. si quis à Principe, D. ne quid in loc. public. l. nec auus. 4. C. de emancip. liber. l. ex facto. 43. de vulg. & pupill. substit.* Præsupponimus autem valuisse pactum Theodori etiam in præiudicium Imperatoris, quamuis irrequisito eo factum fuerit; quia feudum erat improprium & alienabile in quamcunque personam quantumlibet extraneam, remota cuiuslibet contradictione: quanto magis in personas prioribus inuestituris comprehensas?

Feudum hoc tanquã improprium & alienabile potuit alienari, etiam irrequisito Imperatore.

FRVSTRA ergo est quærere, an per inuestituram Caroli IV. concessam Ioanni filio Theodori, fuerit alterata natura feudi, quæ fuerat tempore Theodori: cùm etiamsi maximè illud voluisset Carolus IV. alterare, & potuisset; non tamen potuisset in præiudicium iuris quæsiti Violandæ, & eius successoribus: præsertim cùm de eo pacto nihil dictum & expositum fuisset Imperatori, qui probabiliter illud ignorabat. Quando nec Imperator, nec alius Princeps quilibet præsumatur ea scire quæ sunt facti alieni, quoties tale factum est, quod etiam ignorante Imperatore fieri potuerit. Vnde est quod quisquis obrepsit, aut subrepsit Principi, tacendo verum, aut exprimendo falsum, carere debeat impetratis, *l. 2. 3. & pen. C. si contr. ius, vel vtilit. public. l. vlt. C. de diuers. rescript.* Prius enim est vt Carolus IV. cæteríque Imperatores sciuerint ius Violandæ, quàm vt ei derogare voluerint: cùm vt Philosophi solent dicere, voluntas non feratur in incognitum, *l. mater decedens. 19. D. de inoff. testam. l. Clodius. 97. D. de acquir. hered.* Atque ita liberalitatem captiosam Principum, interpretatio Prudentum frangere debet; multo magis quam

Non potuisset Imper. Carolus IV. etiamsi voluisset, derogare iuri quæsito Violãdę & Comiti Aymoni, ex pacto dotali, præsertim q̃ ignorabat.

Non præsumitur Princeps ea scire, quæ sunt facti alieni.

Voluntas non fertur in incognitum.

Captiosã Principum liberalitatẽ, interpre-

quàm priuatorum illam, de qua *in l. cùm Aquiliana. 5. D. de transact.* Semper namque sic interpretanda sunt rescripta Principum, vt nihil absurdi, aut iniqui contineant, *d. l. ex facto. 43. de vulg. & pupill. substit. l. Paulus notat. 8. D. de Prætor. stipulat.* tatio Prudentum debet frãgere.

NEQVE contrarium euincere possunt vulgares illæ clausulæ, quæ in dictis cõcessionibus & inuestituris additæ reperiuntur, ex stilo Secretariorũ Imperatoris potiùs, quã ex eius mãdato, & volũtate, [Motuproprio, Ex certa scientia, De plenitudine potestatis,] quas aduersarij ponderant, & tanti faciunt, ad eam vim ipsis tribuẽdam, vt possint tollere ius quæsitum tertio, etiam quod Imperator ignorauit. Habeant enim, si cum Interpretibus voles, eam authoritatem, vt omne vicium obreptionis & subreptionis tollere debeant, propter quod mendax precator deberet carere impetratis: hanc certè nunquam habere poterunt, vt iniquitatis exprobrationem possint delere, aut impedire. Est enim hoc multo difficilius, cùm siue omissio veritatis, siue falsitatis expressio, sicut personã duntaxat impetrantis afficit, & impetrationem inficit; ita sanari facilè possit ex mera Principis voluntate ac liberalitate. At ius tertio quæsitum aufferri ei non potest, quin manifesta ipsi fiat iniuria, quam certè nunquam æquum est à Principe proficisci, à quo iura nascuntur, *l. meminerint. 6. C. vnde vi*, & à quo quidquid fit, toto iure teste fieri dicitur, *l. omnium. 19. C. de testam.* Qui denique voluntates hominum audire tantùm vult, non iubere, vt ait eadem *l. omnium.* Respondio ad vulgares illas clausulas, quæ ex stilo Curiæ apponi solent in omnibus rescriptis Imperatorum.

Clausulæ, *motu proprio*, & aliæ similes vicium obreptionis tollere fortassis possunt: at iniquitatẽ rescripti delere non possunt.

Non debet iniuria proficisci à Principe, à quo iura ipsa nascuntur.

ET si autem generaliter hoc verum est; maximè tamen obtinet, cùm de inuestitura per Imperatorem, aut Inuestitura facta per Imperatorem, aut

alium supremũ Principẽ, censeri semper debet facta, saluis iuribus alienis.

alium supremum Principem facta tractamus, vt semper censeatur facta saluis iuribus alienis: quia cùm feudum sit beneficium, & species quædam donationis, certum est de aliena re inuestituram fieri nullo modo posse, *tit. 8. de inuestit. de re alien. fact. lib. 2.* vbi dicitur non solùm de re aliena fieri inuestituram non posse; sed neque de re alij obligata. Et rursum, in eo quidem qui fuit inuestitus, distinguendum esse an sciuerit, an ignorauerit: vt sciatur, an de euictione agere possit, necne. Sed in persona concedentis nullam esse adhibendam distinctionem, quia siue sciuerit, siue ignorauerit, inuestitura nullius est momenti: nẽpe quia beneficio iuuari quẽq; oportet, non decipi, *l. in commodato. 18. §. sicut, D. commod.* Deciperetur autem is cui facta esset inuestitura de re aliena, vel alij obligata, quia potest dominus, aut creditor eam euincere, *d. tit. 8.* Sicut & is cuius ignorantis res alicui donata est, *l. si filius. 14. l. si patri. 24. C. de donat.* Imò est deterior condicio inuestientis, quàm donantis: quoniam qui inuestiuit de re aliena ignorantem, tenetur de euictione, siue sciuerit ipse, siue ignorauerit, *d. tit. 8. de inuest. de re alien. fact.* Non etiam donator, *l. ad res donatas. 62. D. de ædilit. Edict.* nisi sit in dolo, *l. 1. C. de iur. dot.* vel nisi per stipulationem de euictione se obligauerit, *l. 2. C. de euict.* Rursum species lucri illiciti est, ne dicam furti, ex alieno largiri & acquirere sibi beneficij alicuius debitorem, *l. si pignore. 54. §. 1. D. de furt.* Adde textum in *cap. 1. qui succeſſ. teneant.* ibi, [*Non valet habita inuestitura*] Paul. de Castr. in terminis, *cons. 290. incip. Supraſcripta facti narratione, col. 1. lib. 2.* vbi allegat *cap. 1. de cleric. qui inuest. accep. & tit. 91. de inuest. alien. benef. lib. 2.* Atqui Marchionatus Montisferrati ad Vbaldum, eiusque successores

Cur non valeat inuestitura de re aliena, siue à sciẽte facta sit, siue ab ignorante.

Qui inuestiuit aliquem de re aliena deterioris condicionis est, quàm donator rei alienæ, in eo, quod tenetur de euictione.

Donator non tenetur de euictione, nisi sit in dolo, vel de euictione se obligauerit.

Species lucri illiciti est ex alieno largiri & acquirere sibi beneficij debitorem.

ceſſores iam tum pertinebat, tanquam datus ei in dotem à Theodoro, partim purè, partim ſub condicione quidem, ſed quæ tandem euênit. Ex qua cauſa dotis nemo dubitat, quin dominium acquiri potuerit marito & communibus liberis, qui ex eo matrimonio ſuſcepti ſunt, ac dictæ Violandæ, & Aymoni Comiti heredes extiterunt. Ergo non potuit idem ille Marchionatus per nouam inueſtituram acquiri, neque Ioanni filio Theodori primi, neque Margaretæ filiæ Guillielmi vltimi in præiudicium iuris, quod anteà fuerat quæſitum Violandæ. Non valent igitur poſteriores iſtæ inueſtituræ: tametſi Imperatores, qui eas conceſſerunt, voluntatem illam habuiſſent tollendi ius quæſitum Violandæ. Quod tamen de tantis Principibus, tamque piis ſuſpicari, nedum credere ſacrilegij inſtar eſſet: Potiúſque præſumendum eſt fuiſſe illos circumuentos: Calder. *conſ. 1. tit. de feud.* Rom. *conſ. 298. circa præmiſſa*, Felin. *in cap. olim, col. 5. de re iudic.* And. de Iſern. *in d. cap. 1. qui ſucceſſ. ten.* & ibi Laudenſ. *col. 3.* Præpoſ. *circa finem*, Angel. *in l. 2. C. de fund. & ſaltib. rei domin. lib. 11.* Volunt enim boni omnes Principes omnes actus ſuos regulari à iure fori & poli, inquit Bald. *in l. 1. de conſtit. Princip. D.*

Ex cauſa dotis potuit acquiri dominiũ marito, & communib. liberis ex eo matrimonio ſuſceptis.

Poſteriores inueſtituræ, de Marchionatu ab Imperatoribus dictæ, non potuerunt valere: & quare.

Credendum eſt de tantis Imperatoribus fuiſſe illos circumuentos potiùs, quàm vt voluerint auferre ius quæſitum tertio, ſi probarentur aliquid conceſſiſſe in præiudicium tertij.

VERVM præter id, quod dicimus de tali eorum voluntate nullo modo apparere, addimus, quod amplius eſt, Imò verò conſtare de contraria mente Caroli V. Imperatoris, qui poſt conceſſionem factam Ducibus Mantuæ, declarauit nunquam fuiſſe mentis ſuæ, vt per eam conceſſionem præiudicaret iuribus Sereniſſ. Ducis Sabaudiæ. Quod nobis ſatis eſt, non vt ex eiuſmodi declaratione aliquid iuris Duci Sereniſſ. acquiſitum eſſe dicamus, quo nec egemus; ſed vt, quod antea competebat,

Conſtat de cõtraria mente Caroli V. Imperatoris, quod iuribus Serenſ. Ducis Sabaudiæ derogare noluit.

Non indiget Dux Sabaudiæ declaratione iſta Caroli V. vt ſibi ex ea ius

aliquod acquirat; sed tantùm vt declarationem contrariã elidat.

bat, conseruatum esse appareat, nec in eo prę̃iudicatum ipsi vllo modo fuisse. Nam & in hac declaratione Caroli V. sunt eædem clausulæ, & illud amplius, quod narrata est concessio & inuestitura, quæ per obreptionem & subreptionem fuerat facta Ducibus Mantuæ. Quòd autem Carolus IV. non cogitauerit de alteranda natura feudi, licèt ad rem nostram parum pertineat, cùm non potuerit alterare in præiudicium iuris alteri quæsiti, vt iam diximus: apparet tamen ex eo quod narrat præcedentes concessiones, etiam Ottonianam factam Aledramo, vt ostendat non id se agere, vt alteret feudum; sed vt id confirmet potiùs, quale antea erat. Et quod addit expressiùs, quàm scriptum esset in præcedentibus, [*pro masculis & fœminis,*] non alterandi causa dictũ est; sed declarandi potiùs illud ipsum quod præcedentibus inuestituris, sub generali [heredum] nomine continebatur, & quod tamen iam satis superque declaratum fuerat per obseruationem subsecutam ab Aledramo primo ad Ioannem vsque filium Theodori: cùm & Bonifacius auus Io. vltimi Saxonis, disposuisset de Marchionatu in fauorem Guillielmi masculi sui secundogeniti, instituto Demetrio primogenito in regno Thessaliæ: quod vtique facere non potuisset, si iam tùm non fuisset alteratum feudum, factumque improprium: & extincta linea masculina Saxonica, Marchionatus peruenisset iam ad Violãdam sororem Ioannis vltimi Marchionis, matrem Theodori; & per ipsius personam ad Theodorum, qui subinde pactum hoc de quo tractamus, fecerat in fauorem Violandæ filiæ suæ, in casum scilicet deficientis nouæ lineæ masculinæ Paleologorum. Quod ergo dixit Carolus IV. [*pro mas-*

Quòd nec Carolus IV. alterare voluerit naturam huius feudi.

Concessio Imperatoris Caroli IV. narrat præcedẽtes cõcessiones, etiã Ottoniană factam Aledramo, vt eas confirmet, non vt iis deroget.

Ex obseruatione secuta ab Aledramo vsque ad Ioannem filium Theodori, apparet feudum Marchionatus non rectum feudum esse, sed alteratum & improprium.

Extincta linea masculina Saxonica, iã peruenerat Marchionatus ad Violandam sororem Ioannis vltimi, matrem Theodori.

Quod habet cõcessio Caroli

culis & fœminis,] non alteratio feudi eſt; ſed confirmatio potiùs; nec additio noua, ſed declaratio præcedentium, ſecundùm præſumptionẽ vulgarem, quæ de omnibus inueſtituris capi debet, vt ſint renouationes præcedentium potiùs, quàm nouæ inueſtituræ: & vt ſecundùm priores intelligi debeant, non ita vt prioribus addant quicquam, vel detrahant. Caſtr. *conſ. 176. videtur dicendum, col. fin. lib. 1. & conſ. 142. col. fin. lib. 2.* Dec. *conſ. 163. num. 4. & conſ. 390. num. 3.*

IV. [*promaſculis & fœminis,*] non alteratio feudi eſt, ſed declaratio præcedentium cõceſſionum.

Omnes inueſtituræ ſequentes præſumendæ ſunt renouationes præcedentium potiùs, quàm nouæ inueſtituræ.

IN eamque rem obſeruandum eſt, quod Imperator Carolus IIII. cùm in ſua conceſſione ita ſequitur: [*Dicto Joanni Marchioni, & ſuis heredibus maſculis, & fœminis, vltra prædicta donamus & concedimus.*] ſatis oſtendit [*prædicta*] illa, id eſt, quæ iam dixerat ab Ottone conceſſa fuiſſe Aledramo, fuiſſe iam olim conceſſa pro maſculis, & fœminis. Non enim dicit ſe eadem illa de nouo donare pro maſculis & fœminis; ſed vltra prædicta donare ſe alia; vt ſignificet, eaſdem qualitates velle ſe ineſſe rebus tum donatis, quæ iam inerant aliis bonis ab Ottone conceſſis: quaſi priores conceſſiones poſteriorem prouocauerint: nec fuerit fortaſſis Carolus IV. tam multa in ea forma conceſſurus, ſi nihil anteriores Imperatores in eadem forma conceſſiſſent. Ideoque nec aliis legibus conceſſiſſe credendus eſt, quàm quibus priores conceſſerant: id eſt, etiam pro maſculis, & fœminis. Deinde quod ſequitur in eadem cõceſſione, [*Quicquid verò in feudum eſt, vel eſſe debet, aut etiam in retrofeudum in præmiſſis, hoc in rectum & nobile feudum de nouo damus, concedimus & largimur:*] an non manifeſtè probat,

Obſeruantur verba conceſſionis Caroli IV. hic poſita, & põderantur.

Ponderantur verba illa conceſſionis Caroli IV. [*Quicquid verò in feudi eſt &c.*]

esse illam duntaxat renouationem prioris inuestituræ, nõ nouam inuestituram? Et quod ait: [*in rectum, & nobile feudum,*] probat necessariò alterutrũ, vel habuisse Imp. Carolum IV. pro feudo recto, etiam quod datum esset pro masculis & fœminis, vt Henricus VII. in inuestitura Theodoro facta: aut voluisse illum alterare naturam feudi, quod anteà erat improprium, & ex improprio facere rectum, vt proinde masculi in eo succedere soli possent, non etiam fœminæ. Tantùm abest, vt verum esse possit, quod aduersarij supponunt, fuisse in eo alteratum, vt pro masculis & fœminis esse cœperit, quod antea ex natura recti feudi erat tãtùm pro masculis. Etsi verissimum est, quod nos iam initio diximus, Feudum improprium & alienabile, hoc ipso quod est improprium & alienabile, vt transire possit per alienationem ad extraneos; multo magis iure successionis transitorium esse ad fœminas, Bagnis. *allegat. 2. num. 35. per text. in c. 1. de feud. non habent. propr. natur. feud.* Paris. *cons. 23. nu. 61.* Gozad. *cons. 8. num. 26. & seq. relato inter consilia Mantuæ, cons. 8. num. 41. & 42. & num. 37. & 38.* Colleg. Bonon. *cons. 15. num. 51.* Socin. *cons. 266. incip. In causa quæ vertitur, col. 13. circ. med. lib. 2.* Crauet. *cons. 256. vers. nam licet verba.* Vbi ait propter hæc, in clausula [*ad habendum, &c.*] adiectum inuestituræ verbum, [*heredibus,*] stare propriè, vt etiam fœminas comprehendat: post Socin. *d. cons. 266. & 252. col. pen. lib. 2.* Nunquam enim à proprietate verborum recedendum est, nisi in casibus à iure expressis: Bald. Aluar. & alij, *ad c. 1. §. 1. Episcop. vel Abbat.*

Dilemma collectum ex illis verbis: [*in nobile & rectum feudum.*]

Feudum improprium & alienabile sicut est trãsitorium etiam ad extraneos, ita & multo magis ad fœminas.

In inuestitura feudi improprij, verbum, *heredibus*, stat propriè, vt etiã fœminas comprehendat.

De inuestitura facta per Carolum V. Imperatorem.

SED & ex aliis quamplurimis causis constat, nullam, & nullius planè momenti fuisse illam inuestituram à Carolo

à Carolo V. factam Ducibus Mantuæ. Primùm quia de re aliena, & iam Violandæ acquisita, vt diximus: præsertim cùm facta sit in eum ipsum casum quo iam facta fuerat Violandæ, id est, in casum deficientis lineæ masculinæ Paleologæ. Quídni enim præferenda est Violanda, eiusque successores, vt quemadmodum fuit illa prior tempore, sit etiam potior iure? Ex vulgaribus nimirum iuris regulis, quæ locum habent tam in causa dominij, *l. quoties. C. de rei vindic.* quàm in causa pignoris, *l. 2. & pass. C. qui potior. in pignor. hab. l. si is qui cùm. 28. D. de iur. fisc.* Nam nec dubitatur, quin Violandæ fuerint obligata bona omnia Theodori, pro obseruatione contentorum in dotali instrumento; & consequenter Marchionatus ipse, cùm etiam pro debito condicionali possit hypotheca purè accipi, *l. grege. 13. §. si sub condicione, D. de pignor.* qui proinde nec alienari potuit, nec infeudari, nisi cum sua causa, *d. l. & post litem. 12. §. res quæ, D. famil. ercisc. l. alienatio. 67. D. de contr. empt. l. vnic. C. rem alien. gerent. non interd. rer. suar. alien.* Quod ius pignoris constitutum in ea ipsa re, quæ fuerat in dotem data sub condicione, impediit procul dubio alienationem ex alia quacunque causa, hactenus saltem, vt existente quandocunque condicione, alienatio illa omnes euanescat; quemadmodum si statuliber, aut datus interim pignori, aut alienatus fuisset, *d. l. grege. §. 1. l. lex vectigali. 31. eod. tit.* Longeque magis hoc casu obtinet, quod scriptum est in specie *l. si creditor. 7. §. vlt. D. de distract. pignor.* Nullam esse alienationem, vt pactioni stetur, quàm si in pignore dando conuenisset, ne interim alienari posset, vt *in d. §. vlt.* quia satis conuenit inter Theodorum & Aymonem Comitem, ne Theodorus interim alienare

toré Ducibus Mantuæ.

Cōcessio facta Ducibus Mantuæ per Imper. Carolum V. reperitur facta in eum ipsum casum deficientis lineæ masculinæ Paleologæ, in quem facta fuerat Violandæ per Theodorum.

Marchionatus ipse obligatus fuit dotali instrumento, etiā pro dote condicionali.

Non potuit alienari Marchionatus iam obligatus, nec infeudari, nisi cum sua causa.

Applicatio *l. si creditor. 7. §. vlt. D. de distract. pignor.* quæ ait nullā esse venditionem pignoris, per quā fiat ne pactioni stetur.

Marchionatum posset, cum conuênit, vt in casum deficientis lineæ masculinæ Paleologorum, Marchionatus esset datus in dotem Violandæ. Quę condicio, licèt non nisi post multos annos euenerit, tamen pro eo haberi debet, ac si purè data dos fuisset, cùm in dotè spes ipsa purè ac statim data fuerit. In locum autem spei succedat ipsa res sperata, quoties euênit condicio, quæ spem constituebat, vt ostendimus in præcedentibus.

In locum spei purè in dotem datæ succedit res sperata, postquàm condicio euênit.

SECVNDÒ, non potuit dicta inuestitura fieri per Carolum V. viuo Io. Georgio, qui tum erat Marchio Montisferrati: procedítque hoc casu apertiùs, quod scriptum est, *in d.tit.de inuestit. de re alien. fact.* rei alienæ inuestituram fieri non posse. Quod & Iul. Clar. fatetur *in §. feudum, quæst.9.* vbi & hoc adfert exemplum, licèt tacito nomine, vt ostendat quàm sit periculosum alienæ rei viuo domino inuestituram facere: præsertim si is non consentiat. Est enim hæc res plena tristissimi & periculosissimi euentus, vt ait *l.vlt.C.de pact.* & in hac ipsa specie ex euentu apparuit, nè quid amplius dicamus. Et quamuis placeat, etiam viuentis feudum dari posse, quod per mortem vasalli ad dominum reuerti speratur, *§.moribus, tit.si de feud.cont. sit int. dom. & agnat.* ibi, [*Quod post mortem ad dominum reuerti sperabatur,*] *& §.si quis inuestierit, de feud. dat. in vic. leg. commiss.* omnes tamen fatentur, & consentiunt, esse huiusmodi inuestituras odiosas, & non laudabiles. Andr. de Isern. *in d.cap. 1.num.2. vers. quia odiosum, qui succes. ten.* quem refert & sequitur Afflict. *in d.§.moribus, col.2. vers. an ista inuestitura, & dec. 292. fuit supplicatum, num.3.* quia inducunt votum captandæ mortis alienæ, *cap.2.de conces. præb. & cap.2.eod.in 6.* Et præterea ita demùm tolerantur huiusmodi

Non potuit inuestitura de Marchionatu fieri per Carolum V. Imperatorem, viuo Io. Georgio, qui tùm erat Marchio Montisferrati.

Quàm periculosa sit inuestitura rei alienæ, viuo domino: præsertim si is non consentiat, etiamsi talis res sit, quæ post mortè ad dominum reuerti sperabatur.

Inuestitura etiam eius rei, quæ per mortè vasalli ad dominum redire speratur, odiosa est, nec laudabilis.

Oportet spem feudi ad domi-

modi inueſtituræ, ſi feudum erat ad dominum reuerſurum ſpe aliqua conſiderabili, & probabili, aut condicionali. Sed ſi non erat ſpes probabilis, & præſumpta, nullo modo valet talis inueſtitura, text. eſt *in d. §. moribus*, in ſupradictis verbis, *& in cap. 1. in fin. qui ſucceſſ. ten. 2.* ibi, [*Et hoc intelligendum eſt in vaſallis, qui feudi ſucceſſionem non habent*:] vbi Mart. Laud. *col. 2. verſ. ista limitatio*, & Afflict. *notat. 5. n. 21.* Atqui hîc nulla erat ſpes probabilis recaſurum ad Cæſarem per mortem Io. Georgij, cùm ſupereſſet Carolus Dux Sabaudiæ, qui erat vocatus tam ex inueſtituris, quàm ex pacto Theodori.

num reuerſuri eſſe conſiderabilem, probabilem, & præſumptam, vt de eo fieri poſſit noua inueſtitura, viuo domino.

Nulla hîc erat ſpes probabilis quod poſt mortē Io. Georgij feudum reuerſurum eſſet ad Cæſarem, cùm ſupereſſet Ser. Dux Sabaudiæ Carolus.

NEC eſt, quod aduerſarij reſpondeant, Interueniſſe conſenſum d. Io. Georgij, cuius mandatum hac de re productum eſt in actis, ab eo extortum paullò antè quàm moreretur. Nam præter quod inueſtitura nullam huius mandati mentionem facit, apparet etiam ex ipſius mandati lectione, non aliter voluiſſe Io. Georgium huic inueſtituræ conſentire, quàm ſi contingeret eum mori ſine maſculis, aut fœminis. Quam tamen voluntatem ſecutus non eſt Imperator, qui infeudauit Marchionatum, & de eo inueſtiuit Federicum & Margaretam, in caſum, quo Io. Georgius moreretur ſine maſculis: quamuis infeudaretur dictis Federico & Margaretæ, non tantùm pro maſculis, ſed etiam pro fœminis, quomodo & iam olim fuerat infeudatus Aledramo, & Theodoro, & Ioanni filio Theodori. Ex quo apparet quanta d. Io. Georgio iniuria illata ſit per eam inueſtituram, factam non ſolùm eo non conſentiente, ſed, quod magis eſt, etiam inuito; cùm facta ſit non ſeruata forma, quam ipſe præſcripſerat. Nam qui ali-

Reſponſio ad id quod aduerſarij obiciunt, interueniſſe hic mandatum & voluntatem Io. Georgij.

Inueſtitura facta per Carolum V. Imperatorem nō congruit mandato Io. Georgij.

Quanta Io. Georgio facta ſit iniuria per inueſtituram Caroli V.

quid vult certis legibus, declarat satis nolle se absque iis legibus, *l. vlt. C. de pact. int. empt. & vendit.* Indeque sanè secutum est, vt nulla dicti mandati mentio facta sit in inuestitura: quoniam si fuisset eius tenor insertus in inuestitura, vt inseri debuerat, ex eo apparuisset factam eam esse contra formam mandati, & consequenter nullo iure: præsertim secuto postea tristissimo illo euentu, qui ex tali inuestitura sic facta præuideri poterat, & timeri magis, quàm caueri. Decessit enim dictus Io. Georgius decimo post factam inuestituram die, ac priusquam sciuisset quid ea contineretur, & voluntatem suam ab Imperatore spretam ac violatam fuisse comperisset. Et sanè cùm haberet Io. Georgius feudum Marchionatus pro se, & liberis suis masculis, & fœminis, quænam obsecro fuit ratio inuestiendæ Margaretæ in eum casum quo Io. Georgius sine masculis moreretur, ablata succedendi spe filiabus Io. Georgij, si quas ipse reliquisset?

Cur nulla huius prætẽsi mãdati facta sit mentio in inuestitura Caroli V.

Mors inopina Io. Georgij decimo die post factam inuestituram, & antequam voluntatẽ suã ab Imperatore spretã comperiisset.

Nulla fuit ratio inuestiendę Margaretæ, ad exclusionem filiarũ Io. Georgij, si quas ipse reliquisset.

NEQVE rursus dici potest, Carolum V. eiusmodi concessione, ac inuestitura disposuisse, & disponere potuisse de Marchionatu, tanquam ad se deuoluto, per defectum lineæ masculinę. Vtrumque enim falsum est, & quòd inuestitura Caroli V. facta sit ex ea causa, & quòd etiamsi facta esset, fuerit tamen valitura.

Quòd Imp. Carolus V. nõ disposuerit, nec potuerit disponere de Marchionatu, tanquam ad se deuoluto.

NON fuisse factam ex ea causa, apparet ex eo, quod inuestitura ipsa probat, fuisse illam à d. Margareta petitam, quasi debitam sibi, tanquam soli superstiti ex linea Ioannis I. cui ea inuestitura concessa fuerat pro masculis & fœminis, per Carolum IV. cuius inuestituræ tenor ob hanc ipsam causam insertus fuit in illa Caroli

Inuestituram petiit Margareta, quasi debitam sibi, tanquam soli superstiti ex linea Ioannis I.

roli V. Non ergo dedit Carolus V. inueſtituram, quaſi de ſuo iure diſponens pro arbitrio; ſed quaſi debitam d. Margaretæ, cui tamen non erat debita: imò potiùs Caroli Duci Sabaudiæ, non tantùm ex pacto Theodori cum Aymone, ſed etiam ex ipſa inueſtitura: cùm eſſet ille ex deſcendentibus non modò Theodori, ſed etiam Aledrami, qui Marchionatum habuerant in feudum pro maſculis & fœminis. Eſſet autem ille maſculus, quamuis ex fœmina, ob idque d. Margaretæ, quamuis proximiori, præferendus. Quamuis enim ſecluſo pacto Violanda fuiſſet excluſa, non minùs quàm Margareta: ſatis tamen eſſet, quòd Imp. noluiſſet vti iure ſuo, ad hoc vt potuiſſet tam Carolus quàm Margareta ſuccedere, non obſtante excluſione, ſed Carolus prior, & tanquam maſculus, & tanquam qui nunquam ipſe fuerit excluſus, licèt eſſet ex Vio[illegible]landa excluſa (ſemper pactum ſecludimus:) Non enim [illegible]olandæ perſonam repræſentabat, at neque gradum, cùm ex propria perſona veniret, tanquam ex deſcendentibus. Fuit ergo dicta inueſtitura facta ex falſa cauſa, & per euidentem obreptionem & ſubreptionem, ac proinde nulliter, & ſine effectu, ex traditis per Afflict. poſt Iſern. *in d. ſ. moribus, num. 2. & in d. tit. qui ſucceſſ. teneant, ſub num. 4. verſ. quòd autem ſi Rex*, Dec. *conſ. 144. num. 2. verſ. ſecundò principaliter*, & magis in terminis, *conſ. 208. num. 13.* Et loquitur Afflictus in fortioribus terminis, cùm Rex concedens inueſtituram putabat vaſallum iam mortuum, & feudum ad ſe deuolutum, cùm tamen nondum eſſet mortuus: aitque non valere inueſtituram, ne quidem poſt mortem vaſalli, quamuis ex die mortis feudum deuolutum fuerit ad Regem: Nempe quòd facta ſit ex falſa

Car[illegible]omnino præferendus erat Margaretæ, & tanquã maſculus, & tanquam is qui nunquam excluſus fuerat

Inueſtitura Caroli V. facta fuit ex falſa cauſa, & per euidentem obreptionem.

Deciſio elegãs Afflicti. & in fortioribꝰ terminis.

falsa causa & erronea, & nullus errantis consensus videri possit. Quanto igitur magis in casu nostro idem dicendum est, in quo neque feudum deuolutum vnquam fuit ad Cæsarem, neque deuoluendi eius superat eo tempore vlla spes probabilis?

SED & si admitteremus, quod præsupponunt aduersarij, & quod falsissimum est, fuisse factam inuestituram à Carolo V. ex illa causa, id est, tanquam de feudo ad Cæsarem recasuro: adhuc tamen perinde verum esset factam eam esse ex falsa causa & erronea, vt modò probauimus: quia non poterat reuerti feudum ad Cæsarem superstite Carolo ex Violanda, cui Marchionatus fuerat acquisitus ex causa dotis, & qui erat ex descẽdentibus vocatis per inuestituras Aledrami & Theodori. Socin. Iun. *cons. 110. num. 12. lib. 2.* Paul. Castr. *cons. 279. visa petitione, ta si. 1. vers. nisi dicamus, lib. 2.* Ex quo intelligimus quàm parùm pro aduersariis ad rem faciat, quod adferunt, *ex tit. 24. quemadm. feud. ad filiam pertin. lib. 1.* Loquitur enim ille textus de feudo iam reuerso ad dominum, & post reuersionẽ redempto à domino. Item de feudo nouo, non de antiquo, quòd acceptum fuerit pro masculis & fœminis, vt Bald. credidit.

Non poterat Marchionatus reuerti ad Cæsarem superstite ex Violanda Carolo, cui fuerat acquisitus ex causa dotis constitutæ per Theodorum Aymoni, nomine filiæ Violandæ.

Responsio *ad tit. 24. quemad. feud. ad fil. pertin. lib. 1.*

DENIQVE ex actis litis apparet, solam Margaretam Ducissam egisse coram Imperatore, & petiisse Marchionatum, tanquam heredem proximiorem Io. Georgij vltimi masculi sine liberis defuncti, non ex illa inuestitura Caroli V. quæ tam tristem euentum peperat, vt fauorabilior scilicet esset petitio & efficacior ad obtinendum in possessorio; ideoque potissimùm fun-

Sola Margareta egit coram Imp. tanquam heres proximior Io. Georgii, & ex inuestitura Caroli IV. non ex illa Caroli V.

dasse

dasse intentionem suam ex inuestitura illa Caroli IV. quòd esset facta pro masculis & fœminis. Proinde sententiam quoque pro eo latam à Carolo V. credendum est necessariò ex ea ipsa causa latam fuisse, vt esset conformis libello, *vulg.l.vt fundus.19.D.commun.diuid.l. vlt. C.de fideic.libert.*

Sententia Caroli V. lata in fauorem dictæ Margaretæ sic interpretanda est, vt sit conformis libello.

NEC ad rem pertinet, quod in eadem inuestitura Caroli V. comprehensus est Federicus Gonzagua maritus dictæ Margaretæ: Nam si quantùm ad Margaretam nulla fuit inuestitura, nec potest fieri vt valeat quod ad maritum, cuius persona intelligitur adiecta duntaxat ad præstanda pro vxore seruitia, quæ ipsa præstare non posset, vt per Andr.de Isern. *in tit.ex quib. caus.feud.amitt.& tit.de Capitan.qui cur.vendid.§ similiter*, quem cum pluribus refert & sequitur Paris. *cons.21. nu. 21. lib.1.& cons.4.n.26.eod.* Cardin.Simonet.*inter cons. Mantuæ cons.3. 9. & 11.* & Senatores Lucenses,& alij de his ipsis Ducibus loquentes, *cons. 1. num. 20. vers. quia quando fœminæ.*

Responsio ad id, quod in inuestitura Caroli V. fuit cõprehensus Federicus Gonzagua maritus Margaretæ.

Maritus debet pro vxore præstare feudo seruitia quæ ipsa præstare non potest.

ET ex his expedita sint feliciter omnia,quæ ad primum caput petitionum Sereniſſimi Sabaudiæ Ducis pertinent.

Finis primæ partis.

ANT. FABRI I. C.

SEBVSIANI, SER^mi. SABAVDIÆ DVCIS CONSILIARII AB INTIMIS, & in Supremo Sabaudiæ Senatu Præsidis Primarij

DE MONTISFERRATI DVCATV,

Contra

Ser. DVCEM MANTVÆ,

PRO

Sereniſſimo SABAVDIÆ DVCE,

Conſultationis Pars II.

EST si poſt allatas tot rationes, quibus probatum eſt clariſſimè, vt nos equidem arbitramur, totum Marchionatum Montisferrati ad Sereniſſ. Sabaudię Ducem ſpectare iure dominij, iam inde à temporibus Aymonis Comitis, & Violandæ Theodori filiæ, ex cauſa dotis acquiſiti, planè ocioſa & ſuperuacua videtur quęſtio, [De parte Marchionatus,] cùm partes omnes eius eſſe neceſſe ſit, cuius eſt totum: Vt tamen tanto certiùs omnes intelligant, quàm multis ex cauſis iuſta Sereniſſimi Ducis petitio videri debeat, non

De parte Marchionatus Mõtisferrati ſpeciali iure ad Sereniſſ. Sabaudiæ Ducẽ pertinente.

Cuius eſt totũ, eius & partes eſſe neceſſe eſt.

erit inutile hanc quoque totius quæstionis partem tractare, quę à tantis Iureconsultis vtrimque agitata variè fuit, & de qua præcipuè mota lis est; tametsi per Cæsaream sententiam nihil de ea pronunciatum fuerit in petitorio; sed tantùm in possessorio.

De parte Marchionatus nihildum pronũciatum fuit in petitorio, sed tantùm in possessorio.

PERTINET autem hæc pars litis ad loca illa, & oppida omnia, quæ sunt citra Padum, & vltra Tanagrum, quæ Sereniss. Sabaudiæ Dux Carolus intendebat sibi obuenisse post mortem Io. Georgij vltimi masculi ex linea Paleologa, iure inuestituræ, factæ de omnibus illis locis per Amedeum VII. Ducem Sabaudię, Io. Iacobo Marchioni Montisferrati, die 27. Ianuarij, 1435. Hoc pacto expressim addito, vt si quando contingeret lineam masculinam dicti Io. Iacobi deficere, & mori eum sine descendentibus, ascendentibus, & transuersalibus agnatis, redirent omnia ad Sereniss. Sabaudiæ Ducem, & eius successores.

Hæc pars litis pertinet ad loca & oppida omnia, quæ sũt citra Padum & vltra Tanagrũ.

Ex inuestitura facta per Amedeum VII. Ducem Sabaudiæ Io. Iacobo Marchioni Montisferrati, 27. Ianuarij, 1435.

Pactũ in supradicta inuestitura appositum.

NIMIRVM hæc Sereniss. Sabaudiæ Ducis collectio est, Pacti condicionem euenisse, cùm in facto constet ita rem cecidisse, vt Io. Georgius Bonifacij penultimi filius, & Bonifacij vltimi patruus decesserit, nullis penitùs relictis masculis agnatis transuersalibus, vt neq; ascendentibus vllis, aut descendentibus, sola superstite Margareta Guillielmi fratris filia, successionis feudalis incapace, nec in supradicto pacto comprehensa. Ac proinde impletam pacti condicionem fuisse, & consequenter ab eo tempore per consolidationem vtilis dominij cum directo, cuncta loca illa & oppida, quæ infeudata fuerant, ad Sereniss. Ducem Carolum, tanquam legitimum Amedei successorem, pertinuisse.

Argumentum Sereniss. Sabaudiæ Ducis, ex eo quod pacti condicio extiterit per mortem Io. Georgij vltimi masculi ex linea Paleologa, defuncti sine descendẽtibus, ascendentibus, & transuersalibus masculis.

ET quidem de inuestitura, pactoque in ea appositio constat

De inuestitura constat per in-

constat legitimè ex instrumento ipso inuestituræ authentico, & in actis producto: de cuius fide ac veritate nec dubitatum vnquam fuit, nec dubitari patiuntur tot alia subsecuta instrumenta in executionem & confirmationem dictæ inuestituræ facta: De morte autem Io. Georgij sine masculis, siue ascendentibus, siue descendentibus, siue transuersalibus, ex ipsa aduersariorum confessione; cùm Margareta non alio colore Marchionatus inuestituram nouam à Carolo V. Cæsare petierit, atque obtinuerit, quàm quia nulli ex familia Paleologa supererent masculi, eiq; proinde licet fœminæ, quauis iam sæpius per masculos excluſæ, inuestitura deberetur. Consecutio igitur optima est, ac proinde conclusio verissima, cùm syllogismus, vt solent dicere Logici, neque in materia peccet, neque in forma.

strumentũ authenticum, nec in controuersiam vllam deductum.

De morte Io. Georgij sine masculis descendẽtibus, ascendentibus & transuersalibus constat ex aduersariorum confessione.

Color inuestituræ nouæ à Carolo V. Imperatore per Margaretam petitæ.

NEQVE tamen Doctores Mantuani adhuc conquiescunt: sed quid ad hanc argumentationem respondeant, quærunt & perquirunt quanta possunt diligentia; nec tamen inueniunt quid possit iis ipsis, nedum nobis satisfacere. Ita enim de tot, tantisque viris iuuat credere, potiùs quàm sibi eos satisfeciſſe in rationibus illis, quas hucusque attulerunt.

●PRIMVM autem, coguntur ea refricare ferè omnia, quæ nos circa vniuersalem Marchionatus petitionem iam refutauimus: scilicet nõ valuisse inuestituram, tanquam de feudo recto, ac proprio factam, sine consensu Imperatoris, ab eo, qui nihil penitùs iuris in eo feudo habebat: cùm donatio priùs à Io. Iacobo Marchione collata in Amedeum VII. Ducem Sabaudiæ, ob hanc ipsam causam, inquiunt, non valuisset, quòd sine

Mantuanorum argumẽta circa hanc particularem petitionem, eadem ferè, quæ à nobis in superiore Consultationis parte sunt refutata.

consensu Imperatoris facta fuisset, quem interuenire necesse erat in qualibet feudi recti, ac proprij alienatione: ne alioqui inuito Cæsari nouus vasallus acquireretur. Et sanè si donatio per Io. Iacobum facta Duci Amedeo nullius momenti fuit, propter non petitam donandi licentiam, quæ fuerit necessaria: fatendum est neque inuestituram valere posse, quæ donationem secuta est, & quæ donationem illam pro fundamento solam habuit: Qua cessãte nihil aliud dici potest, nisi quod Ioannes filius Io. Iacobi acceperit inuestituram rerum paternarum, ac proinde, vel suarum; eo iure, quo dicimus, videri filiumfamiliàs iam viuo adhuc patre dominum esse bonorum paternorum, *l. in suis. 11. D. de liber. & posth. l. 1. §. largiùs, D. de succes. edict.* vel alienarum, si paternas res ita patris esse intelligamus, vt nondum sint filij, *l. 2. D. si à parent. quis manum. sit.* Quorum neutrum iure feudorum permittitur; *tot. tit. de inuestit. de re alien. fact. lib. 2. in vsib. feudor. l. neque pignus. 45. de reg. l. iur. l. si aliquem. 28. cum ibi notat. D. de acquir. possess.*

Quæstio tota in eo est: An Marchionatus Montisferrati feudum sit, an allodium: Et si feudum est, an rectum & proprium feudum sit, & inalienabile: an improprium, & alienabile.

An fuerit necessarius consensus Imperatoris, ad validandam alienationem.

PENDET autem totum hoc ex eo, quod in præcedentibus disputauimus, an Marchionatus feudum sit, an allodium: Et si feudum, vt sanè est, an rectum & proprium, habens naturam veri & proprij feudi, & consequenter inalienabile: An verò feudum sit improprium, & tale quod pro Marchionum arbitrio alienari potuerit. Rursum posito, quod fuerit alienabile, an tamen necesse fuerit requirere consensum Imperatoris, & licentiam ad validitatem alienationis. Nam quæ rationes probarent, si bonæ essent, non valuisse pactum à Theodoro initum cum Aymone Comite de toto Marchionatu in dotem dato, sub condicione, [*si masculos omnes*

nes Theodori per lineam masculinam descendentes mori contingeret,] eædem probarent etiam, non potuisse valere donationem, quam Io. Iacobus Marchio in Aymonem Comitem contulisset. Idque prorsus ita est. Sed cùm probauerimus Marchionatum feudum quidem esse, non allodium, sed tamẽ improprium, & adeò alienabile, vt in extraneas quoque personas, etiam in inuestitura non comprehensas, alienari liberè potuerit, non requisito Imperatore: idq; tam ex inuestituris Ottoniana & Henriciana, quàm ex subsecuta obseruantia, inductaque ex tam longo vsu consuetudine in familia Marchionum alienandi liberè quicquid & quantum vellent, numquam requisito, at ne quidem reseruato consensu Imperatoris: Consequens est, vt nec de donatione per Io. Iacobum Marchionem collatam in Aymonem, dubitari quicquam possit. De quibus omnibus, quia tam multa scripsimus, nihil nunc repetemus. Itaque ad responsionem aliam, ad quam velut ad sacram anchoram confugiunt aduersarij, veniendum est.

AIVNT verò, neque donationem à Io. Iacobo factam Amedeo Duci valere posse, neque inuestituram subinde ab Amedeo concessam Ioanni filio Io. Iacobi, tanquam facta sint illa omnia per vim & metum, nimiamq; potentiam Ducis Sabaudiæ, cui resistere Marchio non potuisset. Ex qua causa etiamsi contractus eiusmodi iure ipso valuissent, concedi tamen posset ac deberet in integrum restitutio, ad rescindenda ea quæ tam malo more gesta essent: cùm id quod per vim, & metum gestum est, nunquam Prætor ratum habeat nulloque tempore, *l. si mulier. 21. §. 1. D. quod met. caus.*

Alia responsio Mãtuanorum, ad impugnandam donationem factam à Io. Iacobo, & inuestiturã factam Ioanni filio d. Io. Iacobi: Quòd omnia illa extorta sint per vim & metum.

Probant

Ex quibus intendant aduersarij probare vim & metum.

PROBANT autem, vt sibi videntur, vim illam & metum ex pluribus. Ac primùm, Ex eo, quòd tam donatio illa, quàm inuestitura; itemque adhærétia, eodem die, & alia pleraque inter easdem partes subsecuta, causam habuerunt omnia à pactis initis Tononi, die 13. Febr. 1432. inter dictum Amedeum Sabaudiæ Ducem, & Ludouicum filium eius primogenitum, ac Locumtenentem generalem ex vna parte: & dictum Io. Iacobum Marchionem Montisferrati, & Ioannem eius filium ex altera. Quo tempore, vt ipsa pactorum præfatio ostendit, vigebat adhuc bellum inter Philippum Mariam Ducem Mediolani, generum Ducis Amedei, & d. Io. Iacobum Marchionem Montisferrati, eiusdem Ducis Amedei sororium ex altera: In quo bello, vt aduersarij præsupponunt, stabat Dux Sabaudiæ à partibus Ducis Mediolani, nec minùs contra Marchionem Montisferrati, qui in belli societatem cum Venetis & Florentinis venerat, quàm contra Venetos ipsos, & Florentinos, quibuscum præcipuè bellum à Mediolani Duce gerebatur. Nam in eorum pactorum inscriptione ita scriptum est: [*Summarium inscriptis redactum pactorum quæ conuenta fuerunt, post pacem tamen initam sequendorum.*] Pax enim futura, & ineunda supponit bellum præsens. Et in vno ex articulis dictorum pactorum, qui est 12. disertè conuenit, [*Quòd Dux Sabaudiæ liberaliter remittet d. Domino Marchioni, omnes terras, villas, castra, loca, vasallos, recommendatos & adhærentes, quos, quas, & quæ ex hac guerra ipse D. Dux Sabaudiæ habuit in territoriis ipsius D. Marchionis inter Padum & Tanagrum,*

Pacta inita Tononi inter Amedeum Ducē Sabaudiæ, & Ludouicum eiꝰ filium primogenitum & Vicarium generalem ex vna parte: & Ioannem Iacobum Marchionem Montisferrati, & Ioānem eius filiuꝫ ex altera, die 13. Febr. 1432.

Præfatio tractatus Tononensis.

Verba vnius ex articulis dicti tractatus.

nagrum, quomodolibet consistentibus.] Proferunt in eam rem aduersarij tres confœderationes initas inter dictos Duces Sabaudiæ, & Mediolani: Primam nempe factam anno 1427. Secundam anno 1431. Tertiam anno 1434.

ADDVNT ex historia Beneuenuti, & probatum dicunt per plures testes, eo tempore, quo & donatio, & inuestitura & adhęrentia facta est, fuisse Ioannem Taurini detentum in carcere, nec nisi vt carceribus eximeretur, pristinamque libertatem cõsequeretur, prosiliisse cum Io. Iacobo patre ad eos contractus faciendos, qui alioquin facti non fuissent: Ac quoniam in instrumentis illis diserte scriptum est, [*dictum Ioannem fuisse & esse in libertate eundi, standi, & redeundi:*] ex hoc ipso contradictionis occasionem arripiunt, quasi clausula hæc sit insolita, & ob eam causam tanto magis suspecta.

Alia probatio, quam adferunt Mantuani ex historia Beneuenuti, & ex testationibus in lite productis.

Verba apposita in instrumẽtis, de quibus controuertitur.

ADFERVNT idem aduersarij, Non potuisse Io. Iacobum disponere de Comitatu Aquosanæ & Canapicij, propter erectionem & vnionem factam dictorum Comitatuum, & inuestituram à Sigismundo Imp. anno 1414. die 26. Maij, Io. Iacobo Marchioni, ipsiusque heredibus & successoribus masculis factam. De qua Osasc. *part. 1. n. 7.*

Specialis obiectio de Comitatu Aquosanæ & Canapicij.

POSTREMÒ negant potuisse Io. Iacobum de maiore parte Marchionatus disponere in præiudicium successorum, *ex cap. intellecto, de iureiur.* Et denique insinuatam donationem non fuisse, aiunt.

Postrema obiectio ex defectu potestatis & insinuationis.

SED leuiores sunt hæ quoque obiectiones, quàm vt

Responsio ad singulas obie-

iectiones ſupradictas.

tot contractuum,& inſtrumentorum fidem ac poteſtatem poſſint conuellere.

Ad allegationem metus & violentiæ.

NAM, quod ad vim, & metum attinet,Repugnant omnino non modò verba donationis, ſed etiam iuramenta in donatione appoſita,& repetita, quibus diſertè comprehenſum eſt,[*non vi,aut metu vllo factam eſſe donationem,*] de qua diſputamus, [*ſed liberè,ac ſpontanea voluntate donatoris.*]Nec hoc tantùm,ſed ob cauſam remuneratoriam, & in compenſationem quãtitatis trecentorum millium florenorum auri, quos ſibi deberi Dux Amedeus contendebat,pro expenſis à ſe factis in conſeruationem, & tuitionem caſtrorum, & oppidorum Marchionatus Montisferrati, quæ idem Io.Iacobus in cuſtodiam ac depoſitum dederat Amedeo, vt ea tueretur aduerſus vim & impetũ Ducis Mediolani,qui cætera omnia iam occupauerat, cùm ei reſiſtere Marchio nec viribus ſuis, nec Venetorum, quibuſcum belli ſocietatem inierat,poſſet. Itemq; ob alia, quamplurima benemerita, quibus d.Io. Iacobus Marchio ſe d.Duci Amedeo obſtrictum eſſe fatebatur. Denique adeſt renunciatio expreſſa & iurata exceptioni, & allegationi vis & metus, præter vulgarem iuris præſumptionem,quæ illa eſt, vt nihil vi & metu contra ius factum videri debeat: maximè inter Principes & ſanguinis & neceſſitudinis vinculo tanto coniũctos,quãto illi erãt.Et quamuis ex his omnibus non inferatur concludenter,Nullam vim,nullumque metum interueniſſe,quominus admitti poſſit probatio in cõtrarium:hoc tamen contendimus talia eſſe hęc,vt ad ea labefactanda manifeſtiſſimas violentiæ probationes adferri oportear,

Ex verbis donationis, & ex iuramentis in ea appoſitis, & repetitis.

Ex cauſa donationis,quę probat fuiſſe hanc donationẽ remuneratoriã.

Ex renũciatione facta allegationi metus, & violentiæ.

Iuris præſumptio eſt nihil vi,aut metu factum eſſe, præſertim inter Principes tam coniunctos.

Contra præſũptionem iuris, probationes afferri poſſũt;ſed quæ ſint manifeſtiſſimæ.

teat, vt scribit Iurec. in specie *l. vlt. D. quod met. caus.* Sed illud tamen prius esset, vt aduersus eam donationem petita esset à Io. Iacobo & à Ioanne eius filio, qui ipse donationi quoque consensit, ac subscripsit, restitutio in integrum, ex illa parte edicti, quæ est, *de eo quod met. caus.* Quæ tamen cùm neque ab illis ipsis, qui contraxerãt, petita sit, neque ab eorum successoribus in Marchionatu per tot interualla temporum, nec in hunc vsque diem; planè consequens est, vt non sint audiendi, qui hodie vim hanc & metum obiiciũt. Præsertim cùm à die donationis superuixerit Io. Iacobus per decem annos, Ioannes verò filius per triginta: Intra quod tempus & conqueri, & restitutionem in integrum petere facilè potuissent, *arg. l. 1. §. vlt. D. de S.C. Silan. l. in ipsius. 5. C. famil. ercisc.* Melior text. *in l. ea quæ à patre. 7.* ibi, [*Præsertim cùm nec patrem tuum in rebus humanis agentem affirmes cõquestum fuisse super huiusmodi contractu.*] *C. de restit. milit.* Item in illis verbis, [*non decet:*] quæ lex maximè procedit in militibus, vt probant verba illa, [*pro disciplina militari:*] multo magis in Principibus, qui disciplinæ militaris gloriam maximè profitentur. Iunge *l. 2. C. de his, quib. vt indign. l. Procula. 26.* ibi, [*& ex diuerso allegaretur, nunquam id à fratre quandiu vixit, desideratum, cùm variis ex causis sæpe in rationem fratris ratio Proculæ soluisset.*] *D. de probat.* Eaque non modò longi, sed & longissimi temporis taciturnitas habenda est pro tacita conuentione de non petenda in integrum restitutione, etiamsi peti ea potuisset, *l. cùm post. 69. in princip. D. de iur. dot. l. vir vsuras. 54. D. de donat. int. vir. & vxor.* Neque heredi permittendum est, vt conqueratur de iniuria facta defuncto, de qua conqueri defunctus ipse cùm posset, noluit, *l. vlt.*

Nulla vnquam petita fuit restitutio in integrũ, quæ peti debuerat ex edicto, *quod met. caus.*

De his quæ pater gessit, nec vnquam conquestus est, filium conqueri, præsertim militem, non decet.

Longissimi temporis taciturnitas habenda est pro tacita conuentione, de non petẽda in integrum restitutione.

C. de reuoc. donat. Et melius *in l. 1. eod. tit.* in postremis illis verbis: [*Neque enim fas est vllo modo inquietari donationes, quas is qui donauerat, in diem vitæ suæ non retractauit.*] & *in l. his solis. 7. eod. tit. & in c. fin. de donat. l. cùm hic status. 32. §. ait oratio, D. de donat. int. vir. & vxor.* in illis verbis [*Fas esse eum quidem qui donauit pœnitere; heredem verò eripere forsitan aduersus volũtatem supremam eius, qui donauit, durum & auarum esse,*] *l. omnimodo. 30. C. de inoff. testam.* Nec ad rem pertinet quod scriptum est, *in l. quod autem. 19. D. quod met. caus.* Actionem quam Proconsul pollicetur & heredi, & aduersus heredẽ violenti, de eo quod ad heredem peruenit, esse perpetuã. Debet enim id intelligi, si nihil sit propter quod videri debeat ille ipse, qui vim passus dicitur, ab eo agendi iure quod habuit recedere voluisse: cùm iis, qui actiones suas etiam tacitè remittunt, nullus sit dandus regressus, *l. quæritur. 14. §. si venditor, D. de ædilit. edict.* & consensus quilibet posterior, etiam tacitus, purget præcedentem metum, *l. si per vim. 4. iunct. l. 2. C. quod met. caus.* Sed & constat perpetuas actiones finiri hodie spatio longissimi temporis, *ex l. sicut. 3. C. de præscr. 30. vel 40. anor.* Ergo multo minùs post centum annos hæc restitutio competet heredibus eorum, qui vim passi dicuntur, nec tamen de ea vnquam conquesti sunt.

Nefas est heredem retractare donationes, quas is qui donauerat, in diẽ mortis suæ nõ retractauit.

Responsio *ad l. quod autem. 9. D. quod met. caus.*

Cõsensus quilibet posterior, etiam tacitus, purgat metum præcedentem.

Post centum annos restitutio in integrũ non potest cõpetere heredibus illius, qui nunquam cõquestus est.

PRÆTEREA, cùm donatio, de qua quærimus, facta sit in consequentiam, & executionem pactorum Tononi initorum; sicut & inuestitura quæ donationem eodem die secuta est, dici non potest factam eam fuisse per vim & metum, nisi & pacta illa Tononi facta per vim quoque, ac metum extorta esse dicantur, & probentur. Ergo de pactis illis, non autem de donatione,

Donatio, de qua quærimus, facta est in cõsequentiam & executionẽ pactorum Tononi initorum.

nè, quærendum eſt, an per vim fuerint extorta, nécne? Quicquid enim fit in conſequentiam & executionem contractus liciti, non poteſt non eſſe licitum, & præcedentis contractus naturam ſequi, cùm eo ipſo tempore factum videatur, quo prior contractus factus eſt, *l.1. D. qui potior.in pignor.hab.* Notat.in *Auth. ſed iam neceſſe, C. de donat. ant. nupt.* Quòd ſi ad obtinendam executionem prioris contractus liciti, aliquid ab Amedeo Duce etiam per vim, & metum factum fuiſſet, nihil tamen ea res ad edictum Prætoris pertineret: quia ſicut ex parte illius, qui vim ſe paſſum dicit, iuſtus debet eſſe metus, & talis qui cadat in conſtantem virum, ob atrocitatem facti, *l. 5.& 6.D.quod met.cauſ.l.metum.9.C. eod.* adeò vt nec ſufficiat metus infamiæ, nec alicuius quoque vexationis timor, *l.nec timorem.7.D.eod.* (quanto minus timor amiſſionis bonorum?) Ita ex parte illius, qui vim feciſſe, aut metum intuliſſe dicitur, iniuſtum eſſe metum oportet, & improbum, ac malo, & improbo more geſtum, *l.non intereſt.5.l.ſi donationis.7.C. eod.* Nihil autem improbè facit, qui ius ſuũ exequitur, cùm dici ſoleat, Iuris executionem non habere iniuriam, *l. iniuriarum.13. ſ. 1. D. de iniur.* Ideoque nec irritum habendum eſt, etiam quod in carcere geſtum fuit, niſi carcer fuerit iniuſtus, *l. qui in carcerem.22.* vbi Bart. & omnes notant, *D.quod met.cauſ.* ſibique ipſi potiùs vim & metum intuliſſe dicendus eſt is, qui maluit in carcerem coniici, quàm id facere quod debuit. Quemadmodum Paulus de ea muliere ſcribit, quæ contra patronum ſuum ingrata facta, ſciens ſe ingratam, cùm de ſtatu ſuo periclitaretur, aliquid patrono dederit, vel promiſerit, ne in ſeruitutem redigatur, *in l. ſi mulier. 21.*

Non poteſt nõ eſſe licit ũ quicquid fit in conſequentiam, & executionem contractus liciti.

Ex parte illius, qui metum patitur, debet iuſtus eſſe metus, & qui cadat in conſtantem virum.

Metum, qui illatus eſſe dicitur, oportet eſſe iniuſtum, & improbum, vt faciat locũ reſtitutioni in integrum.

Etiam quod in carcere geſtum eſt, tenet, dummodò carcer non ſit iniuſtus.

Applicatio *l. ſi mulier. 21. in*

princip. D. quod met. cauſ.

in princip. eod. tit. vbi ait, in huius mulieris perſona ceſſare edictum, quia hunc ſibi metum ipſa infert. Qui textus mirum eſt, quàm ſit ad propoſitum noſtrum accommodatus. Nam & hîc Io. Iacobus Marchio Montisferrati, quem tot officiis & beneficiis Dux Amedeus ſibi obſtrinxerat, in eo præſertim, quòd tantis & laboribus, & ſumptibus ſtatum Marchionatus periclitantem à Ducis Mediolanenſis violentia & armis defenderat: non parum ingratus erat, qui pacta, quæ belli tempore ſe poſt pacem initam executurum promiſerat, obtenta pace exequi recuſabat. Quænam enim maior ingratitudo eſſe poteſt, quàm pacta non ſeruare, quæ gratitudinis cauſa ſeruaturum te promiſeris? inquit Bald. *ad d. l. vlt. per ill. text. C. de reuoc. donat.* & ſine quibus beneficium pacis non fuiſſes habiturus? Aut quid perfidius, quàm belli tempore, vt pacem obtineas, nihil non promittere: pace autem obtenta, ei illudere, per quem ſis pacem conſecutus, & nihil eorum, quæ bello durante promiſeris, præſtare velle? *l. naturalis. ſ. ſ. quòd ſi faciam, D. de præſcr. verb.* vbi dicitur: [*Si faciam vt des, & poſtquàm feci ceſſas dare, nullam quidem ciuilem actionem competere, ſed de dolo dari debere.*] Quæ tamen nunquam datur, niſi cùm dolus malus interuenit. Erat ergo Io. Iacobus ingratiſſimus erga Amedeum, cuius beneficio obtenta pace, ac recuperatis omnibus, quæ bello iuſtiſſimo Dux Mediolanenſis ex Marchionatu Montisferrati occupauerat, fidem tamen conuentionum inter eos initarum implere recuſabat. Nec tantùm erat ingratiſſimus, ſed etiam, quod neceſſariò erat conſequens, ſciebat

Ingratitudo Io. Iacobi Marchionis erga Ducem Amedeum.

Omnium maxima ingratitudo eſt, pacta non ſeruare, & fidem ei fallere, à quo beneficium acceperis.

Dolus inducitur ex eo ſolo, quod ſi faciam vt des, poſtquã feci, ceſſas dare.

bat se ingratum: (neque enim quisquam ignorans fit ingratus, licèt, vt Aristoteles dicebat, omne peccatum ignorantiam aliquam habeat, in actu scilicet practicè practico, vt Philosophi loquuntur:) neque poterat vllo probabili prætextu facti proprij ignorantiam prætendere, *l. quamquam. 7. D. ad S. C. Velleian.* Cùm ergo videret in eo rem esse, vt de statu non suæ quidem personæ, sed sui Marchionatus periclitaretur iterum; quippe qui nec ignorabat se Duci Sabaudiæ longè potentiori parem esse non posse, *l. 3. in princip. D. de alien. iud. mut. cauſ. fact.* nec nihil non facturum Ducem Sabaudiæ, vt tantam perfidiam armis vindicaret, si promissa omnia non implerentur; quídni potuit eo metu iustissimo quidē ex parte Ducis Sabaudiæ, sed iniustissimo ex parte ipsius Marchionis, ad id adigi, vt faceret coactus, quod sponte & vltrò facere debuerat; id est, vt promissa impleret? Felix necessitas, inquiebat ille, quæ cogit nos ad melio[illegible], An non autem melius fuit fidem seruare, etiam cum aliqua patrimonij iactura, quàm fallere & frangere? *l. 1. D. de pact. l. 1. D. de constit. pecun. l. rem alienam. 41. in fin. D. de pignor. act.* in illis verbis: [*Sed si conuenisset de pignore, vt ex mendacio suo arguatur, improbè resistit, quo minùs vtilis actio moueatur.*] An non allegaret Io. Iacobus propriam turpitudinem, si diceret, pœnitere se, quod Marchionatus sui iacturam aliquam facere, quàm fidem seruare maluisset? *l. si patre cogente. 22.* ibi, [*quia hoc maluisset.*] *D. de rit. nupt.* Non enim pecuniario incommodo vllo æstimari potest cōseruata salus siue corporis, siue existimationis, *l. pen. §. 1. iunct. l. quæ liberti. 8. l. hoc iure. 19. §. 1. l. Aquilius Regulus. 27. D. de donat. l. cùm pater. 77. §. cùm existimaret, de leg. 2.* ibi,

Nemo ignorans fit ingratus, nec factum proprium ignorare quisquam potest.

Quibus rationibus moueri potuerit & debuerit Io. Iacobus Marchio, vt donationē, de qua quærimus, conferret in Amedeum Ducem Sabaudiæ.

Melius est fidē seruare, etiam cum grauissima patrimonij iactura, quàm fidem fallere, vt ex perfidia tua lucrum consequaris.

Nullo pecuniario commodo æstimari potest conseruata salus siue corporis, siue existimationis.

[*Quas*

[*Quas damni causa intercidere durum videbatur.*] *l. isti quidem. 3. §. quod si dederis, D. quod met. caus.* Cessare igitur debet hoc casu edictum, *quod metus causa:* ac multo magis, quàm in specie *d.l. si mulier.* quia metus seruitutis iustissima causa est restitutionis, *l. ego puto. 4. eod. tit.* sed metus amissionis bonorum iusta causa esse nunquam potest.

Metus amissionis bonorũ non potest iusta esse causa restitutionis in integrum, ex capite metus.

Nihil timere potuit Io. Iacobus Marchio, nec eius filius Ioannes ab Amedeo Duce Sabaudiæ.

AT in proposito casu nihil tale est, quia neque Io. Iacobus Marchio, neque Ioannes eius filius quicquam timere potuerunt ab Amedeo Duce Sabaudiæ, quod ad cruciatum corporis pertineret, aut mortem minaretur, aut verbera, vel, vt vno verbo dicam cum Vlp. *in l. 5. eod. tit.* [*Quod esset maioris malitatis.*] Quid enim vnquam vel dux Amedeus, vel Ludouicus eius filius fecit, quod eiusmodi metum inducere potuerit? Admisso etiam eo, quod aduersarij affirmant, & nos negamus, fuisse Ioannem detentum Taurini tanquam in carcere? Nam præter id, quod de eo non constat, & quamuis constaret, iustus carcer fuisset, vt diximus ex notat is per Bart. & alios, *in d. l. qui in carcerem.* illud tamen semper verum esset, nihil à Ioanne Iacobo factum fuisse, nec à Ioanne ipsius filio ob causam carceris; sed tantùm in executionem pactorum Tononẽsium, quorum tempore nec carcer vllus erat, nec iustus vllus, aut probabilis metus, siue iusti, siue iniusti carceris. Nec enim Paulus *in d.l. qui in carcerem.* sic loquitur, vt dicat nullius momenti esse quicquid factum est cum eo, qui detrusus fuerat in carcerem, vt ei aliquid extorqueretur: sed addidit, [*ob hanc causam:*] vt intelligeremus id tantùm nullius momenti esse, quod per iniusti carceris metum extortum est. At in proposito non fuit facta

Nec si fuisset Ioannes retentus Taurini, tãquam in carcere.

Tempore pactorum Tononensium, nec carcer vllus erat, nec metus vllus siue iusti, siue iniusti carceris.

Nõ tam inspiciendũ est quid

donatio

donatio ob illam cauſam, quòd detruſus fuerat Ioannes in carcerem, ſed ob id potiùs, quòd iam inde ab anno *1332.* conuenerat Tononi, vt ea donatio fieret. Quod ſi iniuſtè faciebat Io. Iacobus & perfidè, qui placitis obtemperare detrectabat; non fecit improbè, qui eum ad placita implenda coegit: argumento eius quod ſcribit Vlpianus *in l. 1. in fin. D. ne quis eum qui in ius vocat. vi exim.* in illis verbis: [*Et ſanè ſi deliquit qui vocat, non deliquit qui exemit.*] Nam & Magiſtratus idem facit, vt inuitos cogat pacta ſeruare, & actionem, iudiciumque dictet in inuitos, *l. inter ſtipulantem. 83. §. 1. de verb. oblig.* Nec enim comparatæ ſunt actiones, niſi in perfidos, vt ſcribit Theophilus *initio tit. de action.* quos ex proprio pacto naturaliter obligatos iure gentium dare oporteret, non Iudicis, aut Magiſtratus interuentum expectare, *l. cùm amplius. 84. §. is natura debet, de reg. iur.* Cumque nec Io. Iacobus Marchio, nec Ioannes eius filius vnquam negaſſent velle ſe præſtare, quod Tononi promiſiſſent; ſed tantùm differrent executionem & implementum in tempus longius, ob hoc ipſum ne recuſare viderentur more debitorum & reorum, quos ideo Græci φιλόγους rectè vocant, quid prohibuiſſet retineri Ioannem non in carcere, ſed in aula Ludouici, quouſque effectu ipſo præſtitiſſet, quod & ſe cum patre facturum ſolemniter iam ante triennium promiſerat, & in dies non inuitus, aut coactus, ſed vltrò facere ſe velle profitebatur? An poteſt videri aliquid ab inuito extorſiſſe, qui nihil niſi pactorum executionem accepit, & ab eo quidem, qui nunquam negauerat ſe id facturum? Edicto autem ita demùm locum eſſe certum eſt, ſi quis per vim, aut metum coactus ſit

in carcere geſtum ſit, quàm ex qua cauſa.

Actiones non ſunt comparatæ iure ciuili, niſi in perfidos, & violatores iuris gentium.

Non poteſt videri coactus, qui tandè fecit quod facturum ſe promiſerat, & facere ſe velle profitebatur.

Nihil per metum extorſiſſe videri poteſt is, qui pactorum executionè accepit ab eo, qui nec negauerat vnquam, nec recuſauerat ſe id facturum.

id facere, quod facere noluiſſet, ac quod alioqui non feciſſet. Quid verò ferè intererat an à Marchione Mõtisferrati, & eius filio iam facta eſſet donatio, an promiſſio tantùm de donando: cùm hodie ex Iuſtiniani conſtitutione, *in l. ſi quis argentum. 35. ſ. vlt. C. de donat.* pactum de donando ſit donatio, & ex nuda pollicitatione donandi poſſit quis præcisè cogi ad tradendum?

Hodie nihil intereſt inter donationem, & promiſſionem de donando.

CVM igitur referenda ſint omnia ad pacta Tononi habita, & ad tempus illud, in quo nullus carceris, aut alterius impreſſionis metus ſuberat; nulla certè ratio eſt, vt quæ Taurini geſta ſunt, irrita haberi debeant, manentibus validis iis quæ Tononi geſta erant. Præſertim cùm ad Io. Iacobum Marchionem præcipuè totum id negotium pertineret, qui nec in carcere, nec alibi detentus Taurini proponitur, vbi facta fuit donatio. Et quamuis replicent aduerſarij, non minùs terreri patrem in perſona filij, quàm in ſua propria, *ex d.l. iſti quidem. in fin.* id tamen procederet, ſi poſſet dici, fuiſſe Ioanni filio illatum metum mortis, aut cruciatuum corporis, aut quid aliud ſimile quod iſtis æquiparari poſſet, vt in ſpecie *d.l. iſti quidem. ſ. vlt.* Sed nihil hîc tale fuit. Nullum ergo metum Io. Iacobo illatum fuiſſe dici poteſt, qui tamen ipſe donationem fecit; non Ioannes eius filius, licèt hic quoque donationi ſubſcripſerit, tanquam præſumptus heres futurus, vt *in l. tale pactum. 40. ſ. vlt. de pact.* Eius enim erat donare qui dominium habebat, id eſt, patris non filij; etiamſi de re peculiari actum fuiſſet: aut ſaltem patris voluntas potiſſimùm intercedere debuiſſet, *l. patri. 27. D. de minor.*

Pacta Taurini habita nõ poſſunt eſſe irrita, validis manentibus illis, quæ Tononi geſta fuerant.

Quãdo locum habeat quod dici ſolet, Non minùs terreri patrem in perſona filij, quàm in ſua propria.

Io. Iacobus pater fuit ille qui donauit, nõ Ioannes eius filius, qui in carcere Taurinenſi detentus fuiſſe dicitur.

Patris eſt donare, non filij, etiam cùm de re peculiari agitur.

minor. l. filiusfamiliàs. 7. D. de donat. l. tam is. 25. ff. filiusfamiliàs, D. de mort. cauſ. donat.

QVOD autem in pactis Tononi habitis nulla vis interuenerit, nullúſque metus, præter id quod ex ſola iuris præſumptione credendum ita eſt, maximè verò in Principe quolibet, ſed præcipuè in tam pio ac religioſo Duce, quàm pius & religioſus fuit Dux Amedeus: ex illo etiam manifeſtè apparet, quod Io. Iacobus Marchio, vnà cum Ioanne filio, poſt acceptatas pacis condiciones, quas Dux Amedeus, ſi Beneuenuto credimus, in ipſo actu belli indicendi detulerat, vltrò Tononum petiit, non promiſſis vllis Amedei inuitatus, aut allectus, ſed ſola ſpe, atque opinione rerum ſuarum benè cum amiciſſimo & affinitate coniunctiſſimo Principe gerendarum; qui ſi captata inde occaſione aliquid per vim, aut metum moliri voluiſſet, quídni obſecro ex eo tempore patrem, filiumque retinuiſſet, quouſque non partem Marchionatus cum onere faciendæ inueſtituræ; ſed totum Marchionatum purè ac ſimpliciter non modò promiſiſſet donare, ſed etiam donaſſet, ac tradidiſſet? An non enim vtrumque perinde fuiſſet facile, ac obuium ei, qui de re aliqua iniuſtè & illicitè extorquenda cogitaſſet? Eum namque, qui verecundiæ ac honeſtatis fines ſemel tranſiliiſſet, vt dicebat Cicero, benè ac nauiter impudentem eſſe oportuiſſet: nec ſolet improbitas, præſertim ſi quando inuadat ſupremum Principem, vllam habere moderationem. Et tamen quid obſecro pactis illis conuentum fuit, quod non multo vtilius fuerit Marchioni Montisferrati; quàm Duci Sabaudiæ? Nimirum, inquies, donabat Marchio Duci Sabaudię maiorem partem Mar-

Oſtéditur nullam vim, nullúmq; metum in pactis Tononi habitis inter Ducem Amedeum, & Ioannem Iacobum Marchionem interueniſſe.

Ioan. Iacobus Marchio vnà cum Ioanne filio Tononum vltrò petiit, ſola ſpe rerũ ſuarum benè cum Amedeo Duce gerendarum.

Poterat Dux Amedeus Ioan. Iacobũ, & eius filium Ioannẽ Tononi retinere, & ad omnia quę voluiſſet præſtãda adigere, ſi quid per vim aduerſus eos moliri cogitaſſet.

Pacta Tononenſia fuerunt vtiliora Marchioni Mõtisferrati, quàm Duci Sabaudię.

chionatus: Dux verò Marchioni planè nihil. Itáne verò? Imò donabat & remittebat Dux Sabaudiæ, quicquid in tuitione & pro conseruatione reliqui totius Marchionatus nondum à Mediolanensi Duce occupati expenderat, ad summam vsque trecentorum millium florenorum auri, ad centum & octuaginta millia ducatorum ascendentem. Nilne præterea? Illud etiam, quod se obligabat ad totius Marchionatus tuitionem & defensionem aduersus quoscunque, solo Imperatore excepto: nec tantùm pro bonis infeudatis, sed etiam pro reliquo toto Marchionatu, de quo conuenerat, vt esset in adhærentia, & confœderatione perpetua cum statu Ducis Sabaudiæ. Quid amplius? Quod acceptam ex donatione partem Marchionatus promittebat se infeudaturum Io. filio Io. Iacobi, pro eo eiúsque ascendentibus, descendentibus, & agnatis Marchionibus Montisferrati. Quid denique? Facturum se & curaturum, vt cætera oppida, quæ occupauerat Dux Mediolanensis, restitueret quàm primùm. Itemque Dux ipse Sabaudiæ, vbi peracta essent cætera, restitueret illa etiam omnia quæ fidei eius & custodiæ fuerant commissa belli tempore, ne à Duce Mediolani occuparentur. Quid verò istorum omnium præstitit Dux Sabaudiæ? Prorsus omnia. Non enim solùm restituit quicquid acceperat in custodiam, absque vlla refusione expensarum, quas in eam causam ab eo fieri necesse fuerat: verùm etiàm fecit, vt omnia quæ occupauerat Dux Mediolani, necdum restituerat, restituerentur. Et præterea, eo ipso die quo facta donatio est, infeudauit totum id quod fuerat donatum, exceptis tantùm certis locis & castris, quæ sibi

Quenam, & quãta Dux Sabaudiæ contulerit in Marchionem Mõtisferrati, ad promerendam donationem, de qua quærimus.

Quàm exactè fidem in omnibus seruauerit Dux Sabaudiæ.

Dux Sabaudiæ in bonis sibi donatis, & à se postea infeuda- , nihil nisi

bi de consensu Marchionis, Io. eius filius reseruauit; atque ita in bonis infeudatis nihil sibi iuris retinuit, nisi ius dominij directi & superioritatis, relicto vniuerso commodo & emolumento Marchionatus, Ioanni filio Io. Iacobi, iure vtilis dominij. Quo nomine omnia commoda dominij continentur, vt proinde nihil nisi nudum nomen domini remanserit penes Amedeum: cætera omnia in filium Marchionis translata sunt, quæ antea pater habuerat: tanti scilicet æstimauit Marchio superioritate illa & dominio carere, vt Marchionatu toto pacificè frueretur, & quidquid inter Padum & Tanagrum consistebat non tantum pacificè, sed etiam cũ superioritate retineret, sibiq; aduersus expertam toties Ducum Mediolanensium potentiam, securitatem compararet. Nec infeliciter ea res Marchioni successit, cùm ab eo tempore neque Dux Mediolani, neque alius quisquam Marchionatum illum inuaserit. Quod cùm antea longè aliter euenisset, non alia de causa sic euenisse existimandum est, quàm quòd ab eo tempore id egerint Duces Sabaudiæ, ne vel à se, qui omnium maximè ac cõmodissimè id facere poterant, vel ab alio vllo Marchiones impeterentur. Quis ergo ferat vt post tot promissa & præstita per Ducem Amedeum, eiusq; successorem Ludouicum, & alios ipsorum in Ducatu successores diligẽtissimè obseruata Marchionibus, obiiciatur hodie, nihil Marchiones illos feciſſe, nisi per vim, & metum, vt quicquid ab iis in fauorem Ducis Sabaudiæ factum est, pro infecto & irrito haberi oporteat? Quænam obsecro noua hæc est formula restitutionis in integrum claudicantis, nec nisi ex vna tantùm parte omnia in integrum restituentis? Quidni saltem

nudum nomen domini directi retinuit, & ius superioritatis.

Prudens consilium Marchionis in toto illo tractatu habito cum Duce Sabaudiæ.

Habuerunt Marchiones Montisferrati, ex beneficio Ducum Sabaudiæ, vt ab eo tẽpore neque à Ducib. Mediolanensibus, neque ab alio vllo sint inquietati.

Non debet restitutio in integrum claudicare, sed omnia ex vtraq; parte

in pristinũ statum reponere.

offerunt aduersarij eam condicionem, vt ex vtraque parte omnia in pristinum statum reponantur:ex natura scilicet cuiuslibet in integrum restitutionis, *l. quod si minor.24.ff. restitutio, D. de minor.l.vnica, C. de reput.quæ fiunt in iudic.in integr.restit.* Reddat igitur necesse est oppida,saltem illa omnia,quæ eo tempore Dux Amedeus tenebat,& quorum retinendorum ius ille se habere dicebat, & habebat pro sumptibus, quos in eorum conseruationem feciſſet.Tum verò disputare licebit,an pro iis sumptibus retentionis ius haberet Dux Sabaudiæ, necne. Sed quid reddent,aut præstabunt Marchiones pro ea diligentia,quæ à Duce Amedeo,& filio eius Ludouico præstita est, vt neque Io. Iacobus pater, neque Ioannes eius filius quandiu vixerunt,id est,per triginta annos,illam in Marchionatu fruendo controuersiam & molestiam passi sint,siue à Duce Mediolani,siue ab Imperatore, qui per tot annos habuerat vtrumque in hostium numero? Quid non enim probabile est molituru & perfecturum fuisse Imperatorẽ potentissimum, aduersus tam debilem Marchionem, ipsius etiam Ducis armis & auspiciis,pro ea,quam sacro Imperio debebat,obseruantia, nisi Ducis fauor & interces sio efficax obstitisset? Igitur vel ex hoc solo intelligimus,negotiũ hoc de quo quæritur,non admittere in integrum restitutionem, propter mutatum statum rerum:Et verè hac in specie vsurpari posse quod ait Vlp.*in l.si ex causa.9.ff. Papinianus,D. de minor.* [*Rem ipsam nec capere restitutionem, cùm statum mutat.*] Et quemadmodum aduersus dationem libertatis restitutionem dare minori, quæ omnium fauorabilissima est, omnino impossibile est, vt sequitur *in* §. *vlt.eiusd.legis*: nempe quia li-

Nullã in Marchionatu controuersiam passi sunt Io.Iacobus, aut Ioannes eius filius passi sunt, quandiu vixerunt, à tempore pactorũ Tononensium, & Taurinensium.

Non capit restitutionem ea res,cuius status mutatus est.

bertas,

bertas,quæ ſemel competiit,reuocari nunquam poteſt, *tot.tit.C.ſi aduerſ.libert.§.ſi is qui,in fin.Inſt.de eo cui libert. cauſ.bon.addic.* Ita & impoſſibile eſt reſtitui Marchiones aduerſus donationem illam à Io. Iacobo factam, quia nec fieri poteſt, vt in eum ſtatum reponatur Marchionatus,in quo erat donationis tempore:id eſt,vt certum eſſet periculum inuaſionis ab Imperatore, aut à Duce Mediolani, aut ab ipſo Sabaudiæ Duce faciendæ, ſi non aduerſus illud periculum eius donationis remedio prouiſum fuiſſet.

Cur impoſſibile ſit dari in integrum reſtitutionem contra libertatẽ.

Nõ poteſt Marchionatus reponi in cũ ſtatũ, in quo erat tempore donationis.

IDQVE tanto magis probandum eſt, quod per ipſum Io. Iacobum & Ioannem eius filium factum eſt, ne poſſint omnia ex vtraque parte in priſtinum ſtatum reſtitui,propter dilatam ab iis, eorúmque ſucceſſoribus per tot annos iſtius violentiæ & metus allegationem: quam ſi ſtatim,aut poſt aliquod breuius tempus obiicere voluiſſent,potuiſſet fortaſſe Dux Sabaudiæ condicionem delatam accipere, ſummo Marchionatus malo, vt omnibus hinc inde repoſitis in priſtinum ſtatum à pactis Tononenſibus, & Taurinenſibus recederetur. Porrò quod ipſis Io. Iacobo & Ioanni eius filio, qui contraxerunt,obſtare poſſet,quidni ex iuris regula obſtabit etiam ipſorum ſucceſſoribus? *l. quod ipſis. 143. de reg.iur.* Imò verò longè magis ſucceſſoribus nocere hæc obiectio debet,qui vltrò ſe liti offerunt, vt allegẽt violentiam, quam ij qui contraxerunt nunquam allegarunt: ne quidem per proteſtationem aliquam clandeſtinam,aut anteriorem donatione,aut poſteriorem;quę tamen interponi alioquin debuerat, *arg. l. ſi filiusfamiliàs.16.D.de S.C.Maced.* in poſtremis illis verbis: [*Debet pater ſi actum filij ſui improbat, continuò teſtationem interponere*

Factum eſt per Marchiones Montisferrati ne poſſint hodie omnia in priſtinum ſtatũ reſtitui,propter tandiu dilatas metus & violentiæ allegationes.

Quod ipſis qui contraxerunt obſtat, multo magis obſtat ipſorum ſucceſſoribus.

nere contrariæ voluntatis.] *l.pro herede.20.D.de acquir.hered.* Itaque multo minùs ſuccurrendum eſt eorum ſucceſſoribus, qui ſe vltrò in eas anguſtias coniiciunt, vt iubendi ſint & cogendi facere id, quod tamen facere nullo modo poſſint, *l.ſi fideiuſſor.7.§.ſi neceſſaria, D.qui ſatiſd. cogant.l.2.§.vim fluminis, D.ſi quis caution.* At neque ipſis contrahentibus vnquam ſuccurrendum fuit, cùm de illa vi & metu nunquam conqueſti ſint, & omnia fecerint, per quæ coniici & probari poſſit, nũquam eos, aut de petenda in integrum reſtitutione, aut de hoc iure ad heredes & ſucceſſores ſuos tranſmittendo cogitaſſe: cùm etiam vltrò, & non requiſiti id egerint, vt per omnes eos qui ſucceſſuri ſperabantur, rata haberentur omnia, quę inter Ioannem Iacobum & Amedeum Ducem geſta fuerant: id eſt, per omnes Io. Iacobi filios, Guillielmum ſcilicet, Bonifacium, & Theodorum, quorum omnium ratihabitiones expreſſæ in actis allegatæ, & productæ fuerunt. Quid enim tam alienum à voluntate petendæ reſtitutionis in integrum, aut ad heredes tranſmittẽdæ, quàm ſi is qui reſtitutionem petere poſſet, non ſolùm non petat per longum & longiſſimum tempus, quo ſuperuixerit; ſed & futuros heredes ac ſucceſſores ſuos vltrò prouocet ad habenda rata ea omnia, aduerſus quæ potuiſſet ille in integrũ reſtitui? Eſt enim hic vnus ex caſibus, ſi quis alius in toto iure noſtro vllus eſt, in quibus beneficium reſtitutionis, ſi quod ab initio competiiſſet; ex poſtfacto tamen excluditur omnino & amittitur. Nam nec nouum eſt, vt quis abiiciat beneficium reſtitutionis, non ſolùm ſibi competentis; ſed etiam petitæ iam & impetratæ, ſi rationibus ſuis magis conuenire reperiat ea non vti, *l.ſi iudex circumuento.*

Io. Iacobus & eius filius Ioãnes nunquam de huiuſmodi vi, aut metu conqueſti ſunt.

Imò non requiſiti & vltrò curarunt rata haberi per ſuos ſucceſſores omnia, quæ cum Duce Sabaudiæ geſſerant.

Ratihabitiones factæ vltrò à cæteris omnib. filiis Ioannis Iacobi.

Poteſt quis beneficium reſtitutionis in integrum ſibi cõpetentis vltrò abiicere, ſi nolit eo vti.

uento.41.D.de minor. Quod ſi qua reſtitutio Guillielmo, Bonifacio, & Theodoro competiiſſet, ea proculdubio ipſorum proprio nomine competiiſſet, non iure hereditario, nec tanquam ſucceſſoribus Io.Iacobi: cùm meliorem alium petendæ reſtitutionis colorem non habuiſſent, quàm quòd vrgente & cogente patre, id feciſſent, cui per verecundiam contradicere auſi non fuiſſent, *ex l.1.ſ.quæ onerandæ, D.quar.rer.act. non det.l.pen.de furt.* Manſiſſent igitur ſemper in ſuo robore contractus illi omnes, quos pater ipſe feciſſet, quoſque non ſolùm nunquam ipſe improbaſſet; verùm etiam à filiis ſuis & præſumptis ſucceſſoribus omnibus comprobatos eſſe voluiſſet, adeoque comprobari curaſſet. Cùm igitur & Io.Iacobo heredes omnes extiterint, & nemo ex ipſis, aut reſtitutionem in integrum petierit: tametſi proprium factum ignorare non poſſet, aut de vi ſibi, ſuóve patri illata conqueſtus ſit, quis hodie propitiis auribus ſucceſſores ipſorum audiat, poſt cētum annos, idipſum allegantes? *arg.d.l.Procula.26.D.de probat.l.cùm poſt.69.in princip.D.de iur.dot.l.vir vſuras.54.D.de donat.int.vir.& vxor.* Iunge *l.Bæbius.30.D.de pact.dotal.* ibi, [*Non quaſi mulieris ex perſona defunctæ pacti exceptione ſe tuebatur: ſed ipſe erat ille, qui etiã viua muliere, ſi ab eo dos peteretur, &c.*] *l.vlt.C.qui & aduerſ.quos in integ.reſt.non poſt.l.cùm quidam.17.ſ.Diuus Pius*, ponderando verba illa, [*vt gratior debitori tuo eſſes, petendas non putaſti,*] *D.de vſur.*

Liberi omnes Io. Iacobi heredes ei extiterūt, nec vnquã aut de ſuo, aut de patris facto conqueſti ſunt.

Ex his apparet pacta quæ Tononi fuerunt inita inter Ducem Sabaudiæ, & Marchionem Montisferrati, eorumque maſculos primogenitos, ac ſucceſſores futuros, non ſolùm ex bona fide, non per vim, aut dolum

Pacta inter Ducem Sabaudiæ, & Marchionem, Tononi habita, nõ ſolùm iuſtiſſima fuerunt, ſed

etiã Marchioni vtilia maximè, & honorifica.

facta esse: sed etiam Marchioni fuisse & vtilia, & honorifica, qui in eo alioqui erat, vt totius sui Status & Marchionatus iacturam facere potuisset, quem beneficio Ducis Amedei tandem integrum & saluum habuit, eumque pacificè ac feliciter in tempus vsque mortis suæ retinuit.

Ex confœderationibus, quas habuit Amedeus cum hostib. Marchionis, nihil inferri potest cõtra pactiones Tononenses.

PROINDE ociosum videtur, & inutile, plura dicere de confœderationibus, quibus aduersarij nitũtur, vt probent fuisse Amedeum hostem Marchionis, & socium belli, quod contra Marchionem à Duce Mediolani paratum primùm, deinde etiam motum est. Quicquid enim fuerit de dictis confœderationibus, nihil tamen ex iis inferri potest, ex quo sumi probatio vel præsumptiõ debeat, quod pacta postmodùm inita, vim aliquam habuerint, aut metum: cùm facta sint eo tempore, quo mutata erat rerum condicio, iamque acceptata per Marchionem pax, quæ ab Amedeo in ipsa belli denunciatione oblata fuerat, vt ex ipsis pactis apparet. Quorum porrò tractandorum gratiâ, quis credat Marchionem, eiúsque filium Ioannem Tononum ituros fuisse, ac tam beneuola & familiari collocutione res suas tractaturos, si eo adhuc tempore bellum inter eos & Ducem Sabaudiæ viguisset, necdum pax fuisset subsecuta? Vigebat quidem adhuc bellum inter Marchionem & Ducem Mediolani, ob eamque nimirum causam Amedei Ducis auxiliũ implorabatur, vt desperatis rebus componendis se interponeret, atque interim cætera Marchionatus loca, quæ nondum Dux Mediolani occupauerat, in fidem ac custodiam suam tuenda, conseruandaq; reciperet, eidemque Marchioni restitueret, postquàm

Tempore pactorum Tononensium nullũ vigebat bellum inter Ducem Sabaudiæ, & Marchionem.

poſtquàm Marchio ex parte ſua promiſſa omnia ſolemniter peregiſſet. Quid ergo attinet de his quæ bellum præceſſerunt, aut quæ belli tempore geſta fuerunt, tractare, cùm ſecuta pax fuit? Cuius vel maximè proprium illud eſt, vt omnem belli memoriam deleat, & ἀμνηστίαν illam inducat, id eſt, malorum omnium, quæ belli furor inuexerat, perpetuam, quantùm fieri poteſt, obliuionem.

Secuta pace, nihil attinet belli memoriam repetere.

SED & ſi maximè verum eſſet, quod aduerſarij affirmant, & nos negamus, habuiſſe Ducem Amedeum eo tempore exercitum in Prouincia Pedemõtana, cuius terrore perculſus Io. Iacobus Marchio pacem, & pacis pacta illa cum Sabaudiæ Duce miſiſſet, tantùm abeſt, vt ob eam cauſam minùs valitura fuerint pacta, quaſi per vim & metum extorta, vt potiùs, & tanto magis dicendum ſit ea valuiſſe, tanquam quæ ineundæ paci cauſam dederint, & ſine quib. pax ſecuta non fuiſſet. Fuitq; in hunc vſque diem inauditum, vt poſt initam pacem, ſedatis iam omnibus, conuentiones pacis ob id ſolùm irritas facere quiſquam voluerit, quòd vel à victo factæ eſſent cum potentiore, vel ab eo qui ſe à potentiore præuideret victum iri. Nec enim æquas condiciones pacis aut offerre, aut ſperare debet is, qui ſe aduerſario ſuo longè inferiorem eſſe intelligat: cùm ſit ex iure gentium, vt qui in bello potentiores ſunt, melioribus condicionibus pacem inire velint; nec ea res facit iniquas condiciones pacis, cùm is qui vel victus eſt, vel in eo fuit vt iam iam vinceretur, tanti habuerit pacem comparare, ac eo veluti precio quædam amittere, ne cætera quoque perderet. Alioqui nulla pax tam firma

Pacta, quæ ineundæ paci cauſam dederunt, quamuis alioqui per vim & metum extorta, ſeruanda ſunt.

Cùm potẽtiore neque bellum, neque pacem inire inferior poteſt, niſi iniquis condicionibus.

& ſancta eſſet, quæ non hac ratione ſubuerteretur: cùm vix vnquam eueniat, vt inter eos bellum geratur, quorum non ſit alter altero potentior: Nec rurſus, vt qui potentior eſt, nolit ſuæ potentiæ fructum illum ferre, vti ne abſque aliquo lucro, & commodo ab armis diſcedat. Et æquitas condicionum facit duntaxat, vt ſperari poſſit longior pacis continuatio, quemadmodum à Legato illo reſpõſum aliàs Romanis fuit: Non etiam vt à pacis cõdicionibus ob id ſolùm reſilire quis poſſit, quòd eas minùs æquas, ſibiq́ue damnoſas eſſe exiſtimet. Itaque pacis condiciones omnimodò ſeruandæ ſunt, *l. ſi quid bello. 28.* in poſtremis illis verbis: [*Si modò non conuenerit in pace vt captiui redderentur.*] *D. de captiu. & poſtlim.* Siue pacem pactione dictam quis velit, ſiue pactum à pace, *l. 1. ſ. 1. D. de pact.* Facit *l. in bello. 12.* in illis verbis: [*De quibus nihil in pactis erat comprehenſum.*] Et paullò poſt: [*Niſi fœdere cautum fuerat ne eſſet iis ius poſtliminij,*] *de capt. & poſtlim.* Nec pacis condiciones quamuis iniquiſſimæ & per vim apertam extortæ, ad edictum Prætoris pertinent, [*De eo quod metus cauſa,*] cùm ex iure gentium, profectæ ſint; ex quo etiam bella fluxerunt, *l. ex hoc iure. 5. D. de iuſt. & iur.* Tantoq́ue iuſtiores videri debeant, quanto iuſtius bellum fuit ex parte illius, cui ſunt illæ vtiliores: vt hanc delicti & criminis ſui pœnam ſentiat is, qui bellum iniuſtum gerere voluit. Quamuis non eo minùs iuſtæ & licitæ ſint condiciones pacis, quòd bellum etiam ex parte victoris iniuſtum fuerit: quia poſt factam pacem nihil amplius de bello quærendum eſt; ſed tantùm, quid in pace conuenerit, vt id demùm, & omnimodò ſeruandum ſit, quod conuẽnit, ſicuti dicimus de omni eo quod iuratum eſt, *l. non erit.*

Æquitas condicionum pacis, longiorem facere poteſt pacem, nõ ſanctiorem.

Pacis condiciones quãuis iniquiſſimæ, ac per vim apertam extortæ, non pertinent ad edictũ *quod met. cauſ.*

Poſt factã pacem nihil amplius de bello, aut de belli iuſtitia quæri oportet, ſed tantum quid in

erit.s.§.dato iureiurando, D.de iureiur. Nam neque pax vlla fit etiam inter infideles, quæ non iureiurando confirmetur. Nec de belli iuſtitia quærere attinet, niſi cùm diſputatur, an capta in bello facta fuerint occupantium, ſi vel pax nulla ſecuta, vel in pace nihil de eo dictum ſit: Bart. & poſt eum cæteri, *ad l. hoſtes. D. de captiu. & poſtlim.*

ſancienda pace conuenerit.

IN propoſito autem etiamſi bellum aliquod geſſiſſet Dux Amedeus cum Marchione Montisferrati, aut in eam rem exercitum paraſſet, iuſtiſſimum tamen id fuiſſet, tanquam Imperatoris Sigiſmundi iuſſu ſuſceptum, aduerſus hoſtem Imperij, qualis habebatur dictus Marchio, propter confœderationem, quam cum Venetis & Florentinis aduersus Imperatorem ipſum inierat, vt conſtat ex pleriſque Sigiſmundi ad Amedeum literis, quibus non modò imperat ei præcisè Imperator, vt arma moueat cum Mediolani Duce in Marchionem, & Marchionatum; ſed etiam comminatur & interminatur ni id faciat, eum ſe in rebellium & hoſtium numero habiturum, & quicquid ille ab Imperio teneret, ablaturum. Nemo autem vnquam dubitauit quin & iuſtum, & quod magis eſt, publicum bellum cenſeri deberet, quod vel ab ipſo Imperatore, vel ex Imperatoris ſaltem authoritate indiceretur: Bart. & alij *in d.l. hoſtes*, quod vtrumque hîc interuênit. Quamuis iam dudum obtinuerit, vt non modò Imperator; ſed etiam qui ſub Imperatore ſunt Principes, bellum poſſint indicere, dummodò Imperij iura habeant, quomodo habere eos neceſſe eſt, qui ſupremi Principes appellantur. Idque à Principibus Italiæ maximè vſurpatum & frequentatum ſemper fuiſſe conſtat, vt &

Etiamſi bellum aliquod geſſiſſet Dux Sabaudiæ cõtra Marchionem Mõtisferrati, iuſtiſſimũ tamen id fuiſſet, tanquam ſuſceptũ pro Imperatore contra hoſtem Imperij.

Epiſtolæ & cõminationes pleræque Sigiſmundi Imperatoris ad Amedeũ Ducem Sabaudiæ ad mouendũ bellũ in Marchionẽ & Marchionatum Montisferrati.

Principes Italiæ ſolent bella & mouere, & cõponere pro

arbitrio, etiam inconsulto Imperatore.

bella mouerent pro arbitrio, & pacem etiam inconsulto Imperatore stabilirent: vt proinde non sit dubitandum, quin omnia quę Dux Mediolani ex Marchionatu Montisferrati occupauerat, & quæ nisi Ducis Amedei fauor & gratia obstitisset, occupaturus fuerat, capientis facta iure gentium fuissent. Nec minùs Amedei Ducis, si is, vt in belli, quemadmodum aduersarij affirmant, ita & in prædæ societatem veniſſet: aut si etiam post firmatá cum Mediolani Duce pacem, tam iniuriosè ac perfidè cum eo agere Marchio voluisset, vt quæ belli tempore, quod à Mediolani Duce gerebatur, præstari post pacem initam conuenerat, præstare ille ac adimplere recusasset. Fatentur enim ijdem aduersarij, quod ipsis rerum experimentis compertum est, adeò semper fuisse Duces Sabaudiæ Marchionibus Montisferrati potentiores, vt non tam ab iis bellum, quàm certissimum sibi excidium timere debuerint. Quo admisso, quod nos quoque adfirmamus, quisnam obsecro aut restitutioni in integrum locus esse potest, aut allegationi violentiæ, ex parte Marchionum Montisferrati; tametsi maximè iniquis condicionibus à Duce Sabaudiæ pacem Marchio redemisset? Præsertim si ponas, quod aduersarij iam olim, falsò tamen obiicerunt, sub idem tempus pactorum Tononi habitorum, habuisse Ducem Sabaudiæ in agro Pedemontano exercitum iam ad Marchionatus inuasionem expeditum, cui resistere nullis machinis, aut viribus, nec aliis quàm pacis artibus Marchio potuisset. Quis ergo ei imputet, quod ad Sabaudiæ Ducem adhuc longè agentem, ac Tononi commorantem, miserit, ex consilio Euangelij, rogatum ea quæ pacis essent, ac non potiùs cur tandiu di-

Quæ ex Marchionatu Dux Mediolani per bellum occupauerat, facta erant capientis iuregentium, & facta fuissent Ducis Amedei si occupasset.

Duces Sabaudiæ, vel ex ipsa Mantuanorum confessione, sęper fuerunt potentiores Marchionibus Mõtisferrati.

Nõ potest imputari Ioanni Iacobo Marchioni cur pacem ab Amedeo Duce Sa-

stule

ſtulerit, & Hannibalem ad portas venire expectauerit? Cùm ergo dubitari nequeat, quin iuſtiſſimum futurum eſſet bellum, quod Dux Sabaudiæ aduerſus ingratum & perfidum, totque acceptorum beneficiorum immemorem, pro conſequenda indemnitate mouiſſet: nec de illo rurſum, quin bello moto ſtatim omnia Dux Sabaudiæ occupaturus fuiſſet, ſuaque facturus illa etiam quæ Mediolani Dux paullò ante cœperat iam, & reſtituerat, quis miretur Marchionem ad obtinendum pacem iniquiores etiam conditiones non tam accepiſſe oblatas, quàm vltrò ipſi obtuliſſe, in eamque cauſam vnà cum Ioanne filio Tononum iuiſſe, vt & tanti Principis amicitiam promereretur primùm, deinde promeritam retineret, atque ita Marchionatum quoque ipſum ſibi, ſuiſque conſeruaret, de quo tam euidenter periclitari ſe animaduertebat? Vetus, planéque verum Taciti verbum illud eſt, Iuſtum & honeſtum bellum, etiam inhoneſta pace vtiliter ac feliciter commutari. Neque malè res ſuas geſſiſſe videri poteſt, qui in ſumma rerum omnium deſperatione maluit partem Marchionatus donare, idque non abſolutè, ſed vt eam filius in ſubfeudum acciperet, quàm totius ditionis ſuæ iacturam præſentem facere. Denique de Marchione poſſis verè dicere, quod Martialis de eo qui Lino partem dimidiam petitæ in mutuum quantitatis donare maluerat, quàm totam quantitatem credere:

baudię rogauerit, & obtinuerit.

Ioan. Iacobus Marchio Montisferrati non tam oblatas ſibi ab Amedeo pacis conditiones accepit, quàm vltrò obtulit.

Iuſtum etiam & honeſtũ bellum, inhoneſta quoque pace commutatur.

Marchioni Montisferrati donãri partem Marchionatus Duci Sabaudiæ potuit applicari elegans hoc diſtichũ Martialis.

Dimidium donare Duci, quàm perdere totum
Cùm mauult, mauult perdere dimidium:

ſcilicet quàm totum. Quibus verſibus indicat Martialis, non ſemper ſtultum eſſe & incautum eum, qui donat,

donat, & donando perdit; sed ita demùm si potuerit meliùs sibi cauere, vt nihil perderet. Prudenter verò illum facere, qui Castoris exemplo, ne totum perdat, parte sui aliqua etiam precioſiſſima se spoliat: Et quanto grauiorem vim sibi fingunt aduersarij, vt donationem per vim & metum extortam fuisse probent, tanto iustiores ac tutiores faciunt condiciones pacis, etiamsi forent iniquissimæ, cùm aduersus vim nihil sine vi fieri possit, aut sine precibus. Sufficitque nobis ad victoriam huius litis, vt & iustum & publicum illud bellum futurum fuerit, & Marchioni prorsus exitiosum, vt pacta Tononi habita iure licito facta esse concludamus, quando de aliis pacis condicionibus nusquam apparet; ideoque nec ad Prætoris edictum pertinere, *l. 3. §. 1. D. quod met. cauſ.* vbi dicitur de eo edicto vim atrocem accipiendam esse, quæ aduersus bonos mores fiat, non eam quæ iure licito inferatur, puta, inquit Vlp. [*A magistratu populi Romani, si eam non per iniuriam, sed honoris sui quem sustinet, iure intulerit.*] Quanto igitur minùs ea continebitur, quæ à supremo Principe illata sit, non tantùm honoris sui tuēdi gratiâ, ne alioqui tantam ab inferiore Principe passus iniuriam, si eam dissimulasset, minùs animi quàm virium habuisse crederetur: sed etiam vt Imperatoris iussa tam multa, tamque iusta capesseret, cui parere habebat necesse: *l. non videntur. 167. §. 1. de regul. iur. l. deprecatio. 5. ad leg. Rhod. de iact. d. l. hostes.* vbi Bart. & alij *de captiu. & postlim.*

Non omnis qui donat, donando perdit.

Applicatio *l. 3. §. 1. D. quod met. cauſ.*

Quod fit ab inferiore Principe iussu Imperatoris, non potest non fieri iure licito.

SED tamen, si verum amamus, nihil est in supradictis confœderationibus inter Sabaudiæ & Mediolani Duces

De confœderationibus initis inter Sabau-

Duces initis, ex quo tantum sibi metum à Sabaudiæ Duce illatum suspicari, aut conqueri Marchio potuerit. Nam quod ad primum fœdus pertinet anni *1427.* nihil in eo de Marchione Montisferrati dictum est, qui potiùs sub generali nomine [Colligatorum,] comprehensus videri debuit, cùm & adfinitate proxima vtriq; coniunctus esset, & euētus docuerit, nihil alios eo fœdere in illū moliri voluisse: cùm anno sequente *1328.* inter eosdem Duces & Marchionem aliud fœdus initum fuerit, non quasi pace & reconciliatione aliqua cum Marchione facta, sed potiùs ne dubitari posset quin [Colligatorum] numero, de quibus in priore fœdere actum fuerat, contineretur, vt quicquid ex præcedente causa fieri potuit, ex ea factum intelligatur: ex not. *in l. prædia. D. de acquir. poss. l. 2. C. eod. l. quædam mulier. 77. de rei vindic.*

diæ & Mediolani Duces.

De primo fœdere anni 1427. quòd in eo nihil actum sit contra Marchionem Montisferrati.

QVOD autem ad secundum fœdus spectat, quod anno *1431.* die 18. Octobris iuratum fuit inter eosdem Sabaudiæ & Mediolani Duces, etsi in caput Io. Iacobi Marchionis factum illud fuisse non negamus: hoc tamen verè dicimus, ex ipsa fœderis lectione constare, nullum adhuc eo tempore motum fuisse bellum à Duce Sabaudiæ contra Marchionem; sed à Duce tantùm Mediolani: Nec vltrò, aut iniustè, aut etiam Amedei Ducis ope, vel consilio, vt aduersarij criminantur; sed iustissimis de causis, cùm Marchio spretis Sigismundi Imperatoris mandatis & imperiis, ruptóque fœdere, quod proximè diximus ab eo contractum fuisse cum Sabaudiæ & Mediolani Ducibus, anno *1328.* Venetis adhærere maluisset, iam tùm hostibus Imperij, & Du-

De secundo fœdere anni 1431.

Bellum à Duce Mediolani cōtra Marchionē Montisferrati, iustissimis de causis susceptū, sed neque ope, neque consilio Dei Sabaudiæ.

cis Mediolani, adeoque iam pleraque oppida & castra illorum, qui Cæsaris & Ducis Mediolanensium partes tuebantur, aperta vi expugnasset. Quo nomine clarissimum est, non minùs iustum ab Amedeo bellum inferri ei potuisse, cùm Amedeus iisdem & Cæsaris Imperiis, & vindicandæ perfidiæ rationibus, ad nouum illud fœdus cum Mediolani Duce ineundum vrgeretur. Si enim perfidè Marchio fecerat, qui fidem fregerat, æquissimum erat de fide rupta conqueri vtrumque Ducem, & quamuis non apud Prætorem, iure tamen, non minùs quàm armis experiri. Quod ipsum tamen ab Amedeo factum est tanta cum moderatione, & durantis adhuc adfinitatis veneratione, si aduersariis credimus, & eorum Historiographo Beneuenuto, vt non priùs bellum ei minatus sit, quàm pacis conditiones eidem obtulerit: nec vel has, vel illas, quod obseruatione dignum est, sed quales ipse vltrò deferret, si modò æquæ viderentur, & eo dignæ Principe, qui vt belli iustitia, sic & in cæteris omnibus Amedeo inferiorem se non negaret. Vt taceam non modò Amedeum Ducem potuisse eo tempore iustum bellum in Marchionem mouere, & castra ipsius, locaque omnia, si aliud nihil obstitisset, occupare; sed & alium quemlibet, qui id armis assequi se posse credidisset: cùm notorio, publicoque læsæ Maiestatis crimine Marchio constringeretur, publiceque tam à Cæsare, quàm ab omnibus facto ipso talis, ac veluti proscriptus haberetur: Afflict. *in tit. hic finit lex, in princip. num. 7.* & post eum Paris. *cons. 5. num. 172. & seq. vol. 4.*

Poterat Amedeus Dux Sabaudiæ nō minùs iustè bellū inferre Marchioni.

Quanta moderatione & belli & pacis conditiones Dux Sabaudiæ Amedeus Marchioni obtulerit.

Marchio Montisferrati publicè habebatur eo tépore pro reo læsæ Maiestatis Cæsareæ.

ATQVE ita esse, vt dicimus, id est, pacis conditiones illas quæ pactis Tononensibus continerentur, ab ipso

ipso Marchione propositas & delatas fuisse potiùs, quàm per vim aut metum extortas, præter illa quæ iam diximus, ex eo quoque intelligimus, & apparet manifestissimè, quòd nihil fuit Marchioni prius, aut antiquius, quàm vt quæcunque loca & castra Marchionatus habebat in sua potestate, nondum per Ducem Mediolanensium erepta, & occupata, traderet in depositum Duci Amedeo, vt hoc veluti remedio, quod vnicum supererat, se suáque victricibus Mediolanensium armis subtraheret: aut si nec Amedeum vereri & reuereri Dux Mediolani vellet, Amedeum tamen non solùm hostem Marchio non haberet, sed etiam fautorem, & confœderatum, cuius auxilio factus potentior Ducem Mediolani facillimè profligare posset. Eamque primam pacis condicionem fuisse ex eo apparet, quòd ante pacta Tononensia ea dispositio facta est, vigore literarum dicti Io. Iacobi datarum Tridini, penult. Decembr. *1432.* sumpto natiuitate Domini. Et in pactis Tononensibus expressim conuenit de castris illis, & locis omnibus Marchioni per Ducem Amedeum restituendis, postquam Marchio omnia quæ promiserat impleuisset. Restitutio autem promissa depositi apertè probat depositum, *l. Publia. 26. §. 1. D. depos. l. Titia. 34. §. codicillis. de leg. 2.* Quis verò deponit res suas nisi volens? Aut quis depositum suscipit, nisi qui & amicus sit, & de eo rogatus? Nam & inde est quod iure nostro depositarius non tenetur nisi de dolo, non ob id tantùm, quod solius depositarij gratia depositum fiat, *l. si vt certo. 5. §. nunc videndum, D. commodat.* sed etiam, quia de se ipso conqueri debeat, qui negligenti amico rem suam custodiendam tradit, vt Caius ratiocinatur, *in l. 1.*

Ostenditur pacis cõdiciones à Marchione Montisferrati oblatas non acceptas fuisse.

Quænam fuerit prima condicio pacis inter Ducem Sabaudiæ & Marchionem.

Restitutio promissa depositi probat depositum.

Cur depositarius nõ teneatur nisi de dolo.

ſ. is quoque, de oblig. & act. & poſt eum Iuſtin. *in ſ. is quoque, Inſt. quib.mod.re contra.oblig.* Quamquam ſi [tumultus] ex eo dictus eſt, vt Grammatici volunt, quaſi [timor multus,] non nego depoſitum hoc ex eorum numero fuiſſe, quæ tumultus, aut incendij, aut ruinæ, aut naufragij cauſa facta dicuntur, & quæ Prætor in edicto de depoſitis nota ſpeciali digna putauit: cùm & timore multo perculſum Marchionem tùm fuiſſe negari non poſſit, & incendium quoque & ruinam, ac naufragium denique à tantis hoſtibus, id eſt, ab Imperatore & Mediolani Duce timere debuerit, ſi Amedei erga vtrumque gratia, & potentia non interceſſiſſet. In quo depoſiti genere, ſicuti grauior perfidia eius eſt, qui depoſitum non tam ex electione, quàm ex neceſſitate factum denegat, & digna quæ dupli pœna coerceatur, *l.1.ſ.1.l.de eo.18.D.depoſ.* Ita & ingratitudo longè intolerabilior eius, qui à tanto amico acceptum in ea neceſſitate beneficium nolit, non ſicam remunerari, ſed agnoſcere. Etſi nec illud facilè ferre poſſum, vt quod in depoſitis tumultus, incendij, ruinæ, ac naufragij cauſæ factis euenire ſolet, Amedeum Ducem quaſi obuium alium quemlibet Marchio rogauerit, de accipiendo in depoſitum omni eo, quod perdendum, & occupandum ex Marchionatu ſupererat. Eligendus enim erat aliquis, qui ea & apud Cæſarem, & apud Mediolani Ducem polleret gratia, & authoritate, vt non modò pacem; ſed etiam occupatorum omnium reſtitutionem impetrare poſſet, & quæ nondum occupata fuerant conſeruare, ſiue *honoris iure*, vt loquitur *d. l.3.ſ.1. quod met.cauſ.* ſiue etiam armorum poteſtate: vt ſi Ducem Mediolani honor & tanto Principi, & ſocero debitus

Tumultus ex eo dictus, quaſi timor multus.

Grauior eſt perfidia eius, qui depoſitum ex cauſa tumultus, vel incẽdij, vel ruinæ, vel naufragij factũ denegat.

Grauior ingratitudo eius, qui acceptũ ab amico in tanta neceſſitate beneficium non modò remunerari non vult, ſed nec agnoſcere.

Cur Amedeum Sabaudiæ Ducem elegerit Marchio Montisferrati in depoſitarium caſtrorũ, quæ hoſtis Dux Mediolani nõdum occupauerat.

bitus continere non posset; maior tamen Amedei potentia eum à grauioribus damnis Marchioni inferendis prohiberet, impetúmque armorum ipsius etiam inuiti sisteret, nec belli incendia latiùs vagari pateretur. Qui autem id præstare posset vnicus erat Amedeus, pro ea qua & apud Imperatorem, & apud generum valebat gratia. Præstitit verò amicissimè, diligentissimè, fidelissimè: cùm ab eo tempore non solùm damna nulla Marchioni, aut à Cæsare, aut à Mediolani Duce illata fuerint: sed etiã restituta omnia quæ in illũ vsque diem Dux Mediolani occupauerat, necdum restituerat. Nec tamen hoc ita accipi volumus, quasi hãc fidei suę, & officij pręstiti mercedẽ etiam ab inuito extorquere Amedeus potuerit, aut voluerit, quod regio ipsius animo dignũ sanè non fuisset; sed sic potiùs vt has & plurimas & iustissimas remunerandi Amedei causas Marchio habuerit, ad dissoluendam obligationem illam, qua se obstrictum sentiebat ad ἀντίδωρα, & quæ facere poterat, vt etiam quod ob eam causam Amedeo donatum esset, non tam donasse ille, quàm veluti permutationis quodam genere in Amedeum transtulisse crederetur, *l. sed & si lege 25. ff. consuluit, D. de petit. hered. d. l. hoc iure. 19. §. 1. l. Aquilius. 27. l. si pater. 34. ff. 1. D. de donat.* Tametsi nec omnino donatum dici possit Amedeo, quod Amedeus statim reddidit, licèt non Io. Iacobo, à quo donationem acceperat; tamen Ioanni eius filio; ne alioqui donatio simulata, & translatio dominij impedita fuisse dici posset, arg. *l. qui sic. 55. D. de solut.* quamuis secuta statim alienatio rei donatę, dummodò titulus alienationis immutatus sit, non impediat quominùs dominium ex donatione trãslatum intelligatur, *l. qui id quod. §. 1. D. de donat.*

Quàm exactè amici & fidelis depositarij officia omnia Dux Amedeus erga Marchionem impleuerit.

Quòd Marchio Montisferrati donauit Duci Sabaudię, nõ tam donasse, quàm certo permutationis genere in eum transtulisse credendus est.

Alienatio, quæ donationẽ statim subsecuta est, dummodò alienationis ti-

tulus sit immutatus, non facit irritam donationem.

In proposito autem, licèt infeudatio quoque donatio sit, cùm feudum nihil sit nisi beneficiũ, nec beneficium nisi liberalitas & donatio, *l. interdictum. 14. D. de precar.*

Infeudatio donationis species quædã est.

attamen species quędam donationis est, per quam non totum transfertur in accipientem, sed ius aliquod, scilicet directi dominij, & superioritatis in feudo retinetur. Ideóque minus beneficium à Io. Iacobo Marchione in Amedeum Ducem collatum videri debuit, cùm ea lege collatum esset, vt eadem ipsa castra & territoria Dux Amedeus subinde Ioanni Marchionis filio infeudare teneretur. Non enim pura & absoluta donatio dici potest, quæ certis legibus & condicionibus facta est; *l. 1. & tot. tit. C. de donat. quæ sub mod.* Et quamuis nihil in donatione dictũ legamus de huiusmodi infeudatione subinde facienda, cùm tamen eodem die coram iisdem Notariis & testibus vterque actus secutus sit, negari non potest, quin sint actus correspectiui, & alter alterius contemplatione facti, *l. cùm te. 6. C. de pact. int. empt. & vendit.* aut potiùs vnus, idemque actus dicendus, cùm posterior factus sit incontinenti post priorem, antequàm contrahentes ad alia negotia diuertissent, vt *in l. duos reos. 6. §. vlt. D. de duob. reis.* Et ea quæ incontinenti fiunt inesse credantur, *l. lecta. 40. vers. dicebam, D. de reb. credit. l. iuris gentium. 7. §. quinimò, D. de pact.* Idque apparet euidentiùs ex pactis Tononensibus, quibus cautum erat, Rei gerendæ ordinem eum fore, vt donatio præcederet, infeudatio deinde, & adhærentia subsequeretur. A quibus pactis tanquam à causa sumendum est, quicquid postea factum sit, in executionem scilicet pactorum per laudum & sententiam arbitrorum, & Oratorum, quos Dux Mediolani cõstituerat, adprobatorum.

Non est pura & absoluta donatio, quæ certis legibus & condicionibus facta est.

Cùm negotiũ vnũ geritur incontinenti post alterũ, aut duo sunt actus correspectiui, aut vnus cõtractus esse intelligitur.

A pactis præcedẽtibus, tanquam à causa, pendere intelligitur quicquid postea factum est.

Quid

Quid verò intererat, an infeudatio illa fieret Marchioni ipsi, an Ioanni eius filio, qui in toto Marchionatu succeſſurus ſperabatur, & quem Marchio pater ſucceſſorem ſibi deſtinabat, tanquam primogenitum, quãuis alios maſculos iàm tùm haberet? vt ex epiſtola quadã ipſius conſtat, in qua ſunt hæc ipſa verba: [*Nam de filiis ſatis habemus:*] Tres nimirum, Guillielmum, Bonifacium, & Theodorum, qui fuit Cardinalis, qui omnes, excepto Theodoro, in Marchionatu poſt Ioannem ſucceſſerunt: Imò verò ex hoc intelligimus, quàm vtilis, & fructuoſa Ioanni fuerit hæc infeudatio, quæ etiam viuo adhuc patre, hanc ipſam Marchionatus partem, quam Io. Iacobus pater Amedeo donauerat, Ioanni conceſſit, adiecto pacto, vt feudum illud ex parte poſſeſſoris inſeparabile eſſet à dignitate Marchionatus: Ex parte autem domini directi pariter eſſet inſeparabile à dignitate Ducalis Coronæ Sabaudiæ. Qua pactione factum eſt, vt ab eo tempore non fuerit in poteſtate Io. Iacobi mutare deſtinationem, & alium ſibi in Marchionatu eligere ſucceſſorem, quàm dictum Ioannem. Quomodo Bonifacius VIII. in linea Aledramica prætulerat in Marchionatu ſecundogenitum Guillielmum Dorotheo primogenito: Niſi quatenus per diſpoſitionem Theodori I. prohiberetur, qui ordinem primogenituræ inter maſculos ſeruari præceperat. In ſumma quis iudex propitiis auribus Ioannem audiret, ſi viueret, conquerentem, quòd per vim & metum coactus ab Amedeo Duce fuiſſet totam illam Marchionatus partem in feudum accipere, quæ ſpem vniuerſalis ſucceſſionis eidem certiſſimam polliceretur? Sed de illa inſeparabilitate dicemus poſteà pluribus, cùm de Guillielmo tra

Io. Iacobus Marchio filios quatuor habuit Ioannem, Guil. lielmũ, Bonifaciũ, & Theodorum, qui fuit Cardinalis.

Quàm vtilis & fructuoſa Ioãni fuerit infeudatio eidẽ facta à Duce Sabaudiæ.

Non potuit Io. Iacob. poſt inueſtituram alium ſibi in Marchionatu eligere ſucceſſorem, quam Ioannem filium ſuum primogenitum.

Ioannes filius Io. Iacobi, ſi viueret, non poſſet conqueri, coactum ſe per vim & metum fuiſſe, vt tãtum beneficium acciperet.

Patrimonia patris & filij semel iuncta, separari postea non potuerūt.

mo tractabimus, qui Ioannis fratris hereditatem repudiasse dicitur, reliquo Marchionatu retento: quod certè facere non potuit, cùm cœperint patrimonia patris & filij iuncta fuisse, à quo tempore Ioannes in Marchionatu patri successerat, *l. sed si plures. 10. §. filio, de vulg. & pupill. substit. l. paterfamiliàs. 28. vers. at cùm substitutus, D. de reb. auth. Iudic. possid. aliàs l. 13. de priuil. cred.*

De tertio fœdere inter Duces Sabaudię & Mediolani inito, anno 1434.

QVOD verò ad tertium fœdus attinet, quo aduersarij nituntur, & quod initum fuit inter eosdem Duces Sabaudiæ ac Mediolani, die 14. Octobr. 1434. clarissimum est, nihil ex eo damni, aut incommodi Marchionem sensisse: cùm iam à mense Ianuarij eiusdem anni 1434. vt Beneuenutus refert, Dux Mediolani oppida & castra omnia, quæ ex Marchionatu occupauerat, restituissēt Marchioni, curante id, & satagente Duce Amedeo: & iam multo antè tempore, adeoque ante pacta Tononensia, vt diximus, cætera oppida in fidem & custodiam Amedei Ducis deposita fuissent; Vt proinde nulla litis ampliùs, aut belli materia inter Ducem Sabaudiæ & Marchionem supereſſet, nisi fortè Dux Marchionem ad promissa implenda vehementiùs vrgere voluisset. Quod tamen nec habebat necesse facere, cùm satis cautum ei esset, retentione oppidorum, quæ ei tradita fuerant, de quibus conuenerat, vt non priùs ea restituere teneretur, quàm Marchio fidem suam liberasset: quæ iustissima erat pactio, & consequenter vtrimque obseruanda. Sed neque in eo fœdere quicquam dictum est de bello cōtra Marchionem mouendo, aut de violanda pace, quæ inter Ducem Mediolani & Marchionem sancita fuerat, quæ nec detrimēti quicquam

Tēpore huius tertij fœderis, nulla belli aut litis materia supererat inter Ducem Sabaudiæ, & Marchionem Mōtisferrati.

In hoc tertio fœdere nihil dictum est de bello contra Marchionem mouendo.

quam ex eo fœdere passa est. Nec apertius quicquam pro nobis aduersus hanc illius tertij fœderis allegationem dici potest, quàm quòd aliis pactis & conuentionibus, in eodem loco Tononi habitis inter Ludouicum primogenitum filium Amedei, & Ioannem primogenitum dicti Io. Iacobi, 12. Iunij, 1436. ac proinde post factam donationem, & inuestituram acceptam à Ioanne, ac pacatis omnibus, expressim conuênit, vt fœdus illud anni 1434. ratum, ac firmum maneret. Quod vtique nec facere debuissent, nec feciſſent, si quid in eo fœdere de mouendo contra Marchionem bello cautum fuisset: quamuis iustam querelæ materiam & occasionem Amedeus haberet, quòd tãdiu pactorum executionem differret, quæ in ipsius erat potestate. Qua de causa, si quod odium aduersus Marchionem Amedeus concepisset, nemini mirum id videri debuisset, cùm etsi ad extorquẽdam pactorum obseruationem mouere etiam bellum voluisset, iuste prorsus id, ac pro suo iure facere potuisset, tanquam supremus Princeps, cui ea in re ius sibi dicere licuit, & armis exequi, quod ordinario iudiciorum ordine petere commodè nullibi potuisset. Ruptisque per Marchionem pacis condicionibus, cùm tanta dilatio nullis coloribus fucata, non valde ab expressa denegatione distaret, licuit sanè Amedeo Duci sua authoritate in eum statum reponere omnia, in quo erant ante delatas decretasque pacis condiciones, *l. si diuersa. 14.* vbi Bald. & cæteri *C. de transact.* In eo autem statu res erant, vt bellum ab Amedeo iam indictum esset, ac denunciatum Marchioni, vtque vel bellandum esset, vel cedendum. Quidni ergo Marchioni pariter ad easdem pacis condiciones redire licuit, & quod iam

Aliæ conuentiones habitæ inter Ludouicum Sabaudiæ Ducẽ Amedei filium, & Ioannem primogenitum Ioannis Iacobi, 12. Iun. 1436. quibus conuenit vt ratũ esset fœdus anni 1434.

Iustum fuisset bellum quod Amedeus Dux mouisset contra Marchionẽ ad extorquendam obseruationem pactorum tandiu dilatam.

Morosa dilatio implendi quod promiseris, parum à denegatione distat.

multo ante tempore præstare debuerat, cumque præstare posset, distulerat, tandem facere & exequi, ne ad arma rursum decurreretur? Esto igitur, quod aduersarij volunt, factam esse donationem à Io. Iacobo, & acceptam à Ioanne inuestituram, metu noui belli: Tanto magis dicendum est valere pacta debere, quæ bis & placuissent Marchioni, & placere debuissent. Si enim prius bellum, quod indictum duntaxat & denunciatum fuerat, iustum & publicum futurum erat, tanquam indictum iubente Cæsare, & publico hosti Cęsaris; non poterat sanè iniustum esse posterius, tanquam quod à priore diuersum tantùm esset tempore, non causa, *arg. l. tutor. 69.* ibi, [*Et non titulus actionis, sed debiti causa respicienda est.*] *D. de fideiuss.*

Pacta etiã metu noui belli inita, tãto magis valere debent, quòd iam ante prius bellum placuerũt.

Nõ potest iniustum esse posterius bellum, quod à priore iusto differt, tempore tantùm, non causa.

SED etsi pacta illa prima Tononi conscripta, & subscripta die 13. Febr. 1432. aliquo vicio illatæ contra bonos mores violentiæ laborarent, quod quàm à vero alienum sit, apparet ex præcedentibus; illa tamen ratio vicium sanaret, quod inter pacta & donationem interceſſit laudum, & sententia arbitramentalis Oratorum Ducis Mediolani, in hoc missorum, & deputatorũ: cuius laudi immediatè vi ac potestate factũ est, quicquid eo ipso die inter Ludouicũ filium & Locumtenentem generalem Ducis Amedei, & Io. Iacobum Marchionem, ac Ioannem eius filium secutum fuit eadem ipsa die 27. Ianuarij, 1435. Nã cùm in eo statu res esset, vt præter illa, de quibus faciendis conuenerat in pactis Tononensib. Ludouicus pro Amedeo patre peteret solui sibi summam trecentorum millium florenorum, quam à patre impensam dicebat pro custodia & regimine locorum

Inter pacta & donationẽ interceſſit laudũ & sententia arbitramentalis Oratorum Ducis Mediolani.

fidei

fidei ſuæ commiſſorum, per totum illud tempus triennij, quo diſtulerat Marchio promiſſa implere: Marchio autem, eiúſque filius, non tam pacta improbarent, quaſi per vim aut metum extorta, quod minimè prætermittendum erat, ſi verè dici, aut colore aliquo allegari potuiſſet, quàm negarent teneri ſe ad ſummam illam 300000. florenorum, peterentque duntaxat, vt executioni pactorum Tononenſium aliqua moderatio adhiberetur, potiſſimùm veneratione conſanguinitatis, & adfinitatis inter eos contractæ, Apparet omnia, quę per dictos Oratores tanquam arbitros, ab vtraque parte ſi non electos, certè acceptos pronunciata ſunt: quale inter cætera illud fuit, vt pacta Tononi facta ſeruarentur, executioni mandata fuiſſe, & mandari debuiſſe, non tam vigore pactorum, quàm virtute dicti laudi, quaſi nouę tranſactionis iure, cum à confirmante, non à confirmato ſoleat & debeat ſumi denominatio, *l. 2. §. 1. l. quod per mænus. 10. D. de iur. codicill. & vulgar.* Nã & illud certum eſt, per laudum & tranſactionem fieri ſemper nouationem quamdam, vt quod ex tranſactionis cauſa deberi cœpit, non amplius ex priſtina cauſa debeatur, ſed ex laudo & tranſactione duntaxat præſtandum, & petendum ſit. Ex not. per Bald. & Dec. *in Rubr. Extr. de tranſact.* Anton. Gabriel *lib. 3. commun. opin. concluſ. 1. de nouat. num. 61.* Et nos ſcripſimus *Defin. 2. Cod. noſtro, de tranſact.* Itaque quamuis per dictum laudum adprobata ſint, vt dixi, pacta Tononenſia; executio tamen, quæ ſecuta eſt eodem laudi die, non tam pactis Tononenſibus adſcribenda eſt, quàm laudo, tanquam cauſæ ſuæ proximæ ac immediatæ: præſertim cùm aliquid ſit amplius in laudo, quàm in priorib. pactis fuiſſet. Quo caſu

Marchio Montisferrati, & Ioãnes eius filius cũ ad obſeruationé pactorum Tononenſium vrgerẽtur, nũquam vim, aut metũ allegarunt, ſed petierunt duntaxat aliquam iis adferri moderationem.

Sententia arbitramentalis per arbitros vtrimque acceptos lata, debuit mandari executioni.

Executio pactorum Tononenſium, facta virtute laudi, non tam pactis illis, quàm laudo adſcribi debet.

non potest videri facta executio non magis pro parte, quàm tota ex primis pactis; sed tantùm ex laudo, *arg.l. 3.in princ.l.creditor.12.ff.Papinianus, aliàs l. si prior.D. qui potior.in pign.hab.* Ergo nihil iam prodesse potest dicere, quod in pactis Tononensibus aliqua vis, vel metus interuenerit, si tale nihil in dicto laudo interuenisse probetur. Nam sicuti facta nouatione, prioris contractus pignora, & fideiussores liberantur, *l. nouatione.18. D. de nouat.* quæ dubitandi ratio erat *ad d. l.3. & ad d. §. Papinianus*, ita & vicium, si quod fuit in priore contractu, sublatum esse necesse est, cùm non possit esse accidens & subsistere sine subiecto, aut nõ entis aliquæ esse qualitates, *vulg.l.eius qui in Prouincia.41.D.de reb.credit.* Atqui nec dictum fuit vnquam, nec dici potest, vim aliquam tempore dicti laudi fuisse illatam Marchioni, aut Ioãni eius filio. Alioqui dicendum esset, illatam fuisse aut Oratoribus Ducis Mediolani à Ludouico filio Ducis Sabaudiæ, aut Marchioni ab Oratoribus; cùm Oratores illi fuerint, qui Marchionem condemnarunt ad executionem pactorum Tononẽsium faciendam, & alia quędam præstanda, quæ prioribus pactis non continebantur. Tantúmque abest, vt de aliqua vi per Oratores illata conquestus fuerit, aut conqueri potuerit Marchio, vt ex ipsius laudi præfatione ac narratione appareat, missos à Duce Mediolani fuisse dictos Oratores, non ad Marchionem, sed ad Ludouicum Principem Pedemõtium patris sui vices gerentem: ac proinde, quod necessariò præsumendum est, ad requisitionem & suggestionem Marchionis, cuius potissimùm intererat, vt dissidia illa componerentur. Quænam verò vis eo tempore ab Oratoribus Ducis Mediolani inferri potuit; aut Marchioni,

Frustra allegatur interuenisse vim, vel metum in primis pactis, si in laudo non interuenit.

Per nouationẽ prioris contractus, tollitur vicium, si quod fuberat in priore contractu.

Non potest dici aliq. â vim esse illatã Marchioni tempore laudi, siue à Ludouico filio Ducis Sabaudiæ, siue ab Oratoribus Ducis Mediolani.

Ex præfatione laudi apparet missos fuisse Oratores à Duce Mediolani ad Ludouicum filiũ Ducis Sabaudię ad componẽda dissidia quæ componi maximè intererat Marchionis.

chioni, qui pacem cum Mediolani Duce iam ſtabilierat, aut à Principe Ludouico, ad quem Oratores mittebantur? Idque apparet etiam manifeſtiùs ex eo, quod in dicti laudi præfatione continetur, dictos Oratores intellecta Ludouici voluntate, paratum ſe profitentis facere omnia, quæ tuta, & honorabilia cenſerentur, regreſſos fuiſſe, &, vt inſtrumentum loquitur, greſſibus reuerſis ad Marchionem ipſum ad ciuitatem Taurinenſem, veniendo concomitatos, & deinde vtrobique vices ſuas interpoſuiſſe, vt diſſidia omnia ſopirentur? Nam quod ſonat inſtrumentum, reuerſos fuiſſe illos ad Marchionem, oſtendit ſatis, quòd cum iam ante viderant, & cum eo collocuti fuerant. Quod tamen nec feciſſent, nec facere debuiſſent, tanquam miſſi ad Principem Ludouicum, non ad Marchionem, niſi ad inſtantiam, requiſitionem, & vtilitatem Marchionis ſe miſſos eſſe cognouiſſent. Cùm igitur Marchio ipſe fecerit, qui ſollicitauerat Ducem Mediolani, vt Oratores mitteret ad Ludouicum, nihil planè eſt, quod aut vi, aut metu in ea re factum poſſit dicere. Et quemadmodum non poteſt mulier allegare ſe deceptam in intercedendo, adiuuandámque exceptione Senatuſconſulti Velleiani, ſi creditorem ſollicitauerit ad mutuam dandam ipſi pecuniam, cùm pro alio vellet illa intercedere; quia deceptis, non decipientibus ſubuenire Senatus voluit, *l. 2. §. ſed ita demùm, l. ſi mulier tanquam. 11. l. bona fide. 27. in princ. & paſſ. D. ad S. C. Velleian.* Ita nec Marchio Montisferrati de vi ſibi illata in laudo, quod per eos pronunciatum eſt, quos ſollicitauerat ille, vt venirent, & pronunciarent. Tantóque magis hoc verum eſt in caſu propoſito, quòd non niſi partibus

Oratores Ducis Mediolani, intellecta Ludouici voluntate, regreſſi ſunt ad Marchionem.

Oſtenditur miſſos fuiſſe Oratores ad Ludouicum, inſtãte Marchione Montisferrati.

Mulier quæ ſollicitauit creditorem, nõ poteſt ſe tueri exceptione SC. Velleiani.

Non potuit Marchio conqueri de vi ſibi illata in laudo, cuius pronuntiationem ipſe iuſſerat.

ipsis ita volentibus, & sic fieri consentientibus, pronunciarunt: sicuti apparet ex verbis ipsis laudi, vt mirum non sit approbatum fuisse & acceptatum ex vtraque parte laudum, cùm aliud nihil pronunciatum esset, quàm quod inter litigatores conuenerat, vt pronunciari oporteret, *l. si conuenerit. 26. D. de re iudic.*

PROINDE futilis & vana prorsus est illa obiectio, quę fit ab aduersariis, quod de cõpromisso nullo præcedẽte appareat, quod ad laudi validitatem, inquiunt, necessarium esset. Quid enim opus fuit compromisso, aut cur de quærendo, probandóve eo laboremus, cùm vtriusque partis consensum habeamus, qui & ante pronunciationem interpositus sit, & post pronunciationem? Nam & posterior sufficeret, vt defendendum esset laudum, saltem in vim pacti: tametsi nullo prorsus iure, nec seruatis solemnibus redditum fuisset, *l. 2.* vbi est text. in terminis, & ibi Bald. & DD. *C. commun. vtr. iudic.* Baldus *in Rubr. de arbitr.* quem refert & sequitur Socin. *cons. 85. lib. 1.* Rom. *cons. 173.* & *cons. 175.* & alij, quos citat Osasch. *part. 5. num. 50.* Cùm igitur vis nulla facta dicatur Oratoribus Ducis Mediolani à Ludouico, nec Marchioni ab ipsis Oratoribus, ex quorum laudo, & sententia factum est quicquid circa donationem, infeudationem, & adhærentiam secutum fuit, omnino consequens est, vt neque contra pacta Tononensia, quæ eo laudo fuerunt comprobata, neque contra dictos contractus secutos, vlla vis obiici possit.

Non est quærendum de cõpromisso ad confirmationẽ laudi, quod ex partium consensu pronuntiatum est.

Si nulla vis interceſſit in laudo, nec interceſſiſſe videri potest in iis quæ facta sunt in executionem laudi.

ACCEDIT, quod cùm in narratione dicti laudi multa exprimantur quæ Marchio Montisferrati, eiúsque filius allegabant, ne ea quæ Ludouicus fieri, præstarique postulabat, facere iuberentur; nullum tamen

In allegationib⁹ Marchionis, & Ioannis eius filij, nulla querela est, ac ne verbũ quidem, de vi ipsis illata.

ver

verbum de vi aliqua, aut antè, aut post pacta Tononensia ipsis illata, quod tamen omnium minimè fuerat prætermittendum, si verè allegari potuisset. Cur ergo ipsorum successoribus permittatur ea allegare, quæ illi ipsi qui vim passi dicuntur, nunquam allegauerint, quorum maximè ac potissimùm intererat? Aut quis credat nouam vim iterum ipsis illatam, præsentibus Ducis Mediolani Oratoribus, vt eam vim præcedentem allegare ausi non sint: cùm tamen contradicere non erubuerint, & negare teneri se ad præstanda ea quæ à Ludouico petebantur? Hîc verò optimè illud quadrat, quod ait Vlp. *in l. vlt. in princ. D. quod met. cauſ.* & Imperatores *in l. tranſactionem. 35. C. de tranſact.* Non esse verisimile, vt viro Principi clarissimam dignitatem habenti, vis illa sit vllata in ea ciuitate, in qua potuerit implorare ius publicum, apud aliquem potestate præditum, qui vtique vim eum pati prohibuisset. Quomodo prohibere poterant Oratores tanti Ducis, tanta cum reuerentia & filiali affectu, vt Oratores ipsi referunt, à Ludouico excepti, à quorum dignitate alienum est suspicari, passuros eos fuisse vim aliquam, præsentibus ipsis, inferri Marchioni, qui sub eorum fide venerat, & quem ipsi fuerant concomitati. Fuisset enim id violare ius gentium, quod à tanto Principe, contra tantum Principem, præsentibus tanti Principis Oratoribus, factum fuisse, sani iudicij nemo crediderit. Quòd si amicos interuenisse sufficit, vt transactio metus velamento rescindi non possit, *dict. l. tranſactionem.* quanto minùs hæc rescindi poterit, quæ non amicis tantùm, sed etiam clarissimis viris, & Ducis Mediolanensis Oratoribus interuenientibus, facta fuit.

Non est permittendũ successoribus allegare vim, quã defunctus nunquã allegauit, cuius maximè intererat.

Applicatio *l. vlt. in princip. D. quod met. cauſ. & l. tranſactionem. 35. C. de tranſact.*

Alienum est à dignitate Oratorum suspicari passuros eos fuisse, vt vis aliqua, ipsis præsentibus, Marchioni inferretur.

Sola amicorũ præsẽtia impedit ne transactio possit rescindi prætextu metus, aut violentiæ: quanto magis præsentia Oratorum tãti Ducis apud tantùm Ducẽ?

PROIN

PROINDE frustra est inculcare toties, Ioannem filium Io. Iacobi fuisse eo tempore detentum Taurini, tanquam incarceratum, idque per multos testes probatum, auditos ex parte Sereniss. Ducis Mantuæ. Nam præter id quod ex testium dictis non benè hoc probatur, cùm testes super hoc auditi, non modò varia; sed etiam repugnantia testificati sint, quæ veritatis euidentia, & sola instrumentorum hinc inde productorum lectione conuincuntur, vt ex iis constat, quæ sigillatim contra singulorum dicta diligentissimè prosecutus est Antonius Bagnisaccus, quæ hîc repetere esset superfluum, Etiamsi maximè id verum esset, nihil tamen ex eo inferri posset: cùm ex ipso laudi instrumento, & Oratorum testificatione appareat, eo tempore fuisse tam Marchionem, quàm eius filium in plena libertate, liberumque arbitrium & facultatem habuisse ibidem tutè standi, negotiandique, & deinde quò voluissent, redeundi: Vel ex ipsa illorum assertione: vt proinde non possit dici prædictum laudum factum fuisse in carcere, nec consequenter cætera, quæ in dicti laudi executionem eodem die secuta sunt. Quod sufficit, vt non possit locus esse dispositioni *d. l. qui in carcerem. 22. D. quod met. caus.*

Ad id quod Mantuani obiiciunt, Ioannē filium Io. Iacobi fuisse eo tēpore detentum in carcere Taurinensi.

Non probatur ea Ioannis incarceratio per testes super ea auditos.

Ex laudi instrumēto, & ex Oratorum testificatione fuisse Marchionem, eiúsque filium eo tempore in plena libertate.

Non potest in hac specie locus esse dispositioni *l. qui in carcerem. 22. D. quod met. caus.*

NEC quod supradicta clausula sit insolita, suspectam eam facere debet. Nam siue verum est, quod nos dicimus, à Ludouico incarceratum Ioannem nūquam fuisse: siue, quod adfirmant aduersarij, fuisse illum antea detentum in castro Taurini velut in carcere, nihil priore casu suspectum esse potest in ea re, quæ nihil mali habeat: Posteriore verò casu fuit ea clausula necessariò adiicienda, vt apparet non priùs latum fuisse laudum,

Ad id quod aduersarij obiiciunt, supradictam clausulam in laudo positā, esse suspectam.

laudum, quàm in plena esset libertate dictus Ioannes, atque ita purgatus esset metus. Et quantumuis suspectam facere quis velit illam clausulam: nihil tamen aliud ex ea inferri potest, quàm quòd antea fuerit Ioannes incarceratus; quæ tamen sola res facere non posset, vt cum eo in libertatem restituto transigi non potuisset, quandoquidem iam non tam apud alium, quàm apud seipsum esse cœpisset, vt loquitur Venuleius, *l. vlt. D. de liber. exhib.* Verùm nec ita interpretandam esse dictam clausulam, ex eo intelligimus, quòd non tantùm de Ioanne loquitur, sed etiam de Io. Iacobo patre, quem tamen constat nunquam fuisse Taurini incarceratum, neque alio vllo loco: sed Taurinum venisse cum Ducis Mediolanensis Oratoribus, vt de omnibus his dissidiis transigeret. Ergo cùm de vtroque loquatur clausula, interpretatio quæ ad patrem aptari non potest, nec ad filium aptari poterit, vt fiat par & vniformis determinatio: *ex vulgari reg. l. iam hoc iure.* Alioqui eodem modo inferre possis, etiam patrem Io. detētum & incarceratum fuisse à Ludouico, quod tamen ex tot testibus in eam rem auditis, qui non nisi de auditu loquuntur, nemo dixit, si vnum excipias, quem idcirco vel ex aliorum testationibus apparet mendacem esse, non minùs quàm Beneuenutum, id ipsum asserentem: cùm non venerit eo tempore Ioan. Iacobus Taurinum, nisi cum Oratoribus, quibus sanè & eorum Principi Mediolani longè grauior facta fuisset iniuria, quàm ipsi Io. Iacobo, si eum fidem publicam, & Ducis Mediolani, adeoque Ludouici secutum, Ludouicus quoquo modo malè tractasset, nedum in carceres conieciisset, aut simpliciter etiam detinuisset.

Cum eo, qui fuit antea in carcere, transigi rectè potest, vbi liberatus fuit à carcere.

Supradicta clausula, quam aduersarij suspectam dicunt, non tantùm de Ioanne filio loquitur, sed etiā de Ioanne Iacobo patre.

Mendacium vnius ex testibus aduersariorum, & Beneuenuti Mātuani historici, cuius fide potissimùm nituntur.

TACEO, quod cùm eo tempore Marchio Montisferrati pacem iam iniisset cum Duce Mediolani, & Venetis, ac Florentinis confœderatus esset, qui Regi Alfonso, & ipsi etiam Duci Mediolani colligati erant, qui omnes simul iuncti haud dubiè potẽtiores erant Amedeo Duce Sabaudiæ: Nulla ratio suberat, propter quam inuitus Marchio posset aut metu adigi, vt cum Ludouico contraheret, eique partem Marchionatus donaret: aut si nil obstante ea cõfœderatione adhuc inferiorem se putabat, & qui Duci Sabaudiæ pactorum executionem vrgenti resistere non potuisset: tanto iustius fuit eum sic transigere, vt se à iusti belli metu ac periculo liberaret. Neque sanè ad pactorum Tononensium iustitiam inquirendam spectandum erat, quis rerum status esset laudi tempore; sed qualis fuisset tempore pactorum, vt & in cæteris omnibus, quoties quæritur an ex aliquo contractu quis læsus sit, contractus tempus præcisè inspiciendum est, *l. si voluntate. 8. & l. 2.* vbi not. *C. de rescind. vend.* Quo tempore pactorum, erant omnia Marchioni infelicia, Bellum scilicet infaustum, & iniquum cum Mediolani Duce: Marchionatus iam magna ex parte occupatus: Nullum à Venetis, aut Florentinis auxilium: Bellum aliud ab ipso Amedeo iussu Imperatoris indictum. Denique præter Amedeum nemo, qui duplicis huius belli impetum posset sistere, & Mediolani Ducem ad pacis rationes ineundas prouocare. Quæ tamen omnia tandem peracta sunt studio summo, & diligentia Ducis Amedei, Legatis pluribus & Oratoribus ad Mediolani Ducem sæpiùs missis, non sine maximis sumptibus, quorum rationem aliquam haberi æquum sanè fuit, ex eaque causa pro tot acceptis

Dilemma quo probatur non potuisse Marchionem Montisferrati metu adigi, vt ea gereret quæ gessit cum Duce Sabaudiæ: aut tanto firmiora esse debere, quæ ab eo gesta sunt.

Quoties quæritur an ex aliquo contractu quis læsus sit, tempus cõtractus inspiciendum est.

Quis rerum status esset tẽpore pactorum Tononensium.

ptis beneficiis moueri Io. Iacobum, ni planè ingratus esse voluisset, ad donationem Amedeo conscribendam: quam tamen nec priùs sibi fieri Amedeus voluit, quàm rem perfeciſſet ipse ex sua parte, & Ducem Mediolani cum Marchione conciliasset, atque oppidorum omnium bello occupatorũ restitutionem ei fieri cum effectu curasset. At tanto maior fuit ingratitudo, post peracta feliciter ea omnia; tanto Marchionis bono, velle à pactis discedere, & ex præsenti temporum statu, non ex eo, qui pactorum tempore fuisset, iustitiam eorum æstimare: Denique finito periculo, nullam ipsius rationem ducere: contrà quàm Prudentes nostri velint, *l. in nautica. 3. l. periculi precium est. 5. D. de nautic. fœnor. & l. pen. §. 1.* vbi est textus omnium accommodatissimus, *D. de donat.* Quod enim propter dubij euentus periculum iustè ab initio factum est, non ideò irritum fieri debet, quod ex subsecuto euentu appareat vtiliter gestum negotium non fuisse, ne quidem cùm euentus ille totus ex casu pendet, *l. 1.* vbi est text. expressus, *C. de pact. l. de fideicommisso. 11. C. de transact. l. si pater puellæ. 12. C. de inoff. testam. l. sed an vltrò. §. 1. D. de negot. gest.* Et benè Poeta:

Careat successibus opto,
Quisquis ab euentu facta notanda putat.

Quanto magis, cùm euentus succeſſit felix facto, diligentia, sumptuque stipulatoris, non aliter successurus, vt in proposito? Dolus est, & actio de dolo contra te competit, si faciam pro te, vt des mihi, & postquàm feci, cessas dare, *d. l. naturalis. 5. §. quod si faciam, D. de præsc. verb.* In summa nemo potest ex euentu id petere, cuius contrarium non fuerat in contrarium euen-

Quænam & quanta officia præstiterit Dux Sabaudiæ Marchioni, ante conscriptã donationem.

Finito periculo, non eo minùs ratio eius habenda est.

Ex subsecuto euentu, non debet irritum fieri, quod ab initio vtiliter gestum est.

Nemo potest ex euentu id petere, cuius

contrarium nō fuerat in contrariū euentum postulaturus.

tum postulaturus, *vulg. l. penult. C. de solut. & d. l. si pater. 12. C. de inoffic. testam.* Non tam enim est inspiciendum quid euenerit, quàm quid euenire potuerit, etiam in merè casualibus, *d. l. 1. C. de pact.* multo magis in potestatiuis, quæ tum quoque cùm facta sunt, & feliciter successerunt; dici tamen potest non sic futura, & successura fuisse, nisi eius factum & diligentia interueniſſet, qui rem habuit in sua potestate.

Ea quæ ab initio fuerunt cōtingentia, ex postfacto sunt necessaria.

Nisi fortè stultam eorum opinionem sequi volumus, qui etiam ea, quæ ab initio aut voluntaria fuerint, aut contingentia, pro necessariis habent, ob id solùm, quo ex postfacto, id est, postquam contigerunt, sint iam necessaria. Et quamuis de eo maximè cōquereretur Marchio, quòd Amedeus restitutionem recusaret, aut differret castrorum, & oppidorum, quæ fidei eius commissa fuerant, vt constat potissimùm ex Eugenij Papæ ad Amedeum epistola: Itémque quòd ingentem pecuniæ quantitatem sibi restitui Amedeus postularet, quam se in dictorum castrorum custodiam ac tuitionem impendisse dicebat, iniusta tamen erat vtraque querela: cùm in pactis Tononensibus, de quibus nihil Eugenio Papæ expositum fuerat, expressim conuenisset, vt non priùs oppida, quæ in fidem suam receperat, restituere deberet, quàm statim post firmatam cum Duce Mediolani pacem, pacta omnia Tononensia ex vtraque parte implerentur: quandoquidem de eo sæpiùs requisitus & interpellatus Marchio fuerat ex parte Amedei, vt in supradicto laudo enunciatum est, cuius verba enunciatiua nemo negauerit probare debere inter easdem partes, earumque successores, *vulg. l. optimam. C. de contr. & committ. stipul. l. cùm aliquis.* vbi om-

Epistola Eugenij Papæ ad Amedeum Ducē Sabaudiæ.

Verba enunciatiua in laudo apposita probāt inter easdem partes & earum successores.

nes

nes notant, *C. de impub. & aliis subst.* præsertim verò contra producentem, *vulg. l. cùm precum. C. de liber. caus.* Itaque si medio tempore, quod propter moram Marchionis fuit longius, tanto maiores sumptus ab Amedeo, in dictorum oppidorum custodiam & conseruationem fieri necesse fuit: tanto æquius etiam videri debuit, vt sumptus illi omnes à Ioanne Iacobo, qui in mora fuerat, refunderentur, cùm deberet ille suæ culpæ damnum, si quod ex eo sentiebat, imputare. Imò nec damnum in eo vllum sentire videbatur: cùm ex iuris certissima regula, [*Quod quis ex culpa sua damnum sentit, nec sentire videatur,*] *l. quod quis. 203. de reg. iur.* Nec enim quisquam dubitauerit, habuisse Amedeum ius retentionis, quippe quod competit non solùm ex pignore, *l. 1. in princ. D. de pignor.* quod in contractu Principis, qui fidem suam propriam obstrinxit, multo magis interuenisse videri debet, aut saltem pro eo haberi, ac si interuenisset: iuctis maximè iis quæ tradit Boer. *qu. 282. n. 54.* verùm etiam ex natura obligationis, quæ ex nudo pacto nascitur, *l. naturales. 10. D. de oblig. & act. l. etiam. 6. D. de compens. l. frater à fratre. 38. l. Julianus verum debitorem. 60. & pass. D. de condict. indeb.* Quòd si Prætor pacta seruari vult, etiam inter priuatos quoslibet, data saltem ex iis exceptione & retentione, *l. iuris gentium. 7. §. ait Prætor, D. de pact.* quanto magis decet ea seruari inter Principes, qui per fidem suorum corporum hinc inde manibus tactis datam, vt pactorum verba sonant, aliquid sibi inuicem promiserunt, cùm quicquid à supremo Principe fit, toto iure teste fieri intelligatur, & omnes superet solem-

Habuit Amedeus ius retentionis, pro impensis ab eo factis, ad pignoris conseruationem.

Pacta seruanda sūt inter priuatos, data saltem exceptione ac retētione: quāto magis inter Principes.

nitates, quæ in aliorum actibus requiruntur, inquit *l. omnium. 19. C. de testam.*

Verba clausulæ vltimæ in laudo positæ.

SED nec illud prætermittere possum, quod vnum ad omnem violentiæ, aut metus suspicionem tollendam posset sufficere, quod in vltima dicti laudi clausula scriptum reperitur: [*Et pro securitate omnium conuentorum, illustris D. Marchio facere, operari, & curare teneatur, quòd ad eius instantiam Illustriss. D. Dux Mediolani literas scribat, promittendo obseruantiam conuentorum pro illustri D. Marchione, & suis, & quod aliter contra ipsum insurget. Et in quantum Illustriss. D. Dux Mediolani prædictas literas scribere nolet, in fide sui corporis promisit magnifico Comiti Guidoni Torello reponere in eius manibus duo fortalitia, videlicet Pontisturiæ, & Montiscalui, remittenda in manibus & potestate Illustriss. D. Principis, pro securitate & obseruantia prædictorum omnium.*] Hæc enim conuentio suum effectum habuit, quia per operam & diligentiam Marchionis factum est, vt Dux Mediolani ad Amedeum Ducē scripserit, & pro Marchione Montisferrati, eiusque successoribus fidem suam obstrinxerit, de omnium per eum promissorum obseruatione, [*& quòd alioqui contra ipsum insurget.*] Atque ita consecutus fuit Marchio, vt duo illa fortalitia Pontisturiæ & Montiscalui, nec remiserit in manibus dicti D. Comitis Guidonis Torelli, nec remittere debuerit, cùm alteri parti obligationis alternatiuæ satisfeciſſet. Hinc

Dux Mediolani, instāte Marchione Montisferrati, scripsit ad Ducem Sabaudiæ, ac pro eo fidem suā obstrinxit.

verò

verò fortiſſimum & inuincibile argumentum colligo, nihil in dicto laudo per vim, aut metum fuiſſe factum: ſed, vt contrahentes omnes ſæpius ingenuè profeſſi ſunt,& cum iuramento,[*liberè omnia, & ſponte, & maturè, & ex certa ſcientia, nullo iuris, aut facti errore interueniente.*] Quis enim dici poteſt coegiſſe Marchionem, vt ad Mediolani Ducem mitteret Legatos, rogatum eum, vt ſupradictas literas ad Amedeum ſcriberet, ſuamque fidem, tanquam certiſſimũ fideiuſſorem, pro Marchione interponeret? An fortè Dux Amedeus, aut filius eius Ludouicus? Atqui neutrius ipſorum intererat: Imò contrà, potiùs intererat, vt vel non de eo rogaretur Dux Mediolani, vel rogatus recuſaret, vt deficiente prima illa parte obligationis alternatiuæ, reliqua ſola pars in obligatione remaneret, iuxta *l. Stichum, aut Pamphilum. 95. in princ. de ſolut.* & præcisè obligatus eſſet Marchio ad reponenda fortalitia *Pontiſturiæ & Montiſcalui* in manibus dicti D. Comitis Torelli, eadem poſtmodùm remiſſuri in manibus Principis Ludouici. Plus enim cautionis fuiſſet in re, quàm in perſona, *vulg. l. plus cautionis. 25. de reg. iur.* Atque vtinam ita res cecidiſſet. Haberemus hodie pignora hæc fidei Marchionis, neque de ſucceſſorum potiùs, quàm de Marchionis perfidia (nihil enim ille contra laudum fecit) conquerendum haberemus. Fecit ergo id Marchio non vi, ſed ſponte; non metu, ſed alacriter, vt rem ſuam meliùs gereret, ac fideiuſſorem potiùs quàm pignora, pignorumque poſſeſſionem daret. An non ergo, vel ex hoc ſolo actu, qui non ſtatim, & incontinenti, ſed ex interuallo ſecutus eſt, non Taurini, ſed Caſellis, & Mediolani

Ex ſupradicta clauſula, & eius effectu ſecuto, apparet nihil in laudo per vim factũ eſſe.

Non intererat Ducis Sabaudiæ, vt Dux Mediolani fidem ſuam interponeret pro Marchione: imò potiùs vt id recuſaret.

Melius eſſet extare hodie pignora fidei Marchionis, quàm fideiuſſorem.

Ex eo actu, qui non incõtineti poſt laudũ, ſed ex interuallo ſecutus eſt, ap-

paret purgatū esse viciū metus, aut violentiæ, si quod præcessisset.

diolani factus, apertè constat purgatum fuisse vicium violētiæ, aut metus, si quod in laudo ipso interueniſſet? *l.2. C. de his quæ vi, met. caus.* An non enim satis expressa illa ratihabitio, expressæ conuentionis executio? Cùm etiam tacita poterat sufficere ad purgandum metum, *l. si per vim. 4. iunct. d. l. 2. C. de his quæ vi, metúsve caus. gesta sunt.* Quod si Dux Mediolani ad Ducem Amedeum scribere noluisset; non ideo tamē Marchio fuisset obligatus ad aliud, quàm vt duo illa fortalitia Pontisturiæ & Montiscalui reponeret in manibus Comitis Guidonis Torelli, Oratoris Ducis Mediolani, à quo tamen Mantuani nunquam dixerunt vim vllam Marchioni illatam esse. Quid ergo est obsecro in tota hac cōuentione, quod per vim factum fuisse dici possit? Interposita nimirum persona tertij, vt putâ fideiussoris alicuius, qui bona fide & amicitiæ iure ad negotium accesserit, tollit præsumptionē omnem metus, & violentiæ, quam alioqui oporteret tertium illum vel intulisse, vel passum fuisse, vel saltem participasse. Sic dicimus pactum commissorium, quod vulgò vocant legis commissoriæ, licèt in pignoribus improbatum sit, *l. 1. & 2. C. de pact. pignor.* valere tamen & sustineri, si factum sit cum fideiussore, *l. vlt. in princ.* vbi omnes notant, *D. de contr. empt.* Sic etiá dicimus confessionem mariti de accepta dote, de cuius numeratione non appareat, licèt sit suspecta, & censeatur facta in fraudem creditorum, saltem posteriorum, si qui sint; valere tamen, nec haberi pro suspecta, vel simulata, si tertius aliquis interueniat: ex not. *in Auth. sed iam necesse, C. de donat. ant. nupt.* Nec est contrarium quod scriptum est *in l. item si cum. 14. §. si quis, D. quod met. caus.* Si quis per vim sisti promittendo posteà fideiussorem adhibeat,

Expressæ conuentionis executio, expressa ratihabitio est.

Interposita persona tertij tollit omnem metus & violentię præsumptionem.

Pactum commissorium in pignoribus valet fauore fideiussoris.

Confessio mariti de dote recepta, constāte matrimonio, non censetur suspecta, nec simulata, si quis tertius interueniat.

adhibeat,eum quoque liberari.Id enim ſic intelligi debet, & ab omnibus intelligitur, ſi per vim quoque fideiuſſor adhibitus ſit.Quemadmodum & quod Pōponius ſcribit *in l.ex ea ſtipulatione.7.D.de cōdict.ob turp.cauſ.* Ex ea ſtipulatione, quæ per vim extorta eſſet, ſi exacta eſſet pecunia,petitionem eſſe. Omnes poſt Gloſſam ſic accipiunt, & benè, Si in exigenda quoque pecunia vis interuenerit: cùm alioqui prior vis purgetur per tacitam ratihabitionem ſubſecutam,*d.l.2.& 4.C. de his quæ vi,met.cauſ.*Eodemque modo intelligūt quod ſcriptum etiam eſt *in d.l. item ſi cùm. §.penult.* de eo qui cùm ex fideicommiſſi cauſa quadraginta duntaxat deberet, trecenta tamen promiſerat per vim,& ſoluerat, vt ducentorum & ſexaginta quadruplum cōſequi debeat, quòd in his vim cum effectu paſſus ſit:ſcilicet ſi non tantùm per vim promiſerit,ſed etiam per vim ſoluerit:Vt intelligamus, quoties aliquid per vim, aut metum factum eſſe dicitur, ſi quid poſtea fiat in approbationem & executionem prioris actus,non ſufficere probatam eſſe vim, quæ in priore actu interuenerit, ſed probandum præterea interueniſſe etiam in poſteriore. Secundùm quod quantis, Deus bone! probationibus Mantuani onerarentur,ſi tot violentias probandas haberent,quot ſubſecuti ſunt actus diuerſi in executionem pactorum Tononenſium? Aut quis vnquam ſibi perſuadeat,eam vim planè commentitiam,quam aduerſarij, & laudi & pactorum tempore interueniſſe ſibi fingunt,per tot annos duraſſe,ac per tot ſecula?Et verò,vt de hac ipſa vltima laudi parte dicere abſoluamus, quid cogebat Marchionem aut ire Mediolanum, aut Oratores mittere ad rogandum Ducem, vt ſe tanquam fideiuſſorem pro

Reſponſio ad *l.item ſi cū. 14. §. ſi quis, D. quod met. cauſ.*

Ad *l. ex ea ſtipulatione. 7. D. de condict. ob turp.cauſ.*

Ad *d. l.item ſi cùm.§.penult.*

Non ſufficit probarivim interueniſſe in priore actu, ſi non probetur etiam interueniſſe in poſteriore facto in executionem prioris.

Nemo cogebat Marchionem ire Mediolanū, aut mittere Oratores ad rogādum Ducem Mediolani, vt

se daret fideiussorem erga Ducem Sabaudiæ.

ipso interponeret, quomodo postea ille se interposuit? Quid verò, si Dux Mediolani conuentus fuisset tanquam fideiussor Marchionis à Duce Amedeo, aut Ludouico: (hoc enim poterat euenire, & euenisset procul dubio, si Marchio, aut Io. eius filius controuersiam Amedeo facere voluisset, quam nunc faciunt ipsorum successores, quasi pacta illa Tononensia & Taurinensia nullius planè roboris esse deberent, tanquam per vim extorta) quis diceret liberatum iri etiam fideiussorem, qui & vltrò fideiussisset, & rogatus non à Ludouico, sed à Marchione; cùm Ludouici potiùs interesset, vt diximus, ne fieret ea fideiussio? Fatendum est saltem hoc casu non fore locum ei, quod scriptum est *in d. §. si quis per vim.* Quòd scilicet fideiussor non liberatur datus ab eo, qui se per vim adactum dicit vt promitteret; consequens est, vt ea datio fideiussoris prodesse debeat ad purgandum metum: Alterutrum siquidem euenire necesse est, vt subsequens actus, dati fideiussoris, vel priorem vim, & metum purget, *d.l.2.C. de his quæ vi, metúsve caus.* vel eodem vicio laboret. Quod cùm euenit, fideiussor quoque liberatur: ne alioqui per mediam fideiussoris personam debitor ipse, qui vim passus est, conueniri videatur, *l.5. in princ. D. de liber. legat. l. cùm lex. 46. D. de fideiuss.* Denique certum est, vel per minimum actum contrarium, renunciatum intelligi beneficio restitutionis, si qua prius cõpetebat, *l. si filius. 30. D. de minor.* adeò vt nec prosit impetratam fuisse restitutionem, litemque super ea intra legitimum tempus contestatam, si actor postea destiterit, *l. Papinianus. 20. §. 1. eod.*

Fideiussor spõte interueniẽs, pro eo qui vim passus est, non habet exceptionem, aut restitutionem.

Datio fideiussoris, sponte facta, purgat metũ, qui in principali negotio interuenit.

Beneficio restitutionis in integrum renunciatum intelligitur per minimum actũ contrariũ subsecutum.

REPLICABVNT fortassis aduersarij, Prætorem in eo

in eo edicto *quod metus causa*, generaliter & in rem locutum esse, nec adiicere à quo gestum sit negotium per vim, aut metum: Et ideo siue singularis sit persona, quæ metum intulit, siue populus, siue curia, siue collegium, siue corpus, edicto locum esse, *l. metum. 9. ff. animaduertendum. D. illo tit.* Nec quærendum esse an vim, aut metum intulerit is, qui conuenitur, an alius: sufficere enim actori, hoc docere, Metum sibi illatum esse, & eum qui conuenitur, etiamsi crimine careat, lucrum sensisse, *d. l. item si cùm. 14. ff. in hac actione, eod. tit. l. 4. ff. penult. D. de dol. mal. except.* Sed facilis responsio est ex eo ipso *ff. animaduertendum*, quod à nullo ex nostris non magis, quàm ab aliquo ex aduersariis animaduersum fuisse miror. Subiicit enim Vlpian. quod ad facti nostri speciem tam accommodatum est, vt nihil scribi potuerit accommodatius: [*Sed licet vim factam à quocunque Prætor complectatur, eleganter tamen Pomponius ait: Si quo magis te de vi hostium, vel latronum, vel populi tuerer, vel liberarem, aliquid à te accepero, vel te obligauero, non debere me hoc edicto teneri: Nisi ipse hanc tibi vim summisi. Cæterùm si alienus sum à vi, teneri me non debere. Ego enim operæ potiùs meæ mercedem accepisse videor.*] Quid obsecro scribi pro nobis potuit apertius? An non enim verum est, ideo Marchionē supradictas conuentiones Tononenses iniisse cum Amedeo, quo magis eum Amedeus de vi Ducis Mediolani, quem manifestum hostem eo tempore habebat, liberaret? An non, vt oppida Marchionis, quæ Dux Mediolani nondum occupauerat, tueretur? An non ob eam causam & contractæ primùm To-

Replicatio Mantuanorum ex eo, quod edictum Prætoris *quod met. caus.* in rem conceptum sit.

Non interest quis metū intulerit, dummodò ex metu per alium illato lucrum senserit is, qui cōuenitur.

Responsio ex verbis ipsis *l. metum. 9. §. animaduertēdum, D. quod met. caus* vbi est pro nobis textus in terminis.

Applicatio *d. §. animaduertendum*, ad casum propositū.

noni obligationes fuerunt,& contractus donationis,& inueſtituræſecuti in ciuitate Taurini? An nõ fuit Amedeus eo tẽpore omnino alienus à vi;cùm à bello, quod iuſtè indixerat & iuſtiſſimè mouere poterat,iam abſtinuiſſet, & de oppidis, quæ iam tùm occupata fuerant, Marchioni reſtituendis, quanta poſſet fide ac diligentia laboraret? An non verò ea res ſucceſſit feliciter,conſtituta,per interuẽtum Amedei,pace poſt paucos menſes, & reſtitutis Marchioni tandem omnibus iis, quæ per vim belli Dux Mediolani ei abſtulerat? An fortè vim hanc ſummiſiſſe videri poteſt Amedeus, qui & ipſe bellum mouere iuſſus erat tam ſæpe à Cæſare, contra Marchionem, tanquam rebellem, & hoſtem publicum Imperij, reumque perduellionis? An non potiùs fatendum eſt, ſi quid peccatum ſit ab Amedeo, in eo peccatum fuiſſe, quod Cæſari non paruit bellum inferendo Marchioni ad internecionem vſque,maluitque Marchioni parcere, eique Marchionatum conſeruare, de quo manifeſtiſſimè periclitabatur? An non potiùs eam vim ſibi ipſe ſummiſit Marchio, adhærendo Venetis, Florentinis, & Alfonſo Regi,potiùs quàm Cæſari, à quo Marchionatum ipſum habebat in feudum? vt iam ſuprà diximus, *ex d.l.ſi mulier.21. in princ. eod.tit.* Quid ergo vetat dicere, Amedeum per pacta illa Tononenſia, ſecutámque eorum obſeruantiam,operæ potiùs ſuæ mercedem illam videri accepiſſe,quàm per vim,aut metum quicquam extorſiſſe? Eáque iuris ratio,& interpretatio in propoſita ſpecie tanto magis amplectenda eſt, quòd conuenit verbis donationis, quæ apertam confeſſionem Marchionis continet tot beneficiorum ab Amedeo acceptorum, quibus

Quàm fuerit Amedeus alienus à vi inferenda, & quàm bona fide pro Marchione Mõtisferrati omnia geſſerit.

Nihil ab Amedeo peccatum videri poteſt, niſi quod mitiùs egit cum Marchione,quã iuſſus eſſet à Cæſare.

Interpretatio noſtra conuenit verbis donationis à Marchione collatæ in Ducem Sabaudiæ.

bus parem gratiam referre se non posse, intelligeret: vocauitq; semper donationem illam remuneratoriam, factam ob causam, & talem, quæ nec insinuatione indigeret. Quæ omnia cùm non solùm ex euidentia facti, reiq́ue gestæ veritate sint certissima; sed etiam ex ipsa Io. Iacobi, eiusq́ue filij confessione, quid supereſt de quo sit vel quærendum amplius, vel dubitandum? Denique nec Dux ipse Mediolani, qui castra, & oppida Marchionatus per vim occupauerat, edicto tamen illo teneretur: non solùm, quòd ea eripuit inuito potiùs, quàm extorsit à coacto: sed etiam, quia inauditum est, vt ad ea quę in bello occupantur, edictum Prætoris pertineat: præsertim cùm in toto illo bello, neque mortis, neque cruciatuum corporis vllus Marchioni illatus fuerit metus, qui tamen hoc casu fuisset omnino necessarius, *l. interpositas. 13. C. de transact. l. si donationis. 7. C. de his quæ vi, metúsve caus.* Quanto minùs igitur poterit edictum illud implorari contra Ducem Amedeum, qui neque vim ipse fecit, quam iustissimè facere poterat, & vt faceret iussus erat à Cæsare: neque vim summisit, sed Marchionem & Marchionatum à vi hostium liberauit, capta restitui perfecit, & quę nondum capta fuerant, tutatus est, ne caperentur. Tantùm abest, vt vel mortis, vel cruciatuum corporis, quod necesse fuisset, vt diximus, metum Marchioni vnquam intulerit; vt proinde nec mirum videri debeat, quod de prę̃supposita illa vi, & metu nunquã conquestus fuerit Io. Iacobus Marchio, nec Ioannes eius filius, nec denique alij ipsorum successores: Tanquam qui adprimè essent sibi cõscij nullam sibi vim, nullúmque metum illatum fuisse. Quid enim melius, & prudentius ad res suas benè ge-

Nec Dux ipse Mediolani, qui partem Marchionatus per vim occupauerat teneretur edicto Prætoris, *quod met. caus.*

Metus mortis, aut cruciatuum corporis necessarius est, ad inducendum edictum Prætoris.

rendas facere potuissent tempore pactorum Tononensium, cùm iam per culpam præcedentem in eas se angustias coniecissent, vt iustum bellum excipere, totiúsque Marchionatus iacturam facere cogerentur? Sed illud tanto magis mirum est, quod cùm neque ipsi, neque eorum filij, & nepotes id fecerint: Margareta tamen ausa sit id ipsum tentare, quod nec patrem, nec patruũ ipsius, tametsi maximè voluissent, facere tamen decuisset: per text. *in l. ea quæ à patre, aliàs l. quæ à patre. C. de restit. milit.* cuius non illa sententia est, quæ vulgò creditur, vt non possit filius miles prætextu militiæ reuocare quæ à patre gesta sunt, de quo nulla erat dubitatio: sed hic potiùs, vt veneratione disciplinæ militaris debeat filius, qui se militem profitetur, abstinere à reuocandis iis quæ pater gessit, licèt talia sint, vt ab ipso patre reuocari ex iuris ratione potuerint per restitutionem in integrum: Præsertim si pater ipse, quandiu vixit, de eo conquestus non sit. Quia tametsi in aliis heredibus id permitteretur, cùm restitutiones omnes transeant ad heredes, *l. non solùm. 6. D. de in integr. restit. l. quod diximus. 16. §. vlt. D. quod met. caus.* tamen milites id non decet. Quibus verbis, [*non decet,*] significat lex, licere hoc quidem; sed non decere: quoniam hæc allegatio contineat exprobrationem quandam auaritiæ in personis ipsorum filiorum: imprudentiæ autem, vel facilitatis, & timiditatis nimiæ in persona patris, qui rebus suis prospicere, & se à vi, aut metu liberare nesciuerit, *l. præfecti. 17. D. de minor.* Facit *l. in testamento. 38. de fideic. libert.* in illis verbis: [*Etiamsi nihil ab intestato pater petiisset, pios tamen filios debuisse manumittere eam, quam pater dilexisset.*] Alioqui ridiculum esset dicere, [*non decere,*] quod

Non est succurrendum ei, qui seipsum in eas cõiicit angustias, vt habeat periclitãdum.

Explicatio & applicatio, *l. ea quæ à patre. C. de restit. milit.*

Non semper quod reuocare pater potuit, si voluisset, filio permittendum est vt reuocet.

Quod dicitur non decere, significatur licere.

quod nec liceret. At ita loquendum fuit, quia non omne quod licet, decet, honestumque est, vt ait *l. non omne. 144. de reg. iur. l. semper in coniunctionibus. 197. eod. l. semper. 14. D. de rit. nupt.* Quid enim aliud est non decere, quàm honestum non esse? Quod si in nudis militibus ita Imperatores eleganter & grauiter rescripserunt, quid rescripturi fuerunt in Principum filiis, quos non puderet velle reuocare, quæ à patre gesta essent, prætextu competentis alicuius restitutionis in integrum, quam pater petere, etsi iure potuisset, nunquam tamen voluisset? Et, quod magis indecorum est, reuocare prætextu illo quasi vim & metum passus pater fuisset, quod à Principis dignitate tam alienum est, vt nec verè dici id possit de Principe, sine ipsius dedecore. Principis enim animum adeò generosum esse oportet, vt supra omnem vim sit, & supra omnem metum, vt ne quidem mortis, aut cruciatuum corporis terrore, patiatur vinci se & cogi, vt quid faciat inuitus. Quod tamen si quando euenire contingat, non aliud generoso Principi auxilium restitutionis superest, quàm vt se ipse restituat, illatámque sibi vim & metum armis suis vindicet, si facere poterit, & vlciscatur. Quibus enim magis, quàm supremis Principibus licere debeat, factam sibi ab alio Principe iniuriam sine iudice vindicare, *vt armis subiugent, quod ferum esset iudicio punire*, inquit *l. 1. C. quand. lic. vnic. sin. iud. se vindic.* Quis ergo tales filios ferat, qui nouas istas allegationes patri ipsi incognitas comminisci velint, vt dedecori sint patri, & patris cineres aspergant dedecore, præferentes spem nescio quam lucri pecuniarij, paternæ existimationi, *arg. l. 3. §. si emancipatus*, in illis verbis: [*Vt dedecori sit tam ipsi, quàm*

Non omne quod licet, decet: sed id tantùm quod honestum est.

Quod in nudis militibus non decet, tanto minùs decet Principes.

Alienum est à dignitate Principis, vt vim aliquam passus dicatur.

Princeps si quādo vim passus sit ab alio Principe, debet ipse iniuriā sibi factam armis vindicare.

Non est permittendū filiis Principum, vt spē nescio quā lucri pecuniarii præferant existimationi paternæ.

Non est audiendus, qui propriã, aut patris sui turpitudinẽ allegat: præsertim pro cõmodo aliquo pecuniario.

quàm patri.] *D. de bonor. possess. contr. tab.* Et quemadmodum non est audiendus, qui propriam allegat turpitudinem, *l. mercalem. s. C. de condict. ob turp. caus.* ita neq; qui allegat turpitudinem authoris sui, præsertim patris, vt ex ea allegatione lucrum aliquod pecuniarium sentiat. Sed & *in d. l. ea quæ à patre.* obseruandum est sic loqui Impp. vt dicãt, [*ea quæ à patre geruntur,*] simpliciter, non adiecta qualitate illa [*legitimè,*] aut alia simili, vt significent generaliter se rescribere de non reuocandis per filios milites iis quæ à patre gesta sunt, [*quoquo modo contrahendo,*] inquit Accursius, id est, siue ita vt rescindi non possint, siue ita vt ex aliqua causa iusta po- [illegible] eorum rescissionem postulare. Nam si nec volens pater potuisset restitui, quænam obsecro dubitãdi ratio fuisset, an filius ob id solùm, quòd miles esset, paternum contractum rescindere posset? Neque verò eo casu scribẽdum erat, [*non decet,*] quomodo scriptum est; sed [*non licet.*] Quod enim defuncto non licuit, nec licere potest heredi: At è contrario potuit licere defuncto, quod nec possit, nec debeat heredi licere, vt *in d. l. 1. in fin. l. his solis. 7. l. vlt. C. de reuoc. donat. l. 1. §. vlt. D. de S. C. Silan. l. omnimodò. 30. C. de inoff. testam.* Et quemadmodum plenior interdum actio competit heredi, aut in heredem, quàm vel defuncto, vel in defunctum competisset, vt *in l. si per imprudentiam. 51. §. non mirum, D. de euict.* Ita & nouum non est, vt minùs liceat heredi, quàm licuerit defuncto, vt in omnibus legibus suprà citatis. Quod si indecorum est Principes, adeoque gregarios milites, restitutionem quamuis competentem postulare aduersus contractum à patre initum; quanto magis indecorum erit aduersus donationem & liberalitatem,

Alia obseruatio circa generalem sententiam *d. l. ea quæ.*

Potuit licere defuncto, quod nec possit, nec debeat licere heredi.

Interdũ plenior actio cõperit heredi, aut in heredẽ, quàm competierit defuncto, aut in defunctum.

Quod in quolibet milite, etiam gregario, indecorum est; multo magis indecorum est in Principe.

quæ

quæ à Principe ſemel facta, debet eſſe perpetua & manſura, adeoque à quocunque facta ſit, *l. 1. in fin. C. de reuoc. donat.*

SANE Iuſtinianus *in l. vlt. C. de reuoc. donat.* tractans de donationibus inter viuos, quæ ex certis cauſis reuocari poſſunt per donatorem ipſum, non etiam per ipſius heredes, loquitur de donationibus lege factis, id eſt, legitimè, vt benè Accurſius noſter interpretatur: In quo numero dicent aduerſarij non eſſe donationes per vim, aut metum extortas, *l. ſi donationis. 7. C. de his quæ vi, metuſve cauſ.* Sed præter id quod ea lex *ſi donationis*, reſtricta eſt nuncupatim ad eas donationes, quæ metu mortis, vel cruciatus corporis, vel per capitales minas extortæ ſunt, vt *ex l. interpoſitas. 13. C. de tranſact.* quorum omnium hîc nihil interuenit, dico Iuſtinianum *in d. l. vlt. C. de reuoc. donat.* loqui de donationibus legitimè factis, vt eas comprehendat, quæ per ſtipulationem factæ ſint, non etiam per traditionem: de quibus etiam loqui videtur *d. l. ſi donationis.* cùm tractet de inſtrumento donationis per metum extorto. Sed cùm donatio non tantùm facta, ſed etiam perfecta eſt, vt loquitur *l. 1. eod. tit. C. de reuoc. donat.* id eſt, vt idem Accurſ. interpretatur, *impleta*, quod non fit niſi per traditionem, & dominij tranſlationem, vt in venditione etiam contingit, *l. ſi alienam. 46. D. de action. empt.* non iam diſtinguimus an legitimè facta ſit, necne: ſatiſque eſt ſic factam eam eſſe; vt iuſtum poſſit præbere titulum, iuſtamque cauſam dominij transferendi; ne alioqui traditio nuda ſit, & inefficax ad inducendam dominij tranſlationem, *l. nunquam nuda. 31. de acquir. rer. domin.* Atqui donatio etiam quæ per vim & metum extorta eſt, non eo minùs

Applicatio & explicatio *l. vlt. C. de reuoc. donat.*

Reſponſio *ad l. ſi donationis. 7. C. de his quæ vi, metúſve cauſ.*

Donatio fit etiam per ſtipulationē, ſed perficitur & impletur per traditionem, ac dominij tranſlationem.

Donatio etiam per vim & metū extorta, eſt

titulus habilis ad dominium trãsferendum: Et quare.

sufficiens titulus est ad transferendum dominium, cùm eius qui vim patitur voluntatem habeat, licèt coactam, *d.l.si mulier.21.§.vlt.D.quod met.caus.* Nec facit hæc causa donationem nullam, aut inualidam ipso iure, in quo plerique imperitiores falluntur; sed tantùm præbet iustam causam petendæ restitutionis in integrum ex edicto illo, *Quod metus causa*; In quo Prætor non ita locutus est, vt diceret, se omne id quod metus causa factum erit, pro infecto habiturum; sed id se ratum non habiturum, *l.1. & d.l. si mulier.§.1. ill. tit.* quod nihil aliud est, quàm si diceret, se id rescissurum: data scilicet restitutione in integrum, nimirum si peteretur. Nec enim officium suum nisi petenti impertiri Prætor solet, *l. 4. §. hoc autem, D.de damn.infect.* Vnde fit, vt quandiu Prætor aditus non est, nec petita restitutio, teneat ipso iure donatio, etiam per vim extorta, *d. l. si donationis.* Alioqui frustrà, & ineptè Prætor adiretur ad rescindendum actũ, qui ipso iure nullus esset, *l. in causæ, 16. D.de minor.* aut cõtra quem sufficeret edicti auxilium implorare, non adito Prætore, vt in eo euenit, qui à patris hereditate vult abstinere, priusquàm se immiscuerit, *l. ei qui se nõ miscuit. 12. D.de acquir.hered.* Quamquam illo etiam casu declaratio voluntatis aliqua necessaria est. Cæterùm si is, qui vim, aut metum passus dicitur, de eo non conqueratur; & non solùm restitutionem nullam petierit, sed neque nuda aliqua protestatione voluntatem vllam conquerendi significauerit, non eo minùs legitimè facta donatio intelligi debet, quod per vim, aut metum extorta sit: & consequenter perinde impleri potest per traditionem, & dominij translationem, acsi nulla vis, nullusque metus interuenisset. Ergo ad hãc quoque donationem, de qua

Prætor non habet pro infecto id quod metus causa gestũ est, sed tãtùm profitetur se id ratum non habiturum.

Non datur restitutio in integrum, nisi petenti.

Non potest cõpetere, aut dari restitutio in integrũ aduersus cõtractum, qui ipso iure nullus est.

Non nocet adhibita vis, de qua non conqueritur is, qui vim passus dicitur.

de qua tractamus, aptari optimè potest quod generaliter scriptum est *in d.l.1.& vlt.C.de reuoc.donat.* [*Non esse fas vllo modo inquietari donationem, quam is, qui donauit, in diem vitæ suæ non retractauerit.*] Tametsi eam sententiam alioqui generalem velis restringere ad donationes legitimè factas, & perfectas, cùm eas quoque donationes, quæ per vim, aut metum factæ sunt, retractari perinde necesse sit, vt à Prætore infirmentur, ac si per vim factæ non fuissent. Nam & *l.vlt.* de iis donationibus loquitur, quæ nisi euertantur sub sistunt, euerti tamen possunt. Et vtraque lex hoc significat, Quoties donatio talis est, vt tenere debeat, si non euertatur, & retractetur, debere illam retractationem incipere à donatore ipso, non ab eius herede: quod nobis ad victoriam satis est, etiam admisso eo, quod sibi fingunt aduersarij & nos negamus, Donationē hanc, de qua disputamus, per vim extortam fuisse. Itaque decisa est per dictos textus tota hęc quæstio. Quod etiam ne ab aduersariis animaduerti potuerit, non ex eo factum est, quòd textus illos ignorauerint, sed quia non ad alias donationes pertinere eos crediderint, & benè, quàm quæ legitimè factæ, & perfectæ essent. Eas autem quas vis aut metus extorserit, habent pro illegitimè factis: & hoc malè: sunt enim legitimè factæ, adeóque irreuocabiles, si non per restitutionem in integrum rescindantur, & reuocentur. Legitimè factum quid cùm dicimus, ad legis & iuris ciuilis potestatem respicimus, non ad æquitatem Prætoris, *l.3.D.si vsufr.petat.* vbi ius legitimum opponitur Prætorio. Et sanè ratio diuersitatis nulla reddi potest, cur non sit permittendum he-

Nefas est inquietari donationem, quam is qui donauit in diem vitæ suæ non retractauit.

Sententia *l.1. in fin. & l.vlt.C. de reuoc. donat.* per quos text. tota hæc quæstio deciditur.

Quid aduersarios deceperit, vt ad tam apertos textus non respexerint.

Legitimè factū propriè quid sit.

redi donatoris, vt probet ingratum donatarium post acceptam donationem, violentas ei manus intulisse, quæ omnium impiissima ingratitudo est: sit autem ei permittendum, vt probet donationem per vim extortam fuisse. Quid enim aliud est, Donationem per vim extorquere, quàm ingratum se præbere donatarium, priusquàm beneficium acceperit? Atqui ingratitudo maior est, quę post acceptum beneficium committitur: cùm collata in aliquem liberalitas magis ad obsequiũ inclinare illum debeat, quàm ad insolentiam erigere, vt ait *d.l.1.C.de reuoc.donat.* In qua illud quoque obseruandum est, etiam filiis patroni hoc ius denegari retractandæ donationis, quam viuus patronus non retractauerit. Cùm tamen omniũm heredum fauorabilissimi sint filij patroni, qui & ipsi, cùm non sint exheredati mala mẽte, patronorum quoque iure in plerisque cẽsentur, etiamsi patris hereditate se abstinuerint, *l.si patronus.12.ff. si quis non mala mente, & pass.de bono libert.* vt & in aliis plerisq; melioris sunt condicionis, vt *in l. si vnquam.C. de reuoc. donat.* Si ergo maiorem ingratitudinem obiicere donatoris heres prohibetur, quomodo licebit ei minoris ingratitudinis querelã proponere, *l.non debet cui.21.* à contrario sensu, *de reg.iur. & l.cui pacto. 5. D. de seru. export.* Aut cur ei licere debeat potiùs eam donationem reuocare, non solùm quæ ab initio tenuerit, perinde ac alia quælibet; sed etiam cuius ex postfacto reuocandæ nulla causa superuenerit? Solet enim fauorabilior esse reuocatio, & mutatio voluntatis, cùm eius mutandæ causa noua apparet, quam præuidere donator non debuerit, vt in *d.l.1. & vlt.C.de reuoc.donat.* Siquidẽ non magis potest donator, aut debet præuidere donatarij ingratitudinem,

Nõ magis permittendum est heredi donatoris vt probet donationẽ per vim extortam esse, quàm vt probet ingratũ donatariũ manus violentas donatori suo intulisse.

Nec filiis patroni permittitur retractare donationem, q̃ in libertũ collatã ipse non retractauerit.

Patroni filius in plerisq; melioris est cõdicionis, quàm alius heres cuiuslibet alterius donatoris.

Fauorabilior est donationis reuocatio ob causam, quæ superuenerit.

dinē, licèt possibilem, quàm si esset omnino impossibilis, cùm non possit esse nisi inhonesta & illicita. Quod autem honestè facere quis non potest, nec facere absolutè posse credendus sit, *l. filius. 15. D. de condic instit. Can. faciat. 22. q. 2.* Vt proinde non possit hoc casu donatori obiici ratio illa Pauli, *in l. si domum. 9. §. 1. vers. idem quærit,* in illis verbis: [*Quia hoc euenire posse prospicere debuit,*] *D. locat.* Videtur autem hoc ius proprium esse donationum, cùm in cæteris hominum negotiis, & contractibus nihil tale vspiam proditum sit, vt non debeat heredi licere contractum aliquem retractare, & impugnare, quem defunctus ipse non retractauerit. Et specialitatis ratio est, non solùm ex fauore donationis & liberalitatis, quam firmam, illibatamque manere interest, etiam donatoris, ne imprudentiam suam, & prodigalitatem fateri & agnoscere videatur, nisi minor sit, quem pudere non debeat infirmum ætatis consilium allegare, *tot. tit. C. si aduers. donat. l. 3. l. velles nec nec. 6. cum l. præced. & pass. C. de reuoc. donat.* Sed etiam ex eo, quod quisquis donat, id primò ac principaliter agit, vt patrimonium suum minuat; si non id etiam agit, vt rem suam perdat, *l. filiusfamiliàs. 7. D. de donat.* Cæteri verò contractus etiam venditionum, eò pertinent, vt locupletior fiat qui contrahit, & patrimonium suum augeat, *d. l. in causæ. 16. §. idem Pomponius, D. de minor.* Item ex eo, quod facilè fieri potest, & passim contingit, vt qui hodie liberalitatem suam reuocatam vellet, cras non velit; siue ex innata illa omnibus ferè hominibus inconstantia, siue quòd possint quotidie multa accidere, quæ faciant, vt donatarius, qui heri ingratus fuit, hodie gratum se præbeat, & iisdem artibus, aut me-

Non potest imputari donatori cur futuram ingratitudinem donatarij non præuiderit.

Ius proprium & singulare est donationum, vt quamuis ab ipsis donatoribus retractari possint, ab ipsorum tamen heredibus non possint.

Ratio diuersitatis, & specialitatis.

Quisquis donat, id agit vt patrimonium suum minuat: si non id etiam agit, vt perdat

lioribus liberalitatem retineat, quibus prouocauit; ac proinde vt donatorem pelliciat ad priorem voluntatem retinendam, *l. in ipsius mariti. 5.* vbi est text. elegans *C. famil. erciſc.* Et quamuis nulla posterior donatoris voluntas tam euidenter appareat, vt tutò dici possit, eum à priore voluntate, quam reuocandæ donationis habuerat, recessisse: sufficit tamen ad excludendam heredis querelam, quòd forsan recesserit, id est, quòd fortasse recedendi voluntatem illam habuerit: vt ostendit oratio illa Imp. Antonini, quam refert Vlp. *in l. cùm hic ſtatus. 32. ſ. ait oratio, de donat. int. vir. & vxor.* [*Fas esse eum quidem qui donauit pœnitere, heredem verò eripere forsitan aduersus voluntatem supremam eius qui donauerit, durum & auarum esse.*] Ad quam orationem videtur alluſisse Philippus Imp. *in d. l. 1. in fin. C. de reuoc. donat.* cùm ait: [*Neque enim fas est vllo modo inquietari donationes, quas is, qui donauerat, in diem vitæ suæ non retractauit.*] Nimirum fas est donatorem ipsum pœnitere, sed nefas heredem. Quod si verum illud est in donationibus inter virum & vxorem, quæ ab initio non valent, nec nisi ab instanti mortis quo confirmantur, valere incipiunt, quanto magis id obtinere debet in donationibus etiam per vim, aut metum extortis, quæ ab initio valuerunt? Difficilius siquidem esse solet, vt quæ ab initio constiterunt, ex postfacto irritentur: tùm quoque cùm ad eum casum peruenerunt, à quo incipere non potuerunt, *l. verbis legati. 5.* in postremis illis verbis: [*Quod ab initio constitit.*] *D. ad l. Falcid. l. existimo. 98. in princip. l. pen. ſ. 1. de verb. oblig. l. in ambiguis. 85. ſ. 1. de reg.*

Textus elegãs, *l. in ipsius mariti. 5. C. famil. erciſc.*

Oratio Antonini de donationibus inter virum & vxorem, quę morte ac silentio donantis confirmatæ sunt ab herede, non reuocandis.

Fauorabilior est donatio etiã per vim, aut metum extorta, quæ ab initio valuit, quã quæ fit inter coniuges, quoniam initio nõ valet.

de reg. iur. ſ. ex contrario, Inſtit. de legat. Maximè verò in donatione reuocata hoc obtinet, cùm donator ſuperuixit, nec declarauit velle ſe in ea reuocatione perſiſtere, vt *in d.l. in ipſius. & l. 1. ſ. vlt. D. de S. C. Silan.* præſertim ſi per longum tempus, id eſt, per decennium ſuperuixerit, *l. ſi cùm fideicommiſſa. 16. ſ. Ariſto, D. quis & à quib. manum.* Multo magis ergo, & in donatione per vim, aut metum extorta idem obtinebit, de qua reuocanda nihil vnquam donator dixerit; & conſequenter, de quo ſuſpicandum non ſit voluntatem eum mutare voluiſſe, cùm ſemper ei incumbat probatio, qui voluntatem mutatam dixit, *l. ei qui mutatam. 23. D. de probat.*

Ei ſemper incumbit probatio, qui voluntatem mutatã dicit.

IN noſtro autem caſu hoc amplius eſt, quod donatio illa, quam aduerſarij per vim & metum extortam eſſe tantis contentionibus euincere, & à nobis extorquere conantur, non ſolùm ab initio legitimè ac ritè facta fuit; ſed etiam perfecta, & impleta per ſubſecutam traditionem, tranſlatumque dominium à Io. Iacobo donatore in Amedeum donatarium, qui cùm ſubinde infeudauit Ioanni filio Io. Iacobi eadem illa bona omnia, quæ ex donatione acceperat, exceptis quibuſdam, quæ ſibi retinere ac reſeruare voluit: tanto magis agnitus eſt pro domino, cùm alioqui infeudare, & inueſtituram concedere non potuiſſet, *tot. tit. de inueſtit. de re alien. fact. in vſib. feudor.* Ideoque dubitari minùs poteſt, quin ex ea donatione Amedeus dominium nactus ſit, qui etiam in infeudatis ius dominij & ſuperioritatis ſibi retinuit. Quę omnia & alia tam multa, de quibus poſtea dicemus, cùm facta ſint in executionem & adprobationem expreſſam non modò pactorum

Donatio, de qua quærimus, nõ ſolũ ritè, ac legitimè ab initio facta fuit; ſed etiam perfecta & impleta per donatorem.

Alius quàm domin⁹ infeudare & inueſtituram cõcedere non poteſt.

ctorum Tononenſium, ſed etiam laudi ab Oratoribus Mediolanenſibus pronunciati, non ſolùm oſtendunt priorem metum, ſi quis illatus fuiſſet, purgatum eſſe, niſi in iis quoque actibus omnibus probetur nouus interueniſſe, *d. l. 2. & 4. C. de his, quæ vi, metúſve cauſ.* Sed etiam tãto minus iuris habere ſucceſſores ad euertendam & reſcindendam donationem, cuius euertendæ cauſam, cùm aliquam, & iuſtam haberet donator, eam tamen implere maluerit: & quidem ex cauſa tranſactionis & habendæ pacis. Nam quemadmodũ tranſactio, etiam inter priuatos, non eo minùs valet; imo tanto magis quòd metu futuræ litis facta ſit, *l. 2. C. de tranſact.* dum ne per calumniam & dicis causâ lis mouenda ſit, *l. in ſumma 6 5. §. 1. de condict. indeb.* ita & inter Principes ſolus metus belli, etiam iniuſti, dummodò veri, multo magis ſi & verum ſit, & iuſtum, materiam præbet iuſtæ inter eos ineundæ tranſactionis: tantum abeſt vt tranſactioni nocere debeat, quaſi per metum extortæ.

Prior metus purgatus intelligitur ex actibus ſequẽtibus, ſi nõ in iis quoque interueniat nouus metus.

Metus futuræ litis iuſtam ineundæ tranſactionis cauſam præbet, etiam inter priuatos.

Solus metus belli, etiam iniuſti, dummodò veri, multo magis iuſti & veri, cauſam tranſactionis iuſtam præbet inter Principes.

ITAQVE ſunt ſuaues aduerſarij, cùm dicunt, Per ſupradictos actus ſubſecutos, non fuiſſe purgatum metum, qui in pactis Tononenſibus & Taurinenſibus interuenerat, quoniam eadem ſemper metus cauſa duraſſet. Nam præter id quod & locorum & temporum, & negotiorum mutata condicio contrarium probat, vt pluribus infrà oſtendemus; illud iam conſtat ex ſuperioribus, non alium ab initio metum interueniſſe, quàm iuſti belli aduerſus eum ſuſcipiendi, qui vt iure, ita & armis ſuperior futurus eſſet. Itemque non aliam vim, quàm ab eo illatam Duce Mediolani, qui & iuſtum

Aduerſariorũ obiectio.

Reſponſio ad obiectionem.

Vis ſi qua in propoſito illata eſt, fuit per Ducẽ Mediolani illata, ſed iuſtè.

ſtum bellum mouebat mandato Cæſaris; & totũ Marchionatum, quem iam inuaſerat, & magna ex parte occupauerat, breui occupaturus fuerat, ni fauor, & opera Amedei interceſſiſſet. Finge igitur etiam hodie cauſas iſtas durare. Dicam tãto magis valituram etiam hodie donationem, tanquam, quæ ſi nondum facta eſſet, hodie tamen ex iiſdem cauſis iuſtè fieri & poſſet, & deberet: nullis præſertim adhibitis cruciatibus corporis, nullo metu præſentis mortis, nullis denique capitalibus minis, quorum aliquod interuenire neceſſe eſſet, vt edicto Prætoris, De his quæ metus cauſa geſta ſunt reſcindendis, locus eſſe poſſet. Et quæ tamen omnia etiamſi interueniſſent, non eò minùs valeret ipſo iure quicquid per eiuſmodi vim, aut metum geſtum eſſet, quouſque per Prætorem tota res ſuæ æquitati reſtitueretur, vt *in l. vlt. §. 1. 2. & 3. D. quod met. cauſ.* Petitã ſcilicet, ac impetrata in integrum reſtitutione, quæ in caſu noſtro nunquam petita fuit, non ſolùm à donatore, ſed nec ab ipſius ſucceſſoribus maſculis, quorum maximè interfuiſſet, à quibus tamen, nec ſi voluiſſent, peti potuiſſet.

Nõ poteſt reſcindi donatio ex iis cauſis, ex quibus ſi adhuc durarent, etiã hodie fieri poſſet.

Valet ipſo iure quicquid per vim aut metum geſtum eſt, donec ſuæ æquitati res per Prætorem reſtituatur.

SED etſi ſucceſſoribus Io. Iacobi permittendum eſſet donationem impugnare, quam donator ipſe neque metus, aut violentiæ, neque alio vllo prætextu vnquam impugnaſſet, adhuc tamen dicendum eſſet, non debuiſſe id permitti eo tempore, quo res ampliùs non eſſet integra, nec poſſent omnia reſtitui in priſtinum ſtatum, & eo tempore, quo res non capit reſtitutionem, vt ſuprà diximus, *ex l. ſi ex cauſa. 9. §. pen. D. de minor.* Alioqui per donationem illam deceptus fuiſſet

Alia ratio contra Mirtuanos, etiam dato ex falſa hypotheſi, quod Io. Iacobi ſucceſſoribus permittẽdum fuiſſet donationem hanc impugnare.

Non eſt danda reſtitutio rebus ampliùs non integris, & cùm res nõ capit reſtitutionem.

Non est ferendum vt Dux Amedeus per donationem hanc fuerit deceptus.

Amedeus, qui, si donatio facta non fuisset, in eo erat vt sibi partim retentione, partim bello iustissimo, rebusq; suis consulere potuisset. Nec tantùm si ea donatio facta non fuisset, sed etsi post eam factam Marchio de ea conqueri voluisset, tanquam per vim & metum extorta fuisset. Potuisset enim Sabaudiæ Dux fidem Ducis Mediolani, & eius arma iuxta fideiussionis formam implorare, adeoque bellum iustissimum contra Marchionem mouere, qui cùm à Mediolani Duce nihil auxilij sperare, sed potiùs perfidiæ suæ pœnas timere debuisset, facilè, nullóque negotio superatus, totum Marchionatum amisisset. Siue igitur dolo malo querelam Marchio distulerit, vt Sabaudiæ Ducem tantisper decipere[t]: siue, quod magis credendum est, bona fide, vt Duci esset gratior, nulla ratio fuit audiendi eius, si post decennium querelam proponere voluisset. Textus est elegans *in l. cùm quidam. 27. §. Diuus Pius, D. de vsur.* vbi refertur rescriptum Diui Pij in hæc verba: [*Parum iustè præteritas vsuras petis, quas omisisse te longi temporis spatium indicat, qui vt debitori tuo gratior esses, petendas eas non putasti.*] Et *in l. cùm notissimi. 8. §. imò & illud, vers. sed & si quis, C. de præscript. 30. vel 40. annor.* nihil aliud requirit Iustinianus, vt improbum dicat esse debitorem, qui audet contradicere, quàm si more debitorum secundam cautionem exposuerit, ne fieret sub accusatione creditoris, vt ipse loquitur, id est, ne à creditore accusaretur, & vrgeretur. Nam vel ex sola taciturnitate tanti temporis inducitur pactum de non petendo, *d. l. cùm post. 69. in princip. D. de iur. dot.* Et ob eam causam certa petendæ

Quid facturus fuerat Dux Amedeus, si hæc donatio facta ei non fuisset.

Omissa in integrum restitutio ab eo, qui id agit vt alij gratior esset, repeti postea non potest.

Ex sola taciturnitate tanti temporis inducitur pactū de non petendo.

in

in integrum restitutioni cuilibet præfinita sunt tempora, quæ vix vnquam actori proroganda sunt; sed tantùm reo, cùm in actoris potestate fuerit, quando ageret, non autem rei quando conueniretur, inquit *l. petendæ. 6. iunct. l. præced. C. de tempor. in integr. restit. l. purè. 5. §. vlt. D. de doli mali except.* Alioqui facile esset differre actionem ob id solùm, vt probationes interciderent, quas reus ad excludendum restitutionem habere potuisset: aduersus quod periculum soli actori succurri potest, non etiam reo, *l. in lege Aquilia. 41. D. ad leg. Aquil.* Et restitutionis petendæ tempus longissimum etiam in persona minoris non potest duodecim annos transcendere, *Auth. si minor, C. de tempor. in integr. restit.* Et quamuis ad trigesimum vsque annum extendi possit, exemplo perpetuarum & ciuilium actionum, *ex l. sicut. 3. C. de præscript. 30. vel 40. annor.* extinctum tamen esset ius petendæ istius restitutionis, iam inde ferè à tempore mortis Ioannis, qui per triginta, plus minùs, annos superuixit à die donationis, ac multo pluribus à die pactorum Tononensium. Nec respondeti potest, Ea quæ temporalia sunt ad agendum, perpetua esse ad excipiendum, *d. l. petendæ. & d. l. purè. §. vlt.* Etsi enim Carolus Dux Sabaudiæ contra Margaretam egit; hac tamen parte non potest Margareta haberi pro rea, cùm & ipsa citata fuerit iussu Caroli V. ad agendum, vt cæteri prætendentes ius aliquod in hereditate Io. Georgij Paleologi. Item, quia licèt possideat Marchionatum; Duces tamen Sabaudiæ pariter possederunt ius feudi, quod ex supradicta infeudatione, ac subsecutis inuestituris quæsitum eis fuerat: & Marchionum fuit agere & conqueri de vi ac metu, ad rescindenda pacta omnia Tononi,

Petendæ restitutionis tempora reo prorogari aliquãdo possunt, sed actori nunquã.

Non est succurrendũ actori, qui actionẽ distulit ob id solũ, vt rei probationes intercideret.

Ioannes filius Ioannis Iacobi superuixit per plures quã triginta annos, à die pactorum Tononensium.

Marchionum fuit agere & conqueri de vi, non autem De-

cum Sabaudiæ, qui pro se habebant contractum.

& Taurini facta: non autem expectare vt conuenirentur. Quid enim necesse erat eos conuenire, qui non modò contrahentibus successerant, sed & ipsi contraxerant? In quo numero non tantùm Ioannes primogenitus Io. Iacobi; sed etiam fratres eius omnes fuerunt, Guillielmus, Bonifacius, Theodorus, quorum postremus Marchio Bonifacius vixit in annum vsque *1491.* vt ex ipsius testamento in actis producto apparet. Negari ergo nulla ratione potest, quin ius illud petendæ restitutionis etiam ex causa metus iam inde à multis annis extinctum fuerit. Cùm licèt Guillielmus, & Bonifacius inuestituram nullam acceperint; eius tamen accipiendæ legem sibi impositam esse non ignorauerint, & propria obligatione ad eam petendam & accipiendam potuerint conueniri: ita vt semper fuerint in mala fide, quæ & in ipsorum successores transiit, quamuis ignorantes, *l. cùm heres. 11. D. de diuers. temp. præscript.* multoque magis vicium possessionis eorum, si fingamus, id de quo non apparet, voluisse eos mutare sibi causam possessionis, & interuertere possessionem Ducum Sabaudiæ, *l. vicia. C. de acquir. poss.*

Bonifacius, vltimus liberorū Ioannis Iacobi, vixit in annum vsque 1491.

Guillielmus & Bonifacius fratres Ioannis, licèt nullam inuestiturā à Sabaudiæ Duce acceperint, tamen accipere se debere, cùm ipsi quoque cōtraxissent.

Mala fides defuncti, & vicia possessionis trāseunt in heredes.

Alia pro nobis ratio, ex eo q̄ instrumēta donationis & inuestituræ effectum habuerunt pro castris Cliuasij, & Septimi.

QVID? quòd ex ea donatione Dux Amedeus, eiúsque successores in hunc vsque diem tenuerunt, tam ex laudo, quàm ex donatione prædicta, terras & castra Cliuasij, Septimi, & alia quæ in instrumento inuestituræ nominatim per Ludouicum excepta, & reseruata inueniuntur, nulla vnquam de iis mota controuersia, vt proinde dubitari non possit, quin omnia illa instrumenta & donationis, & inuestituræ, pleniſſimum habuerint effectum, quod ad illa loca, & castra reseruata pertinet. Quídni ergo etiam pro reliquis omnibus?

An

An fortè potuerunt Marchiones Montisferrati consentire, vt contractus illi pro parte tenerent, pro parte verò essent rescindendi ex causa metus? An non & ipsi Marchiones ex iisdem instrumentis & aliis correspectiuis, consecuti sunt plenissimam restitutionem locorum omnium, quæ possederat Io. Iacobus ante bellum, & quæ ad manus illustrissimi D. Ducis Sabaudiæ, vt laudum loquitur, quoquo modo peruenerant? Exceptis tantùm iis locis, quæ Amedeus, vt dixi, per Ludouicum sibi excepit, & reseruauit de consensu Marchionis. In quo licèt aliquid factum sit vltra pacta Tononensia; nihil tamen contra laudum, per quod nominatim exceptus est nouus consensus partium, iis verbis: [*Secundum, & prout ipsæ partes concordarunt.*] An fortè potuerunt conuentiones illæ, quas nemo non videt fuisse correspectiuas, & vnius contractus iure cẽsendas, ita diuidi, vt pro parte valere & effectum habere debuerint; pro parte verò non valere? Contra *l. nam absurdum. 7. D. de bon. liberto. l. si ita stipulatus. 39. in fin. de oper. libert. l. cùm quæritur. D. de admin. tutor.* Denique cõstat contractus omnes esse indiuiduos, nec posse pro parte rescindi, etiam petita restitutione, *l. tutor vrgentibus. 47. §. 1. D. de minor.* Sed omniã in pristinum statum restitui debere ab eo, qui petit in integrum restitutionem, *l. quòd si minor. 24. §. restitutio, eod. l. vnic. C. de reput. quæ fiunt in iudic. in integr. restit.* Nam quemadmodum qui agere vult ex contractu vltro citróque obligatorio, prior implere contractum ex sua parte debet, aut saltem implementum offerre, *l. Julianus. 13. §. offerri, D. de action. empt.* Ita & qui postulat restitutionem in integrum, siue ex edicto *quod metus causa*; siue ex alia qua-

Non potuerũt contractus illi pro parte tenere, & pro parte rescindi.

Quod inter Ducẽ Sabaudiæ & Marchionẽ Montisferrati gestũ est vltra pacta Tononẽsia factum est iuxta laudum.

Conuentiones correspectiuæ & vnius contractus iure censendæ, non possũt pro parte valere, & pro parte non valere.

Cõtractus omnes sunt indiuidui, nec possunt pro parte rescindi, etiam petita restitutione.

libet edicti parte, prior debet reddere, & restituere, aut saltem offerre restitutionem eorum omnium quæ accepit ex contractu, quem vult rescindere, *l. patri. 27. §. si pecuniam, D. de minor.* quia & distractus, qui fit per restitutionem in integrum, etiam vltrò citróque obligatorius est, *d. §. restitutio, & d. l. vnic.* Cùm ergo Marchiones Montisferrati, nec tantùm Io. Iacobus, & Ioannes eius filius, qui primi, & principaliter contraxerũt; sed etiam eorum successores restituta sibi per Amedeum oppida semper retinuerint, & adhuc hodie possideant ea sereniss. Duces Mantuæ; apertissimum, & inuincibile argumentum est, perpetuum illos consensum præstitisse iis contractibus, ex quibus, & in quorum executionem, [illegible] illam habuerunt, quam alioquin nũquam habuissent, cùm & ex pactis Tononensibus, & ex laudo Taurinensi constet cætera omnia per Marchionem & eius filium Ioannem promissa priùs impleri ab iis debuisse, & quidem solemniter, quàm Amedeus oppida illa restituere ipsis deberet. Pacta enim sic habent: [*Horum autem initu, illisq; solemniter peractis, dictus D. Dux liberaliter remittet dicto D. Marchioni omnes terras, &c.*] Laudum verò in hunc modum, [*Quod statim habita & apprehẽsa possessione locorum Cluasij, & Septimi, pro omnium conuentorum obseruantia, die immediatè sequenti incipiendo, & continuè, bona fide, sine intermissione finiendo, sine vlla exceptione & contradictione restituat Illustriss. D. Marchioni terras, castra, &c.*] Ergo acceptata & obtenta restitutio dictorum locorum, & secuta

Distractus, qui fit per in integrum restitutionem, vltrò citróque obligatorius est.

Ex pactis Tononensibus, & ex laudo Taurinensi debuit Marchio prior ex parte sua implere.

Verba pactorum Tononensium.

Verba laudi Taurinensis.

cuta ipsorum retentio in hunc vsque diem, inducit in necessarium antecedens, adprobationem expressam omnium eorum, quę à Marchione facta fuerant, & fieri debuerant. Nam qui alicuius rei possessionem retinet, quam nisi certis legibus habere non potuit, videtur in singula momẽta leges illas agnoscere & adprobare: cũ quicquid ab initio factum est, tamdiu fieri singulis momẽtis videatur, quamdiu factum durat, *l. si pro patre. 10. §. versum, D. de in rem verſ. cum similib.* Nec potuerunt Marchiones mutare sibi causam possessionis, & castra illa, & oppida sibi restituta possidere ex alia causa, quàm dictorum pactorum, & laudi; ac proinde in necessariam consequentiam eorum, quæ ante omnia Marchiones in salutem Ducis Amedei facere debuerunt, & fecerunt, *l. non solùm. 33. §. quod vulgò, de vsucap. l. 2. §. quod vulgò, D. pro hered. l. 3. §. illud quoque, D. de acquir. possess.* Proinde tantum abest, vt per continuam Marchionum possessionem interuersa sint iura Ducum Sabaudiæ, vt ex contrario fuerint conseruata; Quandoquidem directus dominus per mediam vasalli personam iura sua omnia possidere & retinere intelligitur, non minùs quàm per emphiteutam, aut conductorem, *l. male agitur. 2. C. de præscript. 30. vel 40. annor. d. l. cùm notissimi. 8. §. vlt. eod.* in illis verbis: [*Per quantoscunque annos.*] Nec alia præsumptio pro Marchionibus capi potest, quàm quod possederint ex titulo præcedente, & eo iure, quo bona fide ac iustè possidere potuerunt, *d. l. quædam mulier. 77. de rei vindic. l. 2. C. de acquir. poss. l. prædia. 48. D. eod.*

Qui retinet rẽ ex aliquo contractu, tamdiu contractum illum adprobare videtur.

Non potuerũt Marchiones mutare sibi causam possessionis.

Dominus directus per mediã vasalli personam iura sua omnia possidere ac retinere intelligitur.

Præsumendi sunt Marchiones possedisse ex titulo præcedente.

ILLVD etiam obseruatione dignum est, quod in dicto laudo Taurinensi expressim conuentum proponitur; [*Quod si in prædictis, aut aliquo prædictorum,*

Alia ratio ex verbis laudi Taurinensis.

rum, vel in materia hac compoſitionis & concordij de cætero aliqua difficultas ſeu differentia oriretur, per ipſos DD. Oratores declaretur & terminetur: ſta vt ipſi tres, vel duo ex illis, ſi tertius non eſſet præſens, iudicare & diffinire poſſint: dummodò tales difficultates, aut differẽtiæ ante feſtum Reſurrectionis ſuborirentur & emergerent.] Cùm itaque intra totum illud tempus, quod ſatis longum erat, nulla difficultas per Marchiones propoſita ſit, ac nec vnquã poſtea: ſed ex contrario impleuerint illi omnia, de quibus implendis, & in ipſis pactis, & in laudo conuentum fuerat; apparet manifeſtiſſimè nouum illum cõſenſum fuiſſe Marchionum, & quod neque de vi, aut metu, neque de alia vlla re conqueri voluerunt. Nam ſi voluiſſent, vtique potuiſſent, & debuiſſent intra illud tempus. Quo elapſo nec fuiſſet eis permittendum propter vim & poteſtatem temporis limitati, vt loqui Baldus ſolet, ex *l. Imperator. 8.* in poſtremis illis verbis: [*Ne pœna tempore determinata contra ſententiæ fidem vlteriùs porrigatur,*] *D. de poſtul. l. Thais. 41. §. intra, D. de fideic. libert.*

Tempus præfinitum, intra quod potuerat & debuerat Marchio conqueri de vi illata, ſi voluiſſet.

Quod vſque ad certum tẽpus licet, poſt tempus non licet.

SED quamuis non neceſſariò, addamus tamen tam multa; aut potiùs ne in immẽſum res abeat, ex tã multis nonnulla, quæ in executionem & adprobationem dictorũ pactorum, dictiq; laudi facta ſunt à Marchione Montisferrati Io. Iacobo, & ab ipſius filiis omnibus, ne dubitari poſſit nullam eos de ſupradictis pactis, & conuentionibus conquerendi, aut reſtitutionis pẽtendæ voluntatem habuiſſe. Si tamen priùs obſeruauerimus, quod obſeruatione dignum certè eſt, nullam à dictis

Quàm multa ſecuta ſint in executionẽ & adprobationẽ pactorum Tononenſium, & laudi Taurinenſis.

dictis Marchionibus protestationem de prætensa vi, aut metu factam esse ante vel post pacta illa Tononensia, nec antè, vel post laudum Taurinense, eiusque executionem: ne quidem clandestinam, qualem tamen facere potuissent facillimè, si voluissent. Quid enim prohibebat, quò minùs inter suos eam protestationem ederent, priusquàm domo exirent, vt Tononum primùm, deinde etiam vt Taurinum proficiscerentur? Præsertim cùm nec deessent Consiliarij iuris consultissimi, qui non ignorabant eo potissimùm remedio prospicere sibi posse illos, qui vim & metum à potentiore inferri sibi metuant, aut illatum sentiant; de quo tamen apertè conqueri non ausint propter aliquam reuerentiam, quæ ipsis debeatur, aut aliam causam quamlibet, ex not. per Bart. & alios *in l. de pupillo. s. §. si quis ipsi Prætori, per illum text. c. cùm locum, in fin. de sponsal. l. 2. ibi* [*Omissa querela de chirographo.*] *C. de his quæ vi, met. caus.* Not. per Gloss. fin. & DD. *in c. ad id quod, de sponsalib. & matrimo. & in c. ex literis, de desponsimpuber.* Gloss. *in l. qui alienæ. 6. §. Celsus, in verb. fallens, de acquir. hered.* Crauet. *cons. 114. num. 16.* Bald. *in Cons. Schismat. post rubr. C. si quis aliq. testa. prohibuer. col. 8.* quem refert & probat Neuisan. *cons. 46. num. 32.* Alex. *cons. 146. num. 20. vol. 5. D. de oper. noui nunciatio.* Nec defuit quoque dictis Marchionibus animus protestandi, quoties protestandum sibi esse existimarunt: Ergo vel ex eo maximè apparet, id quod à Margareta obiectum est de vi, metuque illato Io. Iacobo, planè commentitium esse, & ab ipsius Io. Iacobi voluntate alienum.

Nulla de vi, aut metu protestatio facta est à Marchionibus, ne quidé clandestina, siue ante, siue post pacta Tononensia, landuméque Taurinense.

Remediũ protestationis aduersus suspicionem metus inferendi, aut si de metu illato conqueri non audeat.

Marchionibus Montisferrati nec animus, nec consilium defuit huiusmodi protestationes clandestinas faciendi, quoties sibi protestandum esse crediderũt.

NON obstat protestatio quædam à Mantuanis pro-

Obiectio Mantuanorum ex

protestatione quadam facta à Ioanne filio Io.Iacobi.

ducta, quæ à Ioanne filio & successore dicti Io.Iacobi facta dicitur, die 21.Febr.anno 1450. Imò potiùs nostram cõfirmat sententiam; non solùm quia nihil in ea protestatione est de vi & metu, quod tamẽ æquè facilẽ potuisset Ioannes facere, si ita res fuisset, *l.vnic.§.vbi autem, vers.sin autem ad deficientis, C. de cad.toll. c. inter corporalia, de translat.* sed etiam quia protestatio illa fuit tantùm pro reseruatione iurium, quæ dictus Ioannes prætendebat sibi competere in locis à Duce Sabaudiæ possessis. Quibus verbis videtur Ioannes ea loca & castra intellexisse, quæ Amedeus sibi exceperat & retinuerat in inuestitura: Ideò fortasse, quòd de iis reseruandis nihil in pactis dictum fuisset. Nimirum quia nondum eo tempore factæ fuerant in eorum tuitionem & conseruationem expensæ, quas postea fieri necesse fuit, propter tam longam Marchionis in promissis implendis dilationem, & procrastinationem; Quarum rationem haberi sanè fuit æquissimum, præsertim cùm ascenderent ad tantam summam trecentorum millium florenorum auri, vt laudum refert. Cùm igitur dictus Ioannes de iis solis castris protestatus sit, quæ Dux Sabaudię tenebat, apparet nihil eum protestari voluisse de cæteris, quæ donata Duci Sabaudiæ fuerant, & subinde per dictum Ducem Sabaudiæ eidem Ioanni infeudata: cùm inclusio vnius, sit exclusio alterius, *vulg.l.cum Prætor.de iudic.l.ex eo.18.D. de testib.* Nec sanè potuit Ioannes voluntatem suam declarare apertiùs, quòd nollet ille de donatione & inuestitura conqueri, nisi pro bonis reseruatis, cùm in ea protestatione, quantumuis clandestina, nihil de cæteris bonis dixerit. Itaque si quærimus voluntatem posteriorem aliquam dicti Ioannis, quòd

Protestatio Ioãnis ad quid fuerit restricta.

Cur in laudo aliqua sint adiecta, quæ comprehensa non erant in pactis Tononensibus.

Nihil fuit protestatus Ioãnes de bonis donatis Duci Sabaudiæ, ac per eum subinde infeudatis.

Apertissima probatio voluntatis Ioannis, quòd aduersus donationem & inuestituram noluerit ex capite metus petere in integrum restitutionem.

quòd reſtitutionem in integrum ex capite metus petere noluerit, ecce apertiſſimam hîc habemus.

Quàm multa in laudi confirmationem ſubſecuta ſint inter Ducem Sabaudiæ & Marchionem Montisferrati, eiuſque filios & ſucceſſores.

HIS ita ſuppoſitis, & conſtitutis, videamus iam cætera omnia, quæ inter Ducem Amedeum & Marchionem Montisferrati, eiuſque filios in laudi confirmationem ſubſecuta ſunt.

I. Expreſſa laudi adprobatio. Donatio eodem die ſubſecuta ad formã laudi.

PRIMVM illud fuit, quod eodem die poſt expreſſam laudi adprobationẽ ab vtraque parte factam, Io. Iacobus Marchio donationem puram contulit in Amedeum Ducem, locorum omnium Marchionatus citra Padum & vltra Tanagrum exiſtentium, ſtipulante Ludouico Amedei filio cum Notario, adiecta etiam clauſula cõſtituti, & perhonorifica mentione facta beneficiorũ, quæ ab Amedeo Duce Marchio acceperat.

II. Inueſtitura facta per Ludouicum filium Ducis Amedei, Ioanni filio Io. Iacobi.

SECVNDVM, quod ſubinde, & eodem ipſo, vt conuenerat, die, idem Ludouicus Amedei patris ſui nomine, ac tanquam generalis ipſius Locumtenens, dicta omnia caſtra, & loca donata ſibi per dictũ Io. Iacobum infeudauit Ioãni eius filio primogenito, iuxta modum & formam, & ſub condicionibus, ac declarationibus contentis in pactis Tononenſibus: exceptis tamen oppidis Clauaxij, Septimi, Brãdicij, & Eugenię, dicto Duci reſeruatis, cum adhærentia Abbatis ſancti Benigni: Et eodem inſtrumento infeudationis, & inueſtituræ per dictum Ioannem acceptæ, iurauit idem Ioannes Amedeo fidelitatem ligiam.

Iuramentum fidelitatis ligiæ, appoſitum in infeudatione Ioanni facta.

III. Adherẽtia perpetua facta per Io. Iacobum & Ioannem eius filium primogenitum de cę-

TERTIVM, quod idem Io. Iacobus Marchio, & Ioannes eius filius primogenitus, de cæteris bonis, & caſtris Marchionatus Montisferrati intra Padum & Tanagrum conſiſtentibus, eodem die adhærẽtiam per-

teris castris & bonis Montisferrati, in eo instrumẽto designatis, eodẽ ipso die laudi.

petuam fecerunt cum Amedeo Duce,& Ludouico eius primogenito,pro terris omnibus,locis & oppidis,ac reliqua parte Marchionatus existentibus intra flumina Padi,& Tanagri:Itemque pro ciuitate Albæ, & locis & castris Diani,Rodi, & Rodelli existẽtibus vltra flumen Tanagrum,de quibus conuenerat in pactis Tononensibus, vt comprehenderentur in prædicta adhærentia, quádiu duntaxat Io. Iacobus viueret: post mortem verò ipsius includerentur in infeudatione Ioanni facienda,qui teneretur ea recognoscere, simul cum cæteris in eodem territorio vltra Tanagrum existentibus, in feudum à Duce Amedeo,& eius successoribus: hoc etiam addito in dicta adhærentia, vt omnes vasalli,Communitates, & homines dicti Marchionis promitterent & iurarent, Quod idem Marchio, & eius successores obseruabunt dictam adhærentiam, & omnia quæ in eius instrumento sunt contenta.

De iuramento per vasallos, Cõmunitates, & subditos præstando, pro obseruantia adhærẽtię,& omnium in ea cõtentorum.

Supradicta omnia facta præsentibus Oratoribus Ducis Mediolani, & aliis clarissimis plerisque viris,ex parte Marchionis.

QVÆ omnia,sicuti facta sunt eodem ipso die laudi redditi,sic testibus & præsentibus Ducis Mediolani Oratoribus,& aliis viris clarissimis, qui laudo adfuerant: præsertim ex parte Io.Iacobi Marchionis,& ipsius Cõsiliariis Marco de Carreto, ex Marchionibus Saonæ, Henrieto & Secundino de Nattis, Ludouico de Titionibus, primario eius Secretario, & R. fratre Bartholomæo de Prouanis,præceptore sancti Antonij Clauaxij, & aliis ibidem nominatis.

IV. Mandatum sequenti die factum à Io. Iacobo Marchione ad tradenda loca Clauaxij & Septimi, in executione laudi.

QVARTVM est, quod sequenti die 28. Ianuarij, Io. Iacobus Marchio constituit dictum Ludouicũ Titionum procuratorem suum,ad tradẽdam Duci Sabaudiæ possessionem locorum Clauaxij & Septimi, secundùm id quod dictum & conuentum fuerat in laudo.

QVINTVM

QVINTVM, quod eiusdem mensis Ianuarij die penultima, remissio dictorum locorum & traditio facta fuit per dictum Titionum procuratorem Marchionis, Manfredo Marchioni Saluciarum Marescallo Sabaudiæ, pro dicto Duce Amedeo. Idque per remissionem clauium portarum, ad portas ipsas, vt constat ex instrumento adprehensæ possessionis.

V. Remissio dictorum locorũ facta per procuratorẽ Marchionis, Manfredo Marchioni Saluciarum, pro Sereniss. Amedeo Duce Sabaudiæ.

SEXTVM est, quod eadem die 28. Ianuarij, Ludouicus filius Amedei Ducis, eiúsque Locumtenens generalis, mandauit omnibus Capitaneis, Gubernatoribus, Castellanis, Stipendiariis, cæteríque Custodibus castrorum & locorum Montisferrati, tam citra quàm vltra Padum & Tanagrum consistentium, ab Amedeo Duce vbicumque constitutis, vt continuò, visis literis, sub pœna perpetuæ indignationis dicti D. Ducis, consignare ac remittere deberẽt omnia in Marchionis, aut aliorum pro eo agentium, deputatis etiam ad hunc effectum Commissariis, Iacobo de Turre legum Doctore, & Ioanne Mutia Secretario, vt constat ex literis.

VI. Mandatum Ludouici filij Ducis Amedei ad restituẽda Marchioni loca, quæ Duci Sabaudiæ fuerant consignata, & in depositum tradita.

SEPTIMVM est, quod virtute dictarum literarum fuerunt supradicta omnia castra, & loca tradita supradicto Marco de Carreto, ex Marchionibus Saonæ, Cõmissario per Marchionem deputato, vt constat ex quittatione ab eo facta, die 6. Febr. seq. dicti anni *1435.* ratificata per Marchionem eodem die 6. Febr. in ciuitate Casallis.

VII. Remissio facta dictorũ locorum Commissario, per Marchionem deputato, 6. Febr. 1435. cum ratificatione Marchionis, eodem die.

OCTAVVM est, quod statim postquàm Ludouico Principi facta fuit remissio locorum omnium citra Padum existentium, idem Ludouicus incontinenti retrotradidit ea omnia Ioanni, virtute infeudationis, &

VIII. Retrotraditio per Ludouicũ facta Ioanni in executionẽ infeudationis & inuestituræ factæ Ioanni.

inueſtituræ ei factæ: exceptis dictis oppidis Clauaxij, Septimi, ac Brandicij, quæ fuerant expreſſim reſeruata. Idque apparet ex diuerſis inſtrumentis apprehenſæ poſſeſſionis & remiſſionis dictorum locorum, factæ diuerſis diebus menſium Ianuarij, & Febr. dicti eiuſdem anni *1435*.

IX. Poſt ſupradicta omnia peracta, Ioannes domũ reuerſus cũ patre Io. Iacobo, ad Amedeum Ducem Sabaudiæ ſcripſit.

NONVM eſt, quod poſt hæc peracta, domum reuerſus Ioannes primogenitus, cum Io. Iacobo patre, ſcripſit literas ad Amedeum Ducem, Caſallis datas, die 9. Febr. eodem anno *1435*. ſubſcriptas, [*Fidelis & humilis nepos veſter*, IOANNES DE MONTEFERRATO:] quius verba omnia, quoniam ad rem noſtram omnino pertinent, neceſſariò tranſcribenda ſunt.

Tenor literarũ Ioannis filij Io. Iacobi Marchionis.

Illuſtriſſ. Princeps, & excellentiſſ. D. D. metuendiſſ. Præuia humili, & deuota recommendatione. De concluſione, Deo laudes, firmata pridiè in Taurino inter Illuſtriſſ. & Excellentiſſ. D. genitorem meum honorandum D. Marchionem, ac Illuſtriſſ. & Excellentiſſ. D. & conſanguineum meum honorãdum D. Principem Pedemontium, aliter pro nunc ſcribere non expedit, quia Excellentia veſtra, vt ſum certus, plenè informata eſt, Niſi quod dicta concluſio prædicto D. genitori meo gratiſſima fuit, & eſt, & ex ea reſtat contentiſſimus. Ego itaque Celſitudinem veſtram certam reddo, ſicuti omnia promiſſa benè ac feliciter adimplebo, & ſeruabo, totóque animo ſtudebo circa omnia, quæ augmentum veſtri Status & honoris concernunt. Conſtantiſſimè tenens, quod Illuſtriſſ. D. veſtra me tanquam fidelem ſuum & filium paterno dulcore tractabit. Verùm Illuſtriſſ. D. mi metuendiſſ. deuotiſſimè ſupplico, vt locum Mazadij in feudum mihi conferre dignetur, nec aliam perſonam anteponere pro loco prædicto,

Cõclufio Taurinenſis gratiſſima Io. Iacobo Marchioni.

Promiſſio adimplendi benè ac feliciter promiſſa omnia.

Ioannes profiteturſe fidelem Ducis Amedei.

Petit à Duce Sabaudiæ locũ Mazadij in feudum.

dicto, quia profectò alium Feudatarium meliorem me habere non potest, nec qui ita de ipso feudo fideliter seruiat, sicut ego faciam. Hoc enim pro honore meo, & ex singularissima gratia deuotissimè peto à prælibata Excellentia vestra, quam authore Deo visitare dispono, quàm primùm commoditas temporis adfuerit, prout meo incumbit debito. Pronus omni tempore ad quæque eiusdem vestræ Celsitudinis præcolenda mandata.

HACTENVS tenor literarum. Quibus obsecro quid scribi potuit apertius, ad testificandum amorem summum erga Ducem Amedeũ, purgandámque omnem violentiæ & metus suspicionem, in iis, quæ Taurini ante quindecim dies gesta fuerant? Quid enim cogebat Ioannem hunc, cùm iam domi esset, ac Casallis, vbi potentiam Amedei & carceres perhorrescere amplius non poterat, ita loqui, ita scribere, & fidelem se, vasallumque profiteri, & nouum feudum in suam gratiam postulare?

Illatio approbationis, quæ ex supradictis literis probatur.

DECIMVM est, quod tertio post die, id est 12. eiusdem mensis Februarij, Io. Iacobus Marchio similiter iam domum reuersus, nullóque amplius aut carcerum metu, aut liberandi filij desiderio commotus, mandauit, per literas Casallis datas, omnibus vasallis ibidem descriptis locorum, & terrarum citra Padum, & Canapicij, vt in obseruantiam conuentorum inter ipsum Marchionem, & Ludouicum Principem Pedemõtium, Locumtenentem generalem D. Sabaudię Ducis, facere iuramentum, & promissionem deberent, iuxta formam conuentionum, sine vlla exceptione.

X. Mandatum Io. Iacobi ad subditos de præstando iuramẽto ad formam conuentionum Taurinensium.

VNDECIMVM est, quod eodem die Ioannes primogenitus dicti Io. Iacobi filius eisdem nobilibus & vasal

XI. Aliud mandatũ Ioannis primogeniti ad

nobiles & vasallos, de eodē iuramento prestando, datum Casallis, eodem die.

vasallis similiter mandauit, ac præcepit, vt idem iuramentum præstent, vt constat ex literis etiam datis Casallis, eodem die 12. Febr. *1435.*

XII.

Iuramentum prestitum à nobilibus & vasallis S. Georgij, Rochæ, & Coni, Cādiæ, Orij, & Castillioni, in manibus Cōmissarij deputati non à Duce Sabaudię, sed à Marchione, 24. Febr. 1435.

DVODECIMVM est, quod in executionem dictorum mandatorum & præceptorum, nobiles & vasalli locorum Sancti Georgij, Rochæ, & Coni, Candiæ, Orij, & Castillioni iurauerūt & promiserunt quicquid ex pactis Taurinensibus iurandum erat, in manibus Mathæi de Coconato, nuncij, & Commissarij ad id specialiter deputati, non à Duce Sabaudiæ, sed, quod summopere notandum est, ab ipso Io. Iacobo Marchione, & Ioanne primogenito eius filio, vt constat ex instrumento dictæ promissionis & iuramenti, die 24. eiusdem mensis Februarij, *1435.*

XIII.

Aliud mandatū Io. Iacobi Marchionis, ad idē iuramentū prestādum per vasallos & Communitates, vltra Tanagrum existentes.

DECIMVMTERTIVM est, quod in eadem ciuitate Casallis, idem Io. Iacobus Marchio similiter mandauit, & imperauit omnibus vasallis & Communitatibus vltra Tanagrum consistentibus, vt idem iuramentum præstarent: eiusque mandati literæ extant sub data 20. Martij sequenti, *1435.*

XIV.

Procuratores constituti à Io. Iacobo Marchione, & Ioāne eius filio ad recipiendū iuramētum à vasallis & Communitatib⁹ vltra Tanagrum consistentibus.

DECIMVMQVARTVM est, quod in executionem dicti mandati, similiter constituti sunt Commissarij, & procuratores Ioannes de Medicis, & Mathæus de Coconato ab eodem Io. Iacobo Marchione, & Ioanne filio eius primogenito, vt patet ex instrumento procuratorio rogato in castro Casallis, Sancti Euasij, die 22. eiusdem mensis Martij: in cuius mandati executionem, & obseruantiam eorum, quæ pactis Tononensibus, & Taurinensibus continebantur, dictę Communitates, & vasalli vltra Tanagrū consistentes simili se iureiurando obstrinxerunt: Extantque iuramentorū & promissorum

forum huiuſmodi varia inſtrumenta in actis producta.

XV. Aliud mandatum factũ Cõmunitatibus & vaſallis locorũ Marchionatus conſiſtentium inter flumina Padi & Tanagri.

DECIMVM QVINTVM eſt, quod ſubinde mandatum & præceptum ſimile factum eſt Communitatibus, & vaſallis locorum, & terrarum dicti Marchionatus, exiſtentium inter flumina Padi & Tanagri: & mandati executio facta eſt, præſtitaque omnia, quæ imperata fuerant, iuramenta.

XVI. Aliæ literæ Io. Iacobi Marchionis & Ioãnis eius filij ad Ducem Amedeum, Caſallis datæ 14. April. 1435. quibus declararũt impleta fuiſſe omnia quę promiſerant.

DECIMVM SEXTVM eſt, quod poſt impleta omnia, quæ ex fide pactorum Tononenſium, & Taurinẽſium à Io. Iacobo Marchione, ac Ioanne primogenito eius impleri debuerant, ſcripſerunt illi alias literas ad Ducem Amedeum, quibus declararent, & certum facerent adimpleta fuiſſe omnia, quæcunque ex eorum parte fuerant promiſſa. Extant literæ datæ non Taurini, vbi metus aliquis allegari fortaſſe poterit, ſed Caſallis, die 14. April. eiuſdem anni *1435*.

XVII. Ratihabitio facta per Guillielmum filium Io. Iacobi, quãuis de eo nihil in pactis Taurinenſibus conueniſſet.

DECIMVM SEPTIMVM eſt, quod quamuis neque in laudo, neque in inueſtitura quicquam cautum eſſet de aliis Marchionis liberis maſculis, ad ratihabitionem aliquam obligandis; Guillielmus tamen ſecundogenitus dicti Marchionis filius vltrò ratificauit omnia, & ſingula, quæ in dicto laudo, dictiſque pactis continebantur, idque præſente & authoritatem, cõſenſumque præſtante patre Marchione, & id ipſum ſatagẽte, quòd ſciret, quanta ex dictis pactis vtilitas ad Guillielmum eſſet peruentura, ſi quando ad eum Marchionatus peruenirẽt. Ideoque non tantùm filius, quod ſufficere poterat; ſed etiam pater ipſe, ambo ſimul & pariter iurauerunt, cum renunciationibus & clauſulis ſolitis: nemine, quod præcipuè notandum eſt, ſtipulante pro Duce Sabaudiæ, ac ne præſente quidem, excepto ipſius Mar-

Cũ Guillielmo filio iurauit etiã Io. Iacobus pater, vltrò, ac nemine requirente, nec ſtipulãte pro Duce Sabaudiæ,

excepto ipſius Marchionis Secretario, die vlt. Nouembr. eodem anno 1435.

chionis Secretario, vt videre eſt ex literis manu propria ipſius Marchionis, & Guillielmi eius filij, & per Secretariũ Marchionis debitè ſubſcriptis, & ſigillatis, dat. Caſallis, die vlt. Nouemb. eiuſdẽ anni *1435*. Quid verò cogebat Guillielmum, vt eam ratihabitionem faceret, de qua nihil in pactis conuenerat? An fortè metus aliquis carcerum Taurinenſium, cùm res Caſallis gereretur? An fortè Ducis Amedei potentia & reuerentia, cùm pro Duce Amedeo nemo adeſſet? An denique patris reuerentia, cui contradicere Guillielmus filius non audebat? Ne hoc quidem. Quis enim credat patrem tam malum conſilium pro filio cepiſſe, vt eum vellet inuitum cogere ad rata ea habenda, quæ pater ipſe non niſi per vim & metum facere coactus fuiſſet? Quis verò patrem ipſum cogere poterat, vt ita faceret, ac plus præſtaret, quàm ex pactorum rigore teneretur? An non fatendum eſt Marchionem hoc ſaltem vltrò & ſponte feciſſe, quod fecit amplius quàm pacta iubebant? Nam ſi verum eſt noſtrorum illud brocardicum, Limitatam cauſam non niſi limitatum poſſe effectum producere, *vulg. l. in agris, de acquir. rer. dom.* vtique conſentaneum eſt vt vis illa, per quam aduerſarij extortum eſſe volunt quicquid pactis continetur, non poſſit extendi vltra id, quod in conuentionem deductum fuit. Ergo quicquid vltra & præter pacta eſt, ad imaginariam vim iſtam referri nullo modo poteſt, nec aliam cauſam habuiſſe, quàm exuberantem Marchionis voluntatem; non tam Duci Amedeo, quàm ſibi, ſuorúmque vtilitati conſulentis. Quemadmodum de eo dicere ſolemus, qui ante diem ſoluit, quod vt ſolueret antè diem cogi non poterat. Nam & hic plus præſtat, quàm debeat,

Nullus tunc metus carcerum, nulla abſentis Amedei reuerentia.

Non eſt credendus pater permiſſurus, vt filio rata haberet ea, quæ pater ipſe per vim & metum promiſiſſet.

Non poteſt videri per vim facta in pactis Taurinenſibus id extortum, ꝙ extra & vltra pacta à Marchione & eius filio præſtitum eſt.

Qui ſoluit antè diem plus

l. Iauo

l. Iauolenus. 15. aliàs l. eum qui. D. de ann. legat. Sed non tam vt creditori ſuo proſit, cuius fortaſſe intereſſet tardiùs accipere; quàm ſibi potiùs, vt tanto citiùs liberationem conſequatur, ſeque eo modo faciat locupletiorem, *l. ſi pupilli. 66. in fin. D. de ſolut.* Nec ſanè cauillationem vllam ratio hæc pati poteſt.

quidem præſtat quàm debeat, ſed vt ſibi conſulat, non vt creditori.

DECIMVMOCT. eſt, quod Ioannes ille primogenitus Io. Iacobi Marchionis, anno ſequenti, *1436.* vltrò quoque, nec vllis ab Amedeo Duce literis, aut promiſſis allectus, ſed continua illa rerum ſuarum benè gerendarum ſpe, & auiditate impulſus, Sabaudiam ſe tranſtulit; & Tononi, vbi Dux Amedeus commorabatur, noua pacta iniit, & confœderationem ſpecialem cum Ludouico Pedemontium Principe Amedei filio, de iis quæ haberent agenda & curanda [illegible] Philippum Mariam Ducem Mediolani ſine liberis, qui iam tum nulli ex eo ſperabantur mori contingeret. In qua confœderatione, quod ad rem noſtram pertinet, illud maximè eſt, quod inter cætera expreſſim dictum fuit, [*Quod omnia ibi tunc conuenta, eſſent & intelligerentur eſſe ſine præiudicio, & citra receſſum à conuentionibus factis in ciuitate Taurini, anno præcedente 1435. die 27. Ianuarij, quibus,* inquiunt, *nullatenus cenſeatur derogatum.*] Qua conuentione, ac proteſtatione, quid potuit exprimi apertius, non ſolùm ad ratificanda expreſſim omnia, quæ Taurini geſta fuerant; ſed etiam ad faciendum, vt ſi qua vis, metúſve aliquando in pactis illis interueniſſet, ex poſtfacto ſublatus, purgatúſque cenſeretur? Quomodo enim potuerunt iſta ſimul ſtare, vt & vim paſſus eſſet

XVIII. Noua pacta Tononi inita per Ioannē filium Io. Iacobi anno ſeq. 1436. & ſpecialis cōfœderatio cum Ludouico filio Amedei.

Expreſſa adprobatio pactorum Taurinenſium in nouis pactis Tononenſibus.

Quis neget purgatum ex huiuſmodi adprobatione priorem metum, ſi quis interueniſſet.

Marchio, & ille ipſe Ioannes in pactis Taurinenſibus, & de ea vi ſibi illata conquerendi, ex eaque cauſa in integrum reſtitutionem petendi animum gereret; & tamen nouum fœdus de re tanti momenti cum Ludouico inire vellet, à quo ipſo vim paſſus antea fuiſſet, ac nihilominus pactis illis Taurinenſibus perſtaret? Et tamen illa ipſa, quæ retulimus, verba ſunt inſtrumenti confœderationis, quod rogatum fuit Tononi, die 12. menſis Iunij, *1436*.

Replicatio ad reſponſionem aduerſariorũ.

QVID ergo iam aduerſarij cauſabuntur? An illud etiam fortaſſe, quod de prioribus pactis Tononenſibus cauſantur, Fuiſſe hæc etiam facta Tononi, & cõſequenter eo loco, vbi erat Ioannes in Ludouici Principis poteſtate? Sed quis eum, aut quid venire ad Ludouicum cogebat, niſi proprium lucrum & commodum, quod ſibi ex cõfœderatione Ludouici pollicebatur? Aut quis vnquam credet, fuiſſe illum hoſtili animo exceptum à Ludouico Principe conſobrino ſuo, nouum cum ipſo fœdus ineunte? Quod ſi qua hîc fuiſſet diſſimulatio, & perfidia, an non tota fuiſſet ex parte Ioannis nouum fœdus per amicitiæ ſpeciem poſtulantis, & tamen retinentis [*alta mente repoſtam*] eandem voluntatem, quam fingitur habuiſſe antea conquerendi de illis ipſis pactis, de quibus tùm conueniebat, vt nullatenus iis derogaretur? Non iſta ſanè ratio fuerat retinendæ querelæ, aut reſtitutionis ex edicto *de eo quod vi, metúſve cauſa*, ſi qua eo adhuc tempore competebat. Sed aut querelam ſtatim proponere Ioannes debebat, aut ſaltem teſtationem aliquam contrariæ voluntatis, vt ſuprà diximus, *ex l. ſi filiusfamiliàs. 16. D. de S.C. Maced.* Ac omnimodò abſtinere

Mantuani cùm noua hæc pacta Tononẽſia ſuſpecta habẽt, arguunt Ioannem Marchionis filium inſignis diſſimulationis & perfidiæ.

abstinere ab iis omnib. per quæ videri poterat facturus vt prior violentia purgata esset, *d.l.2.* ibi: [*Quãdo verisimile non sit ad solutionem te properasse, omissa querela de chirographo, vtpote per vim, nisi & in soluendo te vim passum dicas:*] *iunct. l. si per vim. 4. C. eod. tit.* In quibus verbis notandum est, quod lex ait, [*properasse.*] Quid enim tam contrarium voluntati petendæ restitutionis in integrum, ex capite violentiæ, aut metus, quàm si is qui vim passus dicitur, quem lex iubet properare ad declarandam voluntatem contrariam, & querelam suam manifestare, vt loquitur Iustinian. *in l. in contractibus .14. §. in omni, C. de non num. pecun.* properet è contrario ad exequenda ea omnia, quę postea per vim gesta velit dicere? Quid verò properantius fieri potuit ad promissa omnia fideliter & alacriter exequenda, quàm quod à Marchione Io. Iacobo, & Ioanne eius filio factum est, in executionem conuentionum Taurinensium? Nam & in iis, quæ in animo solo consistunt, cauendum est, ne quid fiat extrinsecùs, ex quo animus ille verisimiliter coniici possit: quod euenit, quotics id quod fit, ordinatum est ad eam voluntatem animique sententiam declarandam, *l. duo fratres. 78.* in postremis illis verbis: [*Itaque cauere debet ne qua in re plus sua parte donationem interponeret,*] *D. de acquir. hered. l. Titia. 48.* in illis verbis: [*Omnia pro domina egit, reditus exegit, mouentia distraxit,*] *D. de solut.* Facit *l. si is qui bonis. 91. iunct. l. si quis extraneus. 21. D. de acq. hered. l. non omnes. 5. §. à barbaris, D. de re milit.*

Debebat Ioannes filius Marchionis abstinere ab omnibus actibus adprobatoriis, si cogitabat de petenda in integrum restitutione.

Ponderatur verbum [*properasse,*] *in l. 2. C. de eo quod met. caus.*

In iis quæ in animo solo cõsistunt, cauendũ est ne quid extrinsecũs fiat, ex quo animus ille coniici possit.

DECIMVM NONVM est, quod supradictam confœderationem, & cõfessionem, cum omnibus suis qua-

XIX. Ratificatio per Io. Iacobũ fa-

& posteriorũ pactorum Tononenſiũ: Itéq; per Guillielmũ, Bonifacium & Theodorũ eius filios, non Tononi, ſed Caſallis, die 11. Decemb. 1436.

litatibus & proteſtationibus, non ſolùm Io. Iacobus Marchio ratificauit expreſsè, ex cuius ſcilicet voluntate dubitandum non eſt, quin Tononum profectus ſit et Ioannes filius primogenitus; ſed etiam vnà cum ipſo Marchione patre, filij eius cæteri omnes, Guillielmus nimirum, & Bonifacius, & Theodorus: idque non Tononi, ſed in ciuitate Caſallis, vt ex inſtrumento ratificationis conſtat, poſt ſex menſes facto, ex ſpontanea & libera omnium voluntate: nemine adhibito pro Principe Ludouico ad ratificationem illam vrgendam, vel ſtipulandam, die 11. Decemb. eiuſdem anni 1436. Quæ tamen ratificatio non potuit fieri dictæ confœderationis, præſertim ſimpliciter & abſolutè, citra expreſſam ratificationem pactorum quoque omnium, quæ in dicta confœderatione narrata fuerant, & adprobata; cùm relatum ſemper inſit in ſuo referente, cum omnibus ſuis qualitatibus, *vulg. l. aſſe toto. 77. D. de hered. inſtit.*

Non potuit ratificatio illa fieri, citra expreſſam adprobationem pactorum Taurinenſium.

XX. Nouum mandatũ Io. Iacobi Marchionis ad renouandam & confirmandam adhærentiam cum Ludouico Duce Sabaudiæ, poſt mortem Ducis Amedei.

VICESIMVM eſt, quod poſt mortem Ducis Amedei, Io. Iacobus Marchio memor pactorum Tononenſium, & Taurinenſium, procuratores quoſdam cõſtituit ad renouandam & confirmandam adhærentiã perpetuam & colligationem indiſſolubilem cum ſupradicto Ludouico filio, eodemque ſucceſſore Ducis Amedei, iuxta formam & tenorem prioris adhærẽtiæ aliàs contractæ inter eundem ipſum Marchionem, & præfatum Ludouicum tunc Principem, & Locumtenẽtem generalem dicti Ducis Amedei, Taurini, die 27. Ianuar. 1435. Idque conſtat, id eſt, de mandato illo nouo Marchionis, ex inſtrumento rogato in ciuitate Caſallis die 26. Nouemb. 1440. An enim potuerunt aduerſarij dicere eo adhuc tempore eandem cauſam duraſſe metus, cùm

Tempore noui huius mandati, nullus prætex-

Amedeus

Amedeus esset iam mortuus, aut eundem metum carcerum Taurinensium, cùm in ciuitate Casallis res gereretur: aut deniq; præsentiam Ludouici, vel ipsius exercitum, cùm esset Ludouicus in remotissimis Sabaudiæ partibus, non de alio tũc sollicitus, quàm vt patri pientissimo iusta faceret ac parentaret? Nam nec Marchionem vnquam de illa adhærentia renouanda interpellatum fuisse legimus.

tus, nec coloc vllus suberat metus, aut violentiæ.

XXI. Nouum mandatum Ioannis ad petendam nouam inuestituram à Ludouico Duce & successore Amedei, pro locis sitis citra Padum & vltra Tanagrum, insequendo formam pactorũ, & infeudationis, ad 4. Dec. 1440.

VICESIMVM PRIMVM est, quod Ioannes Marchionis filius primogenitus post paucos alios dies, hoc est, ad diem 4. Decemb. eodem anno 1440. insequendo formam pactorum & infeudationis sibi factæ per dictum Ludouicum Principem, continentis inter cætera, vt ad mutationem cuiuslibet dominij & vasalli fieret renouatio inuestituræ, pro prædictis terris citra Padum & vltra Tanagrum: procuratores quoque speciales constituit, eisque mandauit, vt se transferrent ad dictum Ludouicum filium Amedei, & successorem eius in Ducatu, ab eoque peterent, & obtinerent nomine ipsius Ioannis, inuestituram dictorum locorum omnium, citra Padum & vltra Tanagrum, eiusdemque nomine iurarent fidelitatem ligiam, ad formam prioris inuestituræ: Cuius proinde fatendum est non potuisse magis expressam fieri confirmationem.

XXII. Secuta inuestitura & præstitũ iuramẽtum fidelitatis 19. Ianuar. 1441.

VICESIMVM SECVNDVM est, quod per dictos procuratores ita factum est vt mandatum erat, acceptáque inuestitura nomine dicti Ioannis in ciuitate Gebennarum, iurata per eosdem fidelitate, vt constat ex instrumento inuestituræ, rogato die 19. Ianuar. 1441.

XXIII. Ratificatio ab ipso Ioanne fa-

VICESIMVM TERTIVM est, quod reuersis procuratoribus, idem Ioannes, in eadem ciuitate Casallis, ratificat

ctæ prædictæ inuestituræ, & prædicti iuramenti, 12. April. 1441.

ratificat & adprobat dictam inuestituram suo nomine obtentam, & fidelitatem suo nomine præstitam, nemine stipulante præter Notarium, ac ne præsente quidem pro Duce Sabaudiæ. Quanam igitur vi, quonam metu? Extat ea de re instrumentum, datum die 12. Aprilis, eiusdem anni *1441*. Quis verò non fateatur induci verissimum, & perfectissimum consensum non ex actu geminato, qui posset sufficere, præsertim post biennium, adeoque quinquenniū; sed ex tot actibus multiplicatis, *l. si mulier. 22.* in illis verbis: [*Videtur enim ex huiusmodi temporis prolixitate, non pro aliena obligatione se illigare, sed pro sua causa aliquid agere, & tam ex secunda cautione sese obnoxium facere, in quantum hoc fecit, quàm pignus, aut intercessorem vtiliter dare.*] *C. ad S. C. Velleian. l. vnic. ad fin. C. de plur. petit.* Vbi disertè Iustinianus constituit, vt tùm quoque cùm per dolum, & machinationem cautio aliqua indebitæ quantitati extorta est, non liceat debitori contentio hoc obiicere, si super illo dolo, aut machinatione transegerit, aut secundam confessionem fecerit, siue insinuata illa sit, siue non. Quo etiam loco Accursius noster notat, non requiri vt biennium transcurrerit, quomodò requiritur in causa *d. l. si mulier.* quia, inquit, adest hîc persona, quæ statim potest sibi præiudicare. Et quamuis loquatur ille textus de cautione per dolum, & machinationem extorta; tamen perinde locum habere debet in ea, quæ per vim & metū extorta est, quia nec vis, nec metus sine dolo, & machinatione inferri ferè potest, *l. 2. §. doli mali, D. de vi bonor. rapt.* Aut si quādo infertur, vt *in l. 3. in fin. D. ne quis eum*

Consensus perfectissimus ex tot actib⁹. multiplicatis.

Applicatio *l. si mulier. 22. C. ad S. C. Velleian.*

Textus elegãs, & accommodatus *in l. vnic. ad fin. C. de plur. petit.*

Nihil interest an per vim, an per dolū quid admissum sit.

eum qui in ius. tanto minùs est odiosa. Quod igitur facit transactio, vel secunda confessio in fauorem eius, qui dolum ipse admisit; multo magis facere debet in fauorem illius, qui ipse metum intulit siue cum dolo malo, siue absque dolo. Et quemadmodum transactio facta etiam super dolo præterito valet, si modò fiat sine dolo, & bona fide, vt ad *d.l. vnic.* tradit Bartolus post Accursium; ita & transactio facta super illato metu. Nec enim ratio diuersitatis reddi potest, quod satis est vt idem ius vtroque casu constitui debeat, *l. 3. §. vnde etiam, D. de iniust. rupt. vulg. l. illud. 32. D. ad l. Aquil.* Facit etiam textus *in l. cùm notissimi. 7. §. imò & illud, vers. sed & si quis, in fin. C. de præscr. 30. vel 40. annor.* vbi dicitur, improbum esse debitorem, qui contradicit, posteaquam ne sub accusatione creditoris, more debitoris fiat, secundam in eum caper eodem debito cautionem exposuit: Glos. *in l. in contractibus. 14. §. sed quoniam, in verb. opponi, C. de non numer. pecun.*

Transactio facta super dolo, & super metu valet, si modò facta sit sine dolo, & sine metu.

Alius textus, *in l. cùm notissimi. 8. §. imò & illud, vers. sed etsi quis, in fin. C. de præscr. 30. vel 40. annor.*

XXIV. Interceſſio Ducis Mediolani pro Marchione apud Amedeū Ducem Sabaudiæ, ad poſtulationem Marchionis.

VICESIMVM QVARTVM est, quod Ioannes Iacobus Marchio, (priusquàm ad tempus, quod eius mortem secutum est, veniamus,) à Philippo Maria Duce Mediolani petiit & obtinuit, vt is pro dicto Marchione intercederet apud Amedeum Ducem Sabaudiæ, [illegible] omitteret obseruantiam pactorum Taurinensium, secundùm id quod inter eos conuenerat: Ne alioqui pignoris iure teneretur Marchio fortalitia duo Pontisturij & Montiscalui Duci Sabaudiæ tradere; atque ita dationem illam pignoris euasit, vt constat ex instrumento promissionis per dictum Ducem Mediolani factæ, & ad Amedeum Ducem missæ, & geminatæ: Quarum vna est sub die 17. Febr. *1431.* altera sub

Instrumentum promissionis & fideiussionis factæ per Ducem Mediolani apud Ducem Sa-

baudiæ, pro Marchione Montisferrati.

die 18. Martij, eiusdem anni *1435*. Quid enim est in hac interceſſione, & interceſſionis perquisitione, quod à Duce Amedeo, aut à filio eius Ludouico factum dici possit per vim, aut metum? An non potiùs ex mera & libera Marchionis voluntate, qui sicuti Ducem Mediolani ad interponendam pro componendis diſſidiis authoritatem suam rogauerat: ita & eum fideiussorem obtulerat, pro cautione & obseruatione omnium conuentorum. Vt proinde dubitari non oporteat, quin ad eius solius requisitionem ea Ducis Mediolani fideiussio facta sit, vt se à dandis pignoribus liberaret: non ad requisitionem Amedei, aut Ludouici, quorum magis intererat, nolle illum fideiubere, vt plus cautionis haberent in duobus illis fortalitiis, quæ perire non poterant, Ducis Mediolani; quàm in persona, quæ perire poterat & perit mortuus sine successore, quemadmodum suprà diximus; nisi quod salua supereſſet hypothecaria in bona, & loca omnia, quæ fuerunt in eam rem obligata, si inter priuatos, non inter Principes ageretur.

Ea fideiussio præstita fuit ad soli' Marchionis requisitionem, quòd solius eius interesset.

XXV. Aliud mandatū Ioānis Marchionis ad renouandam & confirmandam adhærētiā, post mortem Io. Iacobi patris sui, 12. Martii, 1445.

VICESIMVMQVINTVM est, quod mortuo Io. Iacobo Marchione, 12. Martij *1445*. Ioannes eius filius primogenitus, & in Marchionatu successor misit procuratores suos speciales, Secundinum Nattam, & Gasparinum ex Marchionibus Inciſæ, ad Ludouicum Ducem Sabaudiæ, ad renouandam & reconfirmandam adhærentiam, pro terris & oppidis Marchionatus existentibus inter flumina Padi & Tanagri, secundùm id quod in pactis Taurinensibus conuenerat, vt morientе vasallo quolibet, dicta adhærentia inter successores renouaretur. Idque à dictis procuratoribus præstitum

Secuta renouatio adhæren-

est,

est, qui dictam adhærentiá renouarunt,& iurarunt, vt constat ex instrumento recepto per Franciscum Fabri Secretarium dicti Ludouici,die 11. Octobr.eiusdem anni *1445*. Idque, quod etiam obseruandum est, nulla præcedente Ludouici Ducis, aut alterius pro eo interpellatione vel comminatione : nempe quia intererat Marchionis, magis quàm Ducis Sabaudiæ, præsertim supposita totius reliqui Marchionatus inuestitura.

tiæ cum iuramento,11.Oct. anno 1445.

XXVI. Noua pactio facta per Ioannem iam Marchionem Mõtisferrati, cum Ludouico Duce Sabaudiæ, vt ciuitas Albę remaneret in adhærentia, nec transiret in inuestituram, viuo Ioanne.

VICESIMVMSEXTVM est,quod cùm in priore adhærentia inita inter Amedeum Ducem Sabaudiæ & Io.Iacobum Marchionem,conueniisset,vt ciuitas Albę, necnon oppida Diani,Rodi, & Rodelli essent & comprehenderentur in adhærentia, quandiu duntaxat Io. Iacobus viueret: eo autem mortuo, venirent in infeudationem Ioanni factam,& in ea comprehenderentur, & tam ab ipso,quàm ab ipsius successoribus tenerentur in feudum, & pro eis fidelitas Duci Sabaudiæ præstanda esset; petierunt procuratores Ioannis Marchionis,& obtinuerunt à Ludouico, vt in hac quoque secunda adhærentia & ciuitas Albæ, & dicta oppida remanerent,viuo Ioanne: eo autem mortuo,recipi deberent in feudum per successores ipsius Marchionis à dicto Duce Sabaudiæ, & eius successoribus, & pro ipsis præstari fidelitas,non minùs quàm pro cæteris terris & oppidis vltra Tanagrum existentibus. Atque ita factam adhærentiam Ioannes Marchio adprobauit, & ratum habuit, etiam cum iuramento, per instrumentum ratificationis factæ in castro Montiscalui, die 28. Octobr. eodem anno *1445*. Quæ cùm fuerit noua conuentio,quæ priorem proculdubio nouauit,nouámq; ei saltem hac parte formá indidit,dubitandũ nõ est,quin

Ratificatio adhærentiæ facta die 28.Octobr. 1445.

ſicut veterem conuentionē immutauit; ita vim omnem & metum, ſi quis in priore adhærentia interuenerat, peremerit, & purgauerit. Nouatione ſiquidem facta, perimuntur & extinguntur vetera omnia, *l. nouatione. 18. D. de nouat.* & tota rei ſubſtantia ex noua obligatione æſtimatur, quia per nouationem tota obligatio vetus in nouam & ſequentem transfunditur, *l. 1. eod. tit. l. vlt. C. eod.* Ideoque facta tranſactione nihil amplius de præcedente dolo, aut metu quæri poteſt, *d. l. vnic. C. de plur. petit.* quia ſcilicet per tranſactionem fit nouatio, vt omnium optimè is locus probat, & nos iam diximus. Probandum ergo eſſet ab aduerſariis in hac quoque noua adhærentia, quæ in ipſius Ioannis fauorem tantùm facta, & immutata fuerit, aliquid per vim aut metum à Ludouico factum fuiſſe: & conſequenter aliquā vim procuratoribus Ioannis illatam eſſe, quæ terrorem mortis, aut cruciatuum corporis iis incuſſerit. Nam Ioanni ipſi quiſnam obſecro metus talis inferri potuit, cùm abeſſet, ac in caſtro Montiſcalui degeret? Atqui allegatio hæc ne per somnium quidem aduerſariis in mentem venit. Quid ergo eſt, obſecro, quod ad hanc adeò expreſſam pactorum Taurinenſium, laudique adprobationem reſpondere poſſint, & negare priorem metum, ſi quis fuerat, purgatum ſatis ſuperque fuiſſe?

Per nouationē tota vetus obligatio in nouam transfunditur.

Per tranſactionem fit nouatio.

Nihil in hac ratificatione per vim factū dici poteſt.

XXVII. Secuta à tempore pactorum Taurinenſium maximæ amicitiæ teſtificatio inter Ducē Amedeum, & Io. Iacobum Marchionem.

VICESIMVMSEPTIMVM eſt, quod præter illa tam multa hucuſque à nobis relata, quæ ex cauſa & in conſequentiam pactorum Tononēſium, ac Taurinenſium facta ſunt, apparet etiam ex aliis pleriſque ſummam amicitiam ab eo tempore, nec vulgaria tātę amicitiæ pignora inter Ducem Amedeum, & Io. Iacobum Marchionem interceſſiſſe: Quale illud fuit inter cætera, quod

quod Marchio vnam ex ſuis filiabus Iſabellam nomine, collocaturus in matrimonium cum Ludouico de Saluciis, duxit eam ad Amedeum, voluitque matrimonium celebrari Ripalliæ, prope Tononum: cuius matrimonij contemplatione donauit ei Amedeus ſummam quinque millium florenorum, vt conſtat ex inſtrumento dato Ripalliæ, die 7. Auguſti, eodem anno quo pacta Taurinenſia facta fuerant, 1435.

Matrimonium contractū Ripalliæ, in præſentia Ducis Amedei, inter Iſabellam, filiā Io. Iacobi, & Ludouicum de Saluciis, 7. Aug. 1435.

XXVIII. Aliud matrimoniū Ripallię contractum inter Amedeā aliam eiuſdem Marchionis filiam, & Luſſignanum Regē Hieroſolimarum & Cypri, 23. Decemb. 1437.

VICESIMVMOCTAVVM eſt, quod aliud quoque matrimonium Ripalliæ factum eſt inter Amedeā eiuſdem Marchionis Io. Iacobi filiam, & Io. Luſſignanum Hieroſolimarum & Cypri Regem, filium Regis Hieroſolomitani, die 23. Decembr. 1437. Idque miniſterio & tractatu Ducis Amedei, vt Beneuenutus hiſtoricus refert. Quis verò credat facta hæc omnia inter eos, qui de metu aliquo vel iam illato, vel inferendo cogitarent, vel de reſtitutione in integrum ex cauſa præcedentis alicuius metus poſtulanda? Quod ſi fideicommiſſum ab amico datum, ex ſolis ſuperuenientibus inimicitiis ademptum intelligitur, propterea quòd non ſit veriſimile inimicum hominem tam benè mereri de inimicis voluiſſe, *l. 3. §. vlt. & l. 4. D. de adim. legat.* quanto iuſtior illa præſumptio eſt, vt is, qui vim, aut aliam iniuriam ab aliquo paſſus dicitur, omnem iniuriæ memoriam deleuiſſe credi debeat, ſi ab eo tempore amicioris & reconciliati animi argumenta aliqua ediderit, quæ contrariam interpretationem admittere nullo modo poſſint? vt *l. in ipſius. s. C. famil. erciſc.* Nam ſi verum eſt quod Papinianus, quāuis ethnicus, ſolebat dicere, Hominem beneficio adfici intereſſe hominis: vindictæ verò non irrogatæ indignationem, ſolam duritiam con-

Fideicommiſſum ab amico datum, ex ſolis inimicitiis ſuperuenientibus, ademptum intelligitur.

tinere: Nec bono viro conuenire credere quicquam vllius intereſſe, quòd animo ſæuientis ſatisfactum non fuiſſet, *l. ſi venditor. 6. §. 1. & l. ſeq. D. de ſeru. export.* quanto dignius eſt, vt inter Chriſtianos ea reconciliationis præſumptio capiatur; præſertim verò inter tantos Principes, tot, tantíſque conſanguinitatis & adfinitatis vinculis coniunctos? Omiſſam verò ſemel, remiſſamque iniuriarum actionem, aut aliam quamlibet grauiorem, quæ atrocitatem facinoris in ſe habeat, vt loquitur Vlp. in *l. 1. §. interdictum hoc, 43. D. de vi & vi armata*, qualis eſt actio, *quod met. cauſ. l. 1. & ſeq. D. quod met. cauſ.* quis ferat repeti ab eo ipſo, qui paſſus fuit iniuriã, & remiſit? *l. auxilium. 37. D. de minor.* Ab ipſius verò ſucceſſoribus quanto minùs, vt tam laudabile defuncti conſilium euertant? Ergo his omnibus ſaltem interuenientibus, fatendum eſt nullam Sereniſſ. Ducibus Mantuæ de vi Ioanni Marchioni illata conquerẽdi, aut reſtitutionem in integrum ex ea cauſa petendi ſupereſſe rationem.

Applicatio *l. ſi venditor. 6. §. 1. & l. ſeq. D. de ſeru. export.*

Omiſſa iniuriarũ actio, aut alia, quæ grauiorem querelam habeat, repeti poſtea nũquam poteſt.

XXIX. Alia confœderatio facta à Ludouico Duce, & Ioanne Marchione, cũ Alfonſo Rege Siciliæ, ac Repub. Venetorũ.

VICESIMVMNONVM eſt, quod anno 1451. alia confœderatio facta eſt à Ludouico Duce, & Ioanne Marchione cum Alfonſo Rege Siciliæ, ac Republ. Venetorum, vt patet ex literis mandati ab Alfonſo Rege facti ad Oratores ſuos, ad concludendum & firmãdum dictam confœderationem, & ligam cum Venetis; & acceptandum, & concludendum in ea præfatos Ludouicum Ducem & Ioannem Marchionem, ſub data diei 15. Febr. 1451. Quod à Venetis factum eſt, vt apparet ex inſtrumento quod de ea liga, vt vocant, & confœderatione conſcriptum eſt Venetiis, 26. April. eiuſdem anni 1451.

Mandatum Alfonſi Regis in eam rẽ, die 15. Febr. 1451.

XXX. Matrimonium

TRIGESIMVM & vltimum, quod certiſſimæ amicitiæ

citiæ ac reconciliationis perpetuæ probationem attulit, illud fuit, quod anno 1454. idem Io. Marchio matrimonium contraxit cum Margareta filia Ludouici Ducis Sabaudiæ, vt patet ex instrumento matrimonij rogato die 2. Iulij, 1454. Sicut & Carolus primus eius nominis, Dux Sabaudiæ, contraxit matrimonium cum Blanca Guillielmi Marchionis filia, viuo Bonifacio fratre ac successore dicti Guillielmi, filio eiusdem Io. Iacobi, die 1. April. 1485.

contractũ inter Ioannem Marchionẽ, & Margaretam filiam Ducis Amedei, 2. Iulij, 1454.

Aliud matrimonium primi Caroli Ducis Sabaudiæ, cum Blanca Guillielmi Marchionis filia, 1. April. 1485.

Ex quibus duobus posterioribus actibus apparet, vt hoc quoque obiter notemus, nullam haberi posse rationem eius protestationis clandestinæ, quæ à dicto Ioanne facta dicitur 21. Febr. anno 1450. contra Ludouicum, pro castris & locis, quæ idem Ludouicus tenebat ex Marchionatu: cùm post illam protestationem duo illi contractus inter eos secuti sint fœderis, & matrimonij, in quibus nulla penitùs mentio eorum, quæ in dicta protestatione continentur: A qua proinde recessisse Ioannem dubitandum non est, tanquam per actus contrarios, qui nullum aut litium, aut querelarum metum inter Principes tot fœderibus coniunctissimos in posterum relinquebant.

Per supradictos actus, extincta fuit protestatio illa clandestina Ioannis, de qua suprà dictũ est, & quę facta dicitur cõtra Ludouicum, 21. Febr. ann. 1451.

QVOD si tam multis concurrentibus, metum tamẽ si quis præcesserat purgatum fuisse quis neget, eum fateri necesse est, Nullis ergo modis, nullisque artibus semel illatum metum purgari vnquam posse: quod tamen nemo vnquam dixit, nec nisi stultè possit quisquam dicere: Imò DD. omnes contrà clamant, quos fusè & diligenter congessit Octauianus Cacheranus *part. 5. nu. 32.* Text. est *in l. vnic. in fin. C. si rector Prouinc. lib. 5. tit.*

Nullus tantus inferri metus potest, quin purgari ex post facto possit.

*2.& in l.vnic.*ibi:[*Quandiu ibidem administrauerint,*] *C. si quacun.prædit.potest.tit.7.*

Non potuit in casu nostro metus durare per tot annos, mutato rerũ omnium, & personarum statu.

IN proposita verò specie, quis probabiliter potest dicere, eamdem causam metus durasse per tot annos, mutato rerum omnium & personarum statu?

Si metuendi causa aliqua fuit tempore pactorum Tononensiũ, purgatus fuit metus ex iis quæ fecit Marchio in domum suã reuersus.

NAM si eo tempore, quo prima pacta Tononi habita sunt, vim passus videbatur Marchio, quòd Tononi esset, ac in potestate quodammodò Ducis Amedei; an non fuit purgatus is metus, cùm idem Marchio domum reuersus tam multa fecit, scripsitq; ad Amedeum, in confirmationem pactorum Tononensium, eo tempore, & in locis, in quibus dubitari non poterat, quin esset plenissimè sui iuris? Cẽsetur enim purgatus metus, si quid factum sit ex interuallo, & alio loco vbi non dominabatur is, in cuius fauorem facta fuit renunciatio: Alex. *cons.9.col. fin.vers. dicit enim Baldus, lib.3. & cons.93.nu.6.vol.5.* Iuxta not. *in cap.1.quod met.caus.* Barto. *in l.penult.D.de condict.ob turp.caus.& in d.l.2. C. de his quæ vi, met.caus.* Innoc. *in cap.causam matrimonij, de offic. deleg.* Angel. *in l.metum. D.quod met.caus.*

Si metus nascebatur ex confœderatione Ducum Sabaudiæ & Mediolani, eo tẽpore quo erant ambo hostes Marchionis, cessabat tẽpore pactorum Taurinensium.

QVOD si ea prætextendi metus causa fuit ex parte Marchionis, quòd tempore pactorum Tononensium à duobus grauissimis hostibus vrgeretur, nimirum à Ducibus Sabaudiæ, & Mediolani, quos in eius caput confœderationem iniisse conqueritur, quòd eorum viribus & potentiæ impar esset, cessabat vtique ea causa tempore pactorum Taurinensium, quo tempore inita iam pace cum Duce quoque Mediolani, quæ iam priùs inita fuerat cum Duce Sabaudiæ, acceptatis scilicet per Marchionem condicionibus pacis, quæ in ipsa, vt diximus, belli indictione delatæ fuerant: neutrum ille habebat

bebat hostem, sed vtrumque potiùs amicum: maximè verò, & extra suspicionem omnem, Mediolani Ducem, qui se & ad componenda dissidia pro Marchione intercessorem diligentissimum exhibuit, & dissidiis compositis pro eorum, quæ conuenerant, executione fideiussorem. Qua ergo fronte possunt aduersarij dicere eamdem metus causam durasse?

AT verò, inquiunt, eo tempore, quo laudum Taurini factum est, habebat Marchio filium Ioannem in carceribus detentum, cuius liberandi desiderio commotus, nihil non Duci Amedeo & Ludouico eius filio promisisset. Hoc verò nos negauimus: nec bene & concludenter ab aduersariis probatum est, nisi ex fide & historia Beneuenuti Præsidis Montisferrati, quæ ex ipsorum quoque testium, quos ex parte Ducum Mantuæ audiri contigit, fide ac testationibus totque instrumentis ex Serenissimi Ducis Sabaudiæ parte productis, de mendacio manifesto conuincitur. Sed vt maximè id verum esset, an durauit eadem causa metus, cùm & Marchio, & Ioannes eius filius domum reuersi tot literas amoris, & beneuolentiæ plenas ad Amedeum Ducem scripserunt, quibus declararent placere sibi omnia, quæ Taurini gesta fuissent, eaque se libenter adimpleturos? Quis eos, aut quid cogebat ita scribere? Quis Guillielmum ad eadem promittenda cum iuramento adigere? Quis à vasallis, & Communitatibus ipsis de eadem re iusiurandum exigere? Quis mortuo Amedeo, Ioannem Iacobum adhærentiam cum Ludouico renouare? Quis Ioannem Io. Iacobi filium inuestituram nouam accipere, & fidelitatem nouam præstare?

Replicatio Mātuanorum, ex eo quod supponunt tempore pactorum Taurinensiū, Ioannem filium Io. Iacobi fuisse in carceribus detentum.

Beneuenuti Mātuani historici testimoniū suspectum & mendax.

Epilogus eorū quæ in confirmationem pactorum Taurinensiū à Marchionibus gesta sunt.

SED hæc omnia, inquiunt, cùm in executionem con-

uentorum facta sint, eodem vicio laborant, quo negotium ipsum principale. Nos verò negamus consecutionem: Nam & in *l.2.& l.4.C. de his quæ vi, met. caus.* facta fuit solutio & ratihabitio in executionem conuentorum: Et tamen non dubitant Impp. quin prior metus purgatus sit, vt de eo querela proponi amplius non possit. Et quoties secunda cautio & confessio interponitur, nemo negauerit interponi eam in cõsequentiam & executionem prioris: Et tamen non eo minùs vim illam habet, vt prioris violentiæ, & machinationis allegationem impediat, *d.l.vnic.C.de plur.petit.l.si mulier.22. C.ad S.C.Velleian.l.cùm notissimi.7.§.imò & illud, verf. sed & si quis, C.de præscript.30.vel 40.annor.* Sed & si tam verum illud esset in iure, quàm maximè falsum est, an non ostendimus, & enumerauimus plurima in adprobationem quidem pactorum Tononensium ac Taurinensium facta; sed quæ tamen in executionem conuentorum fieri nihil erat necesse? Quales sunt tot illæ literæ, tam à patre, quàm à filio conscriptæ amoris & officij plenissimæ. Item ratificatio per Guillielmum secundogenitum Io.Iacobi filium facta, cùm de ea facienda nihil in pactis aut Tononensibus, aut Taurinẽsibus conueniisset. Itemque nouum illud fœdus iuratum inter Ludouicum Amedei filium, & Ioannẽ filium Io.Iacobi, 12.Iunij, 1436. cum ea expressim addita conuentione, vt per fœdus illud non esset præiudicatum pactis adhærentiæ perpetuæ, homagiiq; fidelitatis & aliorum feudorum, & pactorum inter eos anno præcedente, die 27. Ianuarij, Taurini factorum. Quam confœderationem, cum suis protestationibus, & qualitatibus, simpliciter postmodùm, & sine vlla exceptione ratificauerunt, cum

Quod fit in executionẽ contractus initi per vim, aut metũ, non ideò vi, aut metu facti dici potest.

Multa in casu nostro facta sunt in adprobationem pactorum, quæ fieri necesse nõ erat.

Ratificatio facta non tãrum

cum Io.Iacobo patre,Guillielmus,Bonifacius,& Theodorus,ipsius filij, adhibito etiam iureiurando:& consequenter prædictam adhærentiam & homagij fidelitatem ratam habuerunt, die 21. Decemb. eiusdem anni 1436.An verò dicemus in executionem pactorum Taurinensium factum esse id quod pactis ipsis derogasse videri potuisset, nisi & protestatio conseruandi iuris gratia interposita fuisset? Cúmque ea protestatio, non ex parte tantùm Ludouici,ei facta fuerit; sed etiam ex parte Ioannis filij Io. Iacobi:sicuti pacta illa Taurinensia erant non modò correspectiua, sed etiam vltrò citroque obligatoria;ex eo intelligimus,non minùs à dicto Ioanne, quàm à dicto Ludouico factam fuisse eiusmodi protestationem,cùm ipsius Ioannis magis,quàm Ludouici interesset ad tuitionem, & securitatem Marchionatus. Et sicuti fœdus illud nouum negari non potest, quin sponte contractum fuerit, & ex libera dicti Ioannis voluntate, qui nec rogatus, nec prouocatus à Ludouico vltrò profectus est Tononum, vt Ludouicum ad eam confœderationem ineundam pelliceret, stultum est negare liberam quoque ac spontaneam fuisse dictam adprobationem, quæ tam manifestam continet pactorum omnium & contractuum Taurinensium ratihabitionem, ex traditis per Paris. *cons.s.nu. 206.circ.fin.vol.4.*

per Io. Iacobū Marchionē,sed etiā per Guillielmum,Bonifaciū,& Theodorum eius filios.

Protestatio de non derogādo pactis Taurinensibus, non potest videri facta in ipsorū executionem.

Sicut liberum fuit nouū fœdus initum à Ioāne cum Ludouico Duce Sabaudiæ; ita & adprobatio libera, quæ ex eo secuta est.

ILLVD etiam prætermittendum non est, quod suprà iam attigimus, Donationem illam à Io.Iacobo factam omnium castrorum, & oppidorum, quæ essent citrà Padum & vltra Tanagrum, effectum suum habuisse in hodiernum vsque diem, quantùm ad oppida Clauaxij,Septimi,& Brādicij, quæ etiamnum Serenis.

Donatio facta à Io.Iacobo habuit effectū in hodiernum vsque diem, quātùm ad oppida Clauaxij, Septimi & Brandicij.

Sabaudiæ Dux possidet non alio iure, quàm dictæ donationis in Ducem Amedeum collatæ; retentis scilicet per inuestituram iisdem castris,& oppidis, cùm cætera Ioanni filio Ioannis Iacobi infeudarentur. Quis ergo superesse hodie potest locus allegationi violentiæ, vel metus,vel doli,& machinationis aduersus contractum, qui per ducentos ferè annos perpetuò, ac sine vlla interruptione fuerit obseruatus? Textus est in *cap.cõtingit*, in illis verbis: [*Et si aliquot annis fuerint seruata:*] & ibi Glos.*de transact.* quem citat Decius *cons.419.num.9.* & in terminis nostris Paris.*cons.10.num.60.vol.1.*

Nullus allegationi metus, aut violentiæ locus esse potest aduersus cõtractum per ducentos circiter annos obseruatum.

DEINDE si ad prætexendum metum ex parte Marchionum Montisferrati, potuit causam aliquam præbere potentia Ducis Sabaudiæ, quæ tùm erat, semperque fuit maxima, præsertim si cum Marchionum potentia conferretur; cessauit tamen causa illa metus, à quo saltem tempore nouum ac perpetuum fœdus initum est anno 1447.die 10.Decembr. inter Ioannẽ Marchionem & Carolum Aurelianensium Ducem, tam suo nomine, quàm Caroli Regis Franciæ, & Ludouici Delfini: In quo fœdere conuenerunt, & inuicem promiserunt, sese, suaque dominia, & territoria mutuis auxiliis defensuros. Addamus promissionem subinde factam à Francisco Sfortia Mediolani Duce, anno 1448. Guillielmo eiusdem Ioannis fratri, de præstando ei auxilio ad occupãdas, & expugnandas ciuitates Taurini, Hipporediæ, Montisregalis, totámque ferè Prouinciam Pedemontanam: Cùm idem Dux Mediolani paratum se profiteretur opem & auxilium ei præbere, pro defensione Ioannis Marchionis, si quod ei bellum à vicinis Principibus, id est, à Duce Sabaudiæ, qui vnus ex vicinis

Si Marchionibus iustam metus causã præbere potuit potentia Ducum Sabaudiæ, cessauit saltem à tempore initi fœderis per Ioannem contracti cum Duce Aurelianensium, & Rege Franciæ, 10. Decemb.1447.

Promissio subinde facta à Frãcisco Sfortia Mediolani Duce, de præstando auxilio, ad expugnandã ciuitatem Taurini, & alias à Duce Sabaudię possessas.

cinis erat, moueretur, vt ex earum promissionum tenore latiùs constat, quem Beneuenutus in historia sua refert. Quid? quod viuo adhuc eodem Ioanne, & anno 1457. aliud fœdus initum est inter Venetos & eundem Franciscum Sfortiam potentissimum Mediolani Ducẽ, quo conuentũ inter cætera legitur, vt Io. Marchio Mõtisferrati & Guillielmus, ac alij eius fratres, id est, Bonifacius, & Theodorus in eo fœdere cõprehensi cẽserentur. Nam & omnia fœdera in suo robore durarunt ad mortẽ vsque Ioannis, qui decessit anno duntaxat *1464.* vt idem Beneuenutus testatur. Quo toto tempore, quid prohibebat Ioannem tot Principibus, tam potentibus confœderatum bella mouere, vt factam sibi à Duce Sabaudiæ violentiam, & carceres, in quos detrusus fuisset, vlcisceretur? Aut quid expectabat, quò minùs eo saltem tẽpore de vi sibi illata conqueretur? At nihil tale vnquam ab eo factum est, sed vna tantùm protestatio pro reseruatione iurium, quæ sibi competere prætendebat in plerisque castris, & oppidis à Duce Sabaudiæ possessis. Quibus verbis non tam videtur ille sensisse de supradictis tribus oppidis Clauaxij, Septimi, & Brandicij, quæ Duci Amedeo donata fuerant per Io. Iacobum, & ab eodem Amedeo retenta, & excepta per inuestituram factam Ioanni filio dicti Io. Iacobi tum Marchionis, (alioqui de cæteris quoque omnibus, quæ iisdem instrumentis continebantur æquè protestatus fuisset, de quo tamen non cogitauit,) quàm de multis oppidis nominatim designatis in inuestitura per Carolum IV. concessa Ioanni filio primi Theodori, quorum aliqua nec hodie, vbi sint, scitur; alia nunquam à dicto Imperatore Carolo IV. possessa fue-

Aliud fœdus pacti, viuo eodem Ioanne, cũ Frãcisco Sfortia, anno 1457.

Supradicta fœdera omnia duratunt ad mortem vsque Ioãnis defuncti, anno 1464.

Quis fuerit sensus protestationis per Ioannem factæ.

Inuestitura per Carolum IV. concessa Ioanni filio primi Theodori.

runt; multo minùs à Marchionibus, sed iam tùm à Ducibus Sabaudiæ: quorum ignorantium bona per Imperatorem infeudare Marchionibus Montisferrati certum est non potuisse, eamque infeudationem, quod ad ea bona pertinet, iam inde ab initio nullius momenti ipso iure fuisse, *tot. tit. de inuestit. de re alien. fact. in vsib. feudor.* Et ita intelligendo dictam Ioannis protestationem, quomodo videtur intelligi posse probabilius, ne ab iis, quæ idem Ioannes & ante & post protestationem gessit, recessisse videatur, quod nunquam præsumendum est, *l. eum qui mutatam. 23. D. de probat. l. non ad ea. 87. de condic. & demonstr.* maximè in Principe, in quo laudari non posset tanta inconstantia, quæ & in aliis vituperanda est, *l. quæ omnia. 25. D. de procur.* apparet nihil eam protestationem nocere potuisse aduersus ea quæ rite, rectéque antea facta fuerant. Præter id quòd clandestina fuit, cùm nihil eo tempore prohiberet, quominus aperta fieret denunciatio: quo casu certum est clandestinas protestationes istas nullius esse momenti, ex not. per Bart. & alios *in d. l. de pupillo. s. ſ. si quis ipsi Prætori*, per illum text. in iis verbis, [*vt interim testetur se non posse nunciare*,] *D. de oper. noui nunciat.* Sed neque protestatio illa quicquam prodesse potest, si non postea res ad effectum & in apertum perducatur, *d. ſ. si quis ipsi Prætori*, ibi: [*Et si nunciauerit postea: & quod retrò ædificatum erit, destruendum erit, quasi repetito die nunciatione facta,*] Afflict. *decis. 282. num. 8.* Crauet. *cons. 120. num. 3. & seq.* post Bart. Bald. Abb. & Socin. per eum allegatos. Paris. *cons. 10. num. 42. & seq. vol. 1. & cons. 5. num. 95. vol. 4.* Atqui in ea specie

Non est quisquam præsumendus, præsertim Princeps, ab iis quæ gessit recedere voluisse.

Clandestina protestatio nihil operatur, cũ aperta fieri potuit.

Protestationẽ clandestinam oportet tãdem in apertũ perduci.

ſpecie, quã tractamus, neque Ioannes ille, qui proteſtatus dicitur, neque cæteri qui poſt eum in Marchionatu ſucceſſerunt Marchiones, quicquam denunciarunt Ducibus Sabaudiæ, per quod ſcire Duces potuerint pœnitere Marchiones, eorum quæ inter Amedeum Ducem & Io. Iacobum Marchionem geſta fuerant. Quod ſi ſciuiſſent, aut etiam ſuſpicati fuiſſent, credibile eſt fuiſſe illos tanto diligentiores futuros in iure ſuo conſeruando. Et quod priuati facere ſolent per propoſitam actionem vulgarem, *ex l. diffamari. C. de ingen. manum.* id eos iure Principum executuros, & prouocaturos Ioannem illum, cæteróſque Marchiones, vt de prærenſis ſuis iuribus, aut iure, aut bello protinùs experirentur.

Nulla vnquam proteſtationis denũciatio per Marchiones facta eſt Ducibus Sabaudiæ.

AT rurſus replicant aduerſarij, Imò verò Ioannem illum Io. Iacobi filium, qui patri in Marchionatu ſucceſſit, apertè conqueſtum de vi, dolo, metu, & alia ſiniſtra machinatione ſibi illata per Ludouicum Ducem Sabaudiæ, & de alienationibus, ſiue diſtractionibus ab eodem Ioanne factis regalium feudorum ad Marchionatum Montisferrati pertinentium: vt conſtat ex infeudatione & inueſtitura, quam idem Ioannes obtinuit per interpoſitam perſonam Martini Pauli de Nibio, die 8. Ianuarij, *1464.* ab Imperatore Federico: Per quam infeudationem fuit dictus Ioannes in perſona dicti procuratoris inueſtitus de omnibus feudis ab ipſo Imperatore, & ſacro Imperio, quouis modo dependentibus, ſignanter vbi dicitur, [*de terris & locis S. Damiani, Diani, Inſulæ, Albæ, Rodi, Rodelli, cum ſuis*

Obiectio Mãtuanorũ ex inueſtitura, quam Ioannes obtinuiſſe dicitur ab Imp. Federico, 8. Ianuar. 1464.

ſuis pertinentiis,] & cum clauſula concepta in hæc verba: [*Alienationibus, ſiue diſtractionibus regalium feudorum, feudalium, & temporalium prædictorum & pertinentiarum, ab eodem per vim forſan, dolum, metum, ſiue aliam ſiniſtram machinationem, aut aliàs quouis modo indebitè exactas & extortas, per quoſcunque, & præſertim per Illuſtriſſ. Ludouicum Ducem Sabaudiæ noſtrum & Imperij ſacri Principem fidelem dilectũ, ipſiúſque progenitores & prædeceſſores quoſuis, vt accepimus, obtentas & factas. Quas omnes & ſingulas, non ad alicuius pro hoc nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed motu proprio, dictaq; authoritate, ſcientia, & plenitudine poteſtatis caſſamus, irritamus, annullamus.*] Hæc verò inueſtitura eſt de qua maximè aduerſarij gloriantur: quaſi ab eo tempore tam Ioannes ipſe, quàm cæteri Marchiones totum Marchionatum habere cœperint ex hac inueſtitura per Federicum facta, non ex ea, quam Amedeus poſt acceptam donationem fecerat.

Verba inueſtituræ, quibus mouentur aduerſarij.

Argumentum Mãtuanorum, quod ex ſupradicta inueſtitura colligunt.

Variæ ad ſupradictã obiectionem & infeudationem reſponſiones.

VERVM multa ſunt, ac penè innumera, quæ ad hanc obiectionem, & infeudationem reſponderi poſſunt.

Prima reſponſio, non fuiſſe dictam inueſtituram obtentã à Ioanne, ſed ab alio quaſi ex ipſius mãdato,

PRIMVM eſt, obtentam legi eam infeudationem, & inueſtituram ſub Ioannis quidem nomine, ſed non ab ipſo Ioanne; at à Martino illo Paulo de Nibia, tanquam dicente ſe Ioannis procuratorem eſſe, cùm tamen

men de mandato nullo modo constet, de quo sanè ante omnia constare oporteret: non solùm quòd præsumi non possit, cùm sit facti, ne quidem per mille annos, si Baldo credimus *ad l.1.C.quib.res iud.non nocet, per illum textum, iunct. l.consilio.7.§. vlt.D.de curat. furios. l.1. C. de probat. cum similib.* [De quo tamen videnda sunt quæ pluribus in prima huius Consultationis parte aduersus Baldum scripsimus.] Sed etiam, quia id agebatur per hanc inuestituram, vt Ioannes restitueretur in integrum ex causa violentiæ, doli, & metus aduersus eã, quam ab Amedeo, & successiuè à Ludouico Sabaudiæ Ducibus acceperat de castris & oppidis sitis cytra Padum & vltra Tanagrum, vt verba supradictæ clausulæ apertè sonant, licèt restitutionis in integrum mentio nulla fiat. Certum autem est, ex ratione iuris ita comparatum esse, vt non possit quis alterius nomine petere restitutionem in integrum, tanquam ipsius procurator, licèt verè constet de mandato, nisi speciale in eam rem mandatum habeat, *l.illud.25.§.1.* vbi est textus, *D. de minor.& l.vnic.C.etiam per procur. causs.in integr.restit. agi poss.* & ibi omnes notant.

de quo tamen non constat.

Mandatum, cũ sit facti, non præsumitur, nisi probetur.

Nemo potest alterius nomine petere restitutionẽ in integrũ, sine speciali mandato.

SECVNDVM est, quod sicut de mandato nullo apparet, ita neque de ratificatione vlla, quæ subsecuta sit, adeoque subsequi potuerit, cùm ex historia Beneuenuti constet dictum Ioannem decessisse die 19. Ianuarij, eiusdem anni *1464.* ac proinde vndecimo die post impetratam dictam inuestituram, & eo tempore, quo impetrationis notitiam verisimiliter habere nondum poterat, propter tam dissitorum locorum distantiam, *l.continuus. 137. §. cùm ita, D. de verb. oblig.* In eo præsertim extremæ valetudinis statu constitutus, in

Secunda respõsio: Non constare de vlla Ioannis ratificatione.

Mors Ioannis secuta vndecimo die post impetratam inuestituram, ante quàm eius notitiã habere potuisset.

quo humana fragilitas mortis cogitatione turbata, mundanis istis negotiis implicari nec debet, neq; potest: & in quo erat conuenientius, vt de noua cœli inuestitura à Deo Opt. Max. capienda, quàm de Imperatoria cogitaret.

Responsio tertia, non ad Ioānis petitionem concessam esse nouam illam inuestituram:

TERTIVM est, quod ex duobus istis necessariò consequitur, quod non tam ad Ioannis instantiam ea noua inuestitura impetrata fuit, vt verba illa probant: [*Non ad alicuius pro hoc nobis oblatæ petitionis instantiam:*] sed suggerente, vt credibile est, Guillielmo Io. fratre, qui fratri, sine liberis morituro, & spe habendæ prolis iam destituto successurus sperabatur; quòd sciret, ac præuideret Guillielmus futurum, vt mortuo Ioanne, cogeretur ille in feudum & inuesturā accipere à Ludouico Sabaudiæ Duce ciuitatem Albæ, necnon oppida Diani, Rodi, & Rodelli, de quibus in secunda Ioannis inuestitura conuenerat, vt quandiu ipse viueret, manerent illa in adhærentiā, vt durante vita Io. Iacobi, eo autem mortuo successor eius ea in feudum à Duce Sabaudiæ, cum cæteris citrā Padum, & vltra Tanagrum existentibus, acciperē teneretur. Id verò cùm Guillielmus vereretur, nec tamen sibi vim vllam illatam fuisse posset dicere, egit per cuniculos, & per suppositum Ioannis nomen, vt viuo Ioanne, qui vim & metum passus dicebatur, priores illę inuestituræ rescinderentur, præsertim quod ad illa oppida Albæ, Diani, Rodi, & Rodelli, vt querelam de vi & metu, quam à Ioanne toto vitæ suæ tempore omissam non potuisset ille posteà repetere, à Ioanne inchoatam probaret, eamque tanto faciliùs ac iustiùs tanquam Ioannis successor persequeretur. Atque ita esse apparet, non ex eo

Sed ad suggestionem Guillielmi fratris, qui Ioanni sine liberis morituro successurus sperabatur.

Quid mouere Guillielmū potuerit, vt supradictam inuestiturā in odium Ducis Sabaudię impetraret.

Ioannis nihil intererat talem

solùm,

ſolùm, quòd Ioannis nihil intererat, qui vt ea loca in feudum, quandiu viueret, à Duce Sabaudiæ acciperet, cogi non poterat; ſed tantùm Guillielmus frater, aut alius quilibet Ioannis ſucceſſor. Verum autem eſt, & perpetuò vſurpandum Caſſianum illud, *Cui bono?* quoties dubitatur quid à quo factum ſit: ſed etiam ex eo, quod in dicta inueſtitura, licèt primis verbis ſit generalis, vt omnia feuda ab Imperio dependentia comprehendat, [*Signanter* tamen, vt habent verba, *de ſupradictis terris* facta eſt *Albæ, Dianæ, Rodi, & Rodelli.*] Et quamuis adiecta ſit mentio oppidorum *S. Damiani, & Inſulæ*, id tamen aſtutè factum fuiſſe poteſt, vt impetrantis propoſitum tutiùs lateret: aut etiam per errorem facti, cùm fortè Guillielmus, qui totum id negotium non tam pro fratre, quàm pro ſeipſo ſatagebat, non meminiſſet eorum, quæ in prioribus inueſtituris continebantur, & in dubio conſtitutus mallet plura exprimere, quàm pauciora.

petere inueſtituram ab Imperatore.

Vetus verbum Caſſianum, *cui bono?*

De quibus potiſſimùm locis facta ſit inueſtitura.

Omiſſa oppidorum S. Damiani & Inſulæ mentio, aut callidè, conſilio, aut per errorem facti.

ET verò caſu magis, & inconſultò, quàm certo, conſultóque conſilio nouam hanc inueſtituram ſub Ioannis nomine impetratam fuiſſe, ex eo quoque intelligimus, quòd alium euidenter facti errorem continet: In eo quod ſupponit, alienationes illas, ſiue diſtractiones regalium feudorum, feudalium, & temporalium prædictorum ab eodem Ioanne per vim & metum indebitè exactas & extortas fuiſſe; cùm tamē nihil Ioannes alienauerit, ſed ſolus Io. Iacobus, Ioannis pater, qui donationem contulit bonorum omnium & locorum citra Padum & vltra Tanagrum exiſtentiū, & quo adhuc viuente nihil iuris in Marchionatu Ioannes eius filius habere poterat. Contrà verò Ioannes ea ipſa om-

Euidens error facti in ſupradicta inueſtitura.

Io. Iacobus fuit, qui alienauit & donauit, non Ioannes eius filius.

nia poſtea in feudum & beneficium accepit ab Amedeo Duce, exceptis illis, quæ ſibi reſeruata Dux voluit ex conſenſu & voluntate Io. Iacobi: cui conſequens eſt, vt nullius momenti eſſe poſſit ea clauſula, quæ alienationes ab eodem Ioanne factas caſſat & irritat; cùm nullas illæ fecerit. De ijs autem quæ ab ipſo Io. Iacobo factæ fuerant, nihil dictum ſit in dicta infeudatione. Reuocantur quidem alienationes & diſtractiones non tantùm per Ludouicũ; ſed etiam per quoſcunque ipſius progenitores, & prædeceſſores extortæ per vim, & dolum: ſed non aliæ, quàm quæ eidem Ioanni extortæ probantur, nulla penitùs Ioannis Iacobi facta mentione, quæ tamen omnino facienda erat, ſi id agebatur vt donatio, quæ potiſſimùm reſcindenda erat, reſcinderetur. Subſiſtente namque donatione, reſcinde quantùm voles inueſtituras à Ducibus Sabaudię factas: tanto magis verum erit totum id quod donatum eſt ad Sabaudię Duces, nec ad Marchiones, vel iure etiam feudi pertinere. Et hoc quartum eſt quod ad dictam Federici infeudationem reſpondemus.

Nullius proinde momenti eſt clauſula, quæ irritas facit alienationes à Ioanne factas.

Nulla Ioannis Iacobi mentio in dicta inueſtitura.

Quarta reſpõſio ad ſupradictam inueſtituram.

QVINTVM eſt, quod ea infeudatione nunquam Ioannes vſus fuit, ſiue quòd eſſet mortuus antequàm impetratam ſciret; perſertim quia nihil de ea impetranda mãdauerat, vt diximus; ſiue quòd eius iamiam moribundi parum, aut nihil intereſſet; ſiue denique quòd non niſi iniuſtè de Ludouico & Amedeo Sabaudiæ Ducibus conqueri poſſet, à quibus nullam ſibi vim illatam, ſed pleraque collata fuiſſe beneficia meminerat: præſertim cùm eo tempore adhuc viueret Dux Ludouicus, qui ſi ab Imperatore vocatus & auditus fuiſſet, facilè probaſſet nihil à ſe vnquam vi, aut metu factum;

Quinta reſpõſio, Ex eo quod Ioannes nunquam ea inueſtitura vſus eſt.

factum, ſed omnia ex bona fide.

SEXTVM eſt, quod nec de omnibus alienationibus & diſtractionibus per Ioannem factis infeudatio loquitur; ſed de iis tantùm quæ per vim forſan, dolum, metum, ſiue aliam ſiniſtram machinationem, aut aliàs quouis modo indebitè exactæ, & extortæ fuiſſent. Atqui tales nullæ ſunt, vt in præcedentibus probauimus: adeò, vt nec ipſe impetrator auſus ſit adfirmare aliquas eſſe huiuſmodi alienationes, adiecta ob eam cauſam dictione [*forſan,*] quæ totam rem ſub dubio & incerto relinquit. Inutilis ergo & ſine effectu iſta fuit impetratio. Et verò, ſi Ioannes ille fuiſſet, qui hanc infeudationem & inueſtituram per procuratorem petiiſſet, quis meliùs, quàm ipſe ſcire, & adfirmare poterat, vim ei aliquam factam fuiſſe, aut metum illatum, aut dolum, aut aliam ſiniſtram machinationem? Quod ergo nihil de eo adfirmatum ſit, non modò probat ſuſpectam mendacij fuiſſe allegationem, ſed nec à Ioanne factam fuiſſe: at potius à Guillielmo abutente Ioannis nomine, ad futuram ſuam vtilitatem.

Sexta reſpõſio, Ex eo quod nõ omnes donationes & alienationes per eiuſmodi inueſtituram reuocatæ ſunt, ſed eæ tantùm quę per vim & dolũ extortæ eſſent.

Dictio *forſan*, poſita in ſupradicta inueſtitura: Et quare.

Ioannes dubitare non poterat, aut ignorare ſi qua ei vis illata fuiſſet.

SEPTIMVM eſt, quod ea conceſſio facta fuit Ioãni ſoli, non etiam Guillielmo, aut vlli ex aliis filiis Ioannis Iacobi, & qui in Marchionatu poſt Ioannem ſucceſſerunt: ac proinde non alij prodeſſe potuit, quàm Ioanni ipſi, ſi vixiſſet diutiùs, & ea vti contra Ludouicũ eiúſve ſucceſſores voluiſſet. Atqui, ſi aduerſariis credimus, deceſſit ille ſine herede, quia & Guillielmus & Bonifacius hereditatem eius expreſſim repudiauerũt, & Marchionatum quaſi ex aliis anterioribus inueſtituris, non ex poſtrema illa Ioanni facta, tenuerunt. Nulla ergo eiuſmodi inueſtituræ ratio pro aduerſariis haberi poteſt,

Septima reſpõſio, Ex eo quod dicta inueſtitura Ioanni ſoli facta ſit, nõ etiam Guillielmo, aut aliis liberis Io. Iacobi

Perit totũ ius illius qui moritur ſine herede.

Perit enim totum ius ei quæſitum, qui moritur ſine herede; adeò vt nec ſi ſententia pro eo viuo lata ſit, nocere tamen poſſit condemnato, *l. habere licere. 57.* vbi eſt textus elegans *de euict. l. 1. §. idem Pomponius quærit ſi apud te. 14. D. depoſit. l. 1. C. de obligat. & act.* Quanto minùs nocebit Ducibus Sabaudiæ inueſtitura ipſis inauditis conceſſa Ioanni, qui poſtmodùm, & ante acceptatam illam, & ſine ſucceſſore deceſſerit? Ideóque nec tractari quicquã poteſt de petẽda amplius reſtitutione in integrum aduerſus ea, quæ Io. Iacobus, & Ioannes eius filius geſſerant, cùm nullum illi habeant heredem, ac ſucceſſorem vniuerſalem: Reſtitutio autem in integrum non alij competat, quàm illi ipſi, qui vim paſſus eſt, aut eius ſucceſſori, aut denique fideiuſſori, *l. non ſolùm. 6. D. de in integr. reſtit. l. quod diximus. 16. §. 1. D. quod met. cauſ.* quorum omnium nihil eſt, quod noſtris aduerſariis conuenire poſſit, qui non niſi à Guillielmo & Bonifacio ius ſuum metiuntur.

Nõ poteſt nocere Ducibus Sabaudiæ inueſtitura ipſis inauditis Ioanni conceſſa, defuncto poſtea ſine ſucceſſore, & ante vllam acceptationẽ.

Reſtitutio in integrum non alij competit, quàm illi ipſi qui læſus eſt, aut eius ſucceſſori, vel denique fideiuſſori.

OCTAVVM eſt, & vltimum, quod ea inueſtitura, ſiue à Ioanne ipſo, aut ex eius mandato impetrata ſit: ſiue, quod credibilius eſt, à Guillielmo ipſo ſub Ioannis nomine, præter id quod improbat, & annullat eas tantùm alienationes, & diſtractiones, quæ à Ioanne factæ eſſent, non eas quæ à Io. Iacobo eius patre; non improbat adhærentiam tam à dicto Io. Iacobo, quàm poſt ipſius mortem à Ioanne eius filio factam de toto reliquo Marchionatu, qui nõ venerat in donationem. Ac proinde poſt illam quoque inueſtituram, manſit adhærentia rata, firmáque, vt antea; & ex ea obligati Duces Sabaudiæ tueri ac defendere Marchionatum, ſi quis Marchioni moleſtiam facere voluiſſet. Quod enim nõ eſt

Octaua reſpõſio, Ex eo quod dicta inueſtitura improbat tantùm alienationes per metum extortas, ſed non itẽ adhærentiam factam à Io. Iacobo, & poſt ipſius mortem à Ioanne eius filio.

Poſt illã quoq; inueſtituram manſit adhærentia.

est immutatum, cur stare prohibeatur? *vulg. l. sancimus. 27. C. de testam.* Neque verò quisquam dixerit, sub iis verbis alienationum, & distractionum appellatione; dictam quoque adhærentiam contineri, per quam scilicet Marchionatus non tam alienatus, quàm conseruatus videri debet: atque ita Marchionum interesset magis, quàm Ducum Sabaudiæ, vt adhærentia illa fieret ac duraret, Atqui de adhærentia illa facienda conuenit iisdem pactis Tononensibus, & eo ipso tempore, quo de donatione quoque & inuestitura faciendis etiam conuenit. Et similiter, cùm facta fuit adhęrentia, eo ipso die facta est, quo & donatio, & inuestitura, vt dubitari non possit, quin non solùm fuerint actus correspectiui, sed etiam fuerit potiùs actus vnicus, & consequenter indiuiduus, qui pro parte adprobari non potuit, id est, quantùm ad adhærentiam, & pro alia parte improbari, hoc est, quantùm ad donationem, & cætera, quæ sunt donationem consecuta, *l. nam absurdum, 7. de bon. libert. l. si ita. 39. §. 1. in fin. D. de oper. libert. l. cùm quæritur. 16. D. de admin. tutor. l. tutor urgentibus. 47. §. D. de minor. l. cùm ex causa. 139. de verb. oblig.*

Alienationum, & distractionum appellatione nō continetur adhærentia.

De adhærentia facienda conuenit eodē tēpore quo de donatione, & iisdem pactis Tononensibus.

Actus indiuiduus pro parte adprobari non potest, & pro parte improbari.

Et sanè nihil dici potest absurdius, quàm vt Seren. Duces Mantuæ, qui se negant heredes, & successores, tam dicti Io. Iacobi, quàm Ioannis eius filij, iuuare se possint ea inuestitura, sub nomine Ioannis solius impetrata, per tot obreptiones, & subreptiones; cùm nihil in ea expressum sit eorum omnium, de quibus suprà diximus, & ex quibus apparere probauimus nihil vi, aut metu à Duce Amedeo, aut Ludouico eius filio factum esse; & quamuis aliquid factum fuisset, purgatam tamē vim fuisse, & purgatum metum. Debuerant enim narrari

Duces Mantuę, qui se negant heredes tam Io. Iacobi, quā Ioannis eius filij, non possunt se iuuare inuestitura sub Ioānis nomine, per tot obreptiones & subreptiones impetrata.

Quàm multis obiectionibus

& subreptionibus laboret supradicta inuestitura.

rari pacta Tononensia,& iustissimæ eorum causæ:Item laudum factum ab Oratoribus Ducis Mediolani, à Marchione Montisferrati Io. Iacobo expressim adprobatum:Rursus pacta Taurinensia: Item officia per Ducem Sabaudiæ præstita Marchioni erga Ducem Mediolani, pro conseruatione,& recuperatione Marchionatus: Item Marchionatum esse, semperque ab initio fuisse feudum hereditarium,improprium,& alienabile; De quo plures dispositiones tam in vltima voluntate, quàm per contractum factæ fuerunt à prædecessoribus dicti Io. Iacobi, etiam per viam compromissi: præsertim à Theodoro, qui fuit proauus dicti Ioannis,& fratrum ipsius,& qui Marchionatum obtinuit ex laudo in eius fauorem pronunciato contra Marchionem Saluciarum. Tàcuerunt etiam tot iuramenta vtrimque præstita: tot executiones dictorum pactorum secutas: tot ratificationes,non solùm à Ioanne,sed etiam à Guillielmo, Bonifacio, & Theodoro vicrò sponte iuratas; tot fœdera inter vtramque familiam inita: tot etiam matrimonia: & alia huiusmodi innumera, quæ retulimus.

Vna sola ex tot obreptionib.& subreptionibus posset sufficere, ad supradictam inuestituram annullandam.

Quarum omnium obreptionum, & subreptionum vel vna potest sufficere, vt eius inuestituræ ratio haberi nulla possit: non solùm quòd tales sint, vt ex iis appareat,si veritas expressa fuisset, nihil vnquam tale cõcessurum Imperatorem:sed etiam, quia cùm agatur de rescripto,non ad ius,sed ad gratiam, certum est vitiari illud ex quantulacunque obreptione, aut subreptione; reiecta illa distinctione, quæ aliàs fieri solet *ex c. super literis, de rescript.* An æquè facilè Princeps fuisset concessurus,Paris.*cons.4.num.25.& 26.lib.2.* Socin.Iun. *cons.77. num.83.vol.1.* Gozad.*cons.9.nu.40.& seq.* Roland.à Valle

Rescriptum ad gratiam vitiatur quantulacunque obreptione,aut subreptione, non etiam rescriptum ad ius.

cons.

conſ.2.n.157.& trib.ſeqq. Nil obſtante clauſula, [*Ex certa ſcientia, Motu proprio,&, de plenitudine poteſtatis:*] Siue propter deficientem conſenſum & voluntatem concedentis, præſuppoſita obreptione, vel ſubreptione minima. Idem Pariſ.*dict.conſ. 4. num. 27. & ſeqq.vol.2.& conſ.82.num.61.& ſeq.vol.1.* Siue quod non operentur in iis, quæ ſunt facti, ſed tantùm in iis, quæ ſunt iuris poſitiui, *cap.1.de conſtit. in 6.* Cathel. Cotta *in verſ. Clauſula ex certa ſcientia*, Socin. Iun. *in caſu noſtro, conſ.77.num.126.vol.1.* Roland.à Vall.*conſ.7.num.105. vol.3.* Præſertim quando conſtat Principem malè informatum fuiſſe,& facti veritatem aliter ſe habere,& quando agitur de magno præiudicio. Idem Pariſ.*d.conſ.4. nu.30. & conſ.1. num.76.vſque ad 93.vol.1.* Burſat.*conſ.161.nu.56. & conſ.162.num.30.& 38.* vbi dicit communem Anton. Gabriel.*lib.6.communium concluſionum, & clauſulis, concluſ. 1. num. 47.* & alij, quos citat Cacheranus noſter *part. 5. num.53.& 54.* Maximè verò, cùm agatur non de tollendo ſimpliciter aliquo priuilegio quod fuiſſet facilius, ſed iure iam quæſito tertio, ex tot contractibus,& iuramentis, quod fieri nunquam poteſt, nec ſimilis adiecta ſit clauſula [*Non obſtante,*] vt ex communi opinione concludit Crauet.*conſ.241.num.18.* Natta *conſ.512.n.21. & ſeqq.* vbi ponit vnicam duntaxat exceptionem, [*Niſi ex cauſa publicæ vtilitatis, & data*, vt ipſe loquitur, *recompenſa*, Pariſ. *d.conſ.161. num.57.& conſ. ſeq. num. 20.& plurib. ſeqq.* quos refert & ſequitur Cacher. *dict. part. 5. num.55.& 56.& ſeq.* vbi addit, Prædictas clauſulas nihil operari, quando fuerunt appoſitæ ſine cauſæ cognitione, & parte non vocata, ex innumeris, quos ibi citat;

De clauſulis, [*Ex certa ſcientia, Motu proprio,&, De plenitudine poteſtatis,*] quãdo nihil operentur.

Si cõſtet Principem malè informatũ fuiſſe, & agatur de magno præiudicio, ſupradictę clauſulę nihil operantur.

Faciliùs tollitur ius quod ex aliquo priuilegio, quã quod ex cõtractu iurato quæſitum eſt.

Vnicus caſus, in quo poteſt Princeps tollere ius tertio quæſitum, etiã ex contractu.

præsertim Natta *cons. 589.num.22.* Maximè cum tractatur de concessione aliqua Principis, etiam per viam confirmationis, qua derogetur inuestituris, & quæ tendant in præiudicium tertij.

Responsio ad id quod aduersarij obiiciunt, non fuisse citandos Duces Sabaudiæ.

SVAVES verò sunt meherculè aduersarij, qui vt hunc scopulum euadant, tentant dicere, Non fuisse necesse citari Duces Sabaudiæ, tanquam illæ annullationes pendêrent à sola voluntate Imperatorum. Quis enim vnquam dixit pendêre à sola voluntate Imperatoris, vt inauditi tertij Principis ius lædatur? Et quamuis ita esse admitteremus, quis tamen credat Imperatorem Federicum id animo agitasse, vt tot contractuum & iuramentorum commodum eriperet Ducibus Sabaudiæ innoxiis, & inauditis? Præsertim verò, cùm non simpliciter & absolutè quicquam ab Imperatore cõstitutum sit; sed ex hypothesi & suppositione illa, quòd vis aliqua per Ludouicum, eiúsve patrem Amedeum Ioanni Marchioni facta forsan fuisset. Quod cùm in mero facto consistat, sanè probandum necessariò fuit, antequam vllus dictæ concessionis, & declarationis fructus sperari posset, cùm ex facto ius oriatur, & facti quæstio ante omnia necessariò discutienda sit, vt *in l. filiæ. 88. in fin. lib.* iis verbis: [*Subest enim illa ex iurisdictione pendens quæstio.*] *D. de solut. l. si ex plagis. 52. §. in cliuo Capitolino, D. ad leg. Aquil. cum similib.* Quomodo autem probatum fuisse dici potest, quod nec à quoquam allegatum fuit? Nec enim sicut motu proprio cõcedi aliquid potest à Principe: ita motu proprio illud fieri, vt alicui vel ignoranti, vel inuito, ius acquiratur. Eum enim cui aliquid à Principe concessum est, necessariò declarare oportet suam volunta

Neque potuit Imperator, neque credendus est voluisse Ducis Sabaudiæ inauditi ius lædere.

Concessio & infeudatio Federici non est absoluta, sed ex hypothesi, & quidem falsa.

Ius ex facto pendet, & facti quæstio ante omnia discutienda est.

Motu proprio Principis fieri non potest, vt alicui vel ignoranti, vel inuito ius acquiratur.

voluntatem,& conſequenter curare, vt is citetur & audiatur, ſaltem ad conceſſionis executionem, qui ex ea cõceſſione læderetur, vt hoc ipſum ſciri poſſit an conceſſio aliqua facta ſit,& qua de re,& an iuſtè,an iniuſtè. Nec quod clauſula,[*Motu proprio,*] facere poteſt,ſecundùm Doctores aliquos, vt obreptionis, aut ſubreptionis vicium opponi non poſſit, facit etiam, vt quicquid motu proprio narratum eſt à Principe, pro vero haberi debeat, nec probatione vlla indigeat, tùm quoq; cùm de tertij præiudicio inſigni agitur. Probandum igitur neceſſariò eſt, aut carendum impetratis. In propoſito autem tanto magis id obtinet,quod Imp.Federicus nihil de vi,aut dolo,& machinatione Ludouici adfirmat; ſed addit[*forſan,*] vt oſtendat ſe facti quæſtionem indiſcuſſam, & diſcutiendam relinquere : vt ſi ita eſſe in facto appareret, conceſſio locum & effectum haberet,non aliter. Sed neque alienationem vllam in ſpecie exprimit Imperator,quam irritam & nullam facere velit.Debuit ergo Ioannes, aut pro Ioanne ſaltem aliquis dicere, quænam ſint illæ alienationes per vim, & metum forſan extortæ,de quibus Imperator ſenſerit, & in quibus verificari potuerint verba conceſſionis. Quod tamen nec à Ioanne, nec ab alio vllo factum eſt: Ideò nimirum, vt credibile eſt, quoniam quiſquis ille fuit, qui inueſtituram illam, & alienationum à Ioanne factarum annullationem impetrauit, ſibi fuit conſcius aliter ſe rem habere, ac de probationibus deſperauit. Præſertim cùm eo tempore adhuc viueret Ludouicus, qui ſi de ea impetratione certioratus fuiſſet, iuſtitiam cauſæ ſuæ certiſſimis probationibus, & argumentis inſtruere facilè potuiſſet. Cæterùm tota hæc quæſtio, &

Clauſula, [*Motu proprio,*] non facit, vt quicquid à Principe narratum eſt, pro vero haberi debeat.

Ponderatur dictio, [*forſan,*] poſita in conceſſione Federici.

Nulla in dicta cõceſſione exprimitur ſpecialiter alienatio, quæ per vim, aut metũ extorta fuerit.

Nullæ probationes ſupradictam cõceſſionem ſecutę ſũt, quia nec ſequi potuerunt.

Superuacua est tota hæc quæstio, & quibus de causis.

tractatio superuacua est, cùm, vt iam dictum fuit, soli Ioanni ea inuestitura & concessio facta sit, & quidem ignoranti, ac nihil tale cogitãti: Ioannes autem etiamsi maximè impetratam eam voluisset, tamen neque ea vnquam vsus sit, neque heredem, aut successorem vllum reliquerit, qui ea vti possit, aut etiam restitutionem in integrum petere aduersus conuentiones tam à dicto Ioanne, quàm ab eius patre Io. Iacobo factas, quas proinde ratas manere necesse est.

De alia declaratione facta per eũdem Federicum Imperatorem, anno 1487. in fauorem Bonifacij, qui Guillielmo in Marchionatu successit.

Clausulæ insolitæ & suspectę, quanto ampliores, tanto inciuiliores.

EADEM ferè tractari possunt circa declarationem aliam alteodem Imperatore Federico factam, iisdem penè verbis, fauore Bonifacij, qui Guillielmo, in Marchionatu successit, & quæ impetrata legitur anno *1487.* licèt cum clausulis amplioribus, tantoque inciuilioribus, & eadem omnia obiecta patientibus: nisi quod ex earum lectione apparet, non tam ea ratione motum fuisse Imperatorem, vt eas declarationes Marchionibus concederet, quòd per vim, aut metum alienationes illæ factæ essent, quàm quòd in diminutionẽ Marchionatus, & feudi ab Imperatoribus cõcessi. Sic enim habent literæ: [*Non obstante vllo etiam consensu tacito, vel expresso prædictorum Marchionum, quo metus purgatus, dolus sublatus, vis, aut quæuis siniſtra machinatio, quæ in talibus alienationibus, renunciationibus, seu distractionibus interuenisset, ad diminutionem præfati Marchionatus & feudi à nobis & antecessoribus nostris, &c.*] Illud enim certum est habuisse Imperatores & Marchiones ipsos dolum illum, & metum, quem in pactis Tononensi-

Verba posterioris huius cõcessionis & declarationis.

Habuit Imperator & ipsi etiam Marchiones metum & dolum, qui in

bus

bus & Taurinenſibus interueniſſe ſupponebant, pro purgato, & ſublato ex tot actibus, & ratificationibus ſubſecutis. Neque aliam rationem ſupereſſe impugnãdarum alienationum, de quibus Bonifacius conquerebatur, quàm quòd in diminutionem Marchionatus, & feudi Imperialis factæ eſſent. Quorum tamen neutrum verè dici poterat. Nam quod ad Marchionatum pertinet, conuenerat inter Amedeum Ducem, & Io. Iacobum Marchionem, vt eodem iure & honore Marchionatus maneret penes Marchiones, etiam pro caſtris & locis Ioanni filio infeudatis, quo fuerat antea penes patrem, & eius prædeceſſores, ſine vlla diminutione. Quod verò ad loca illa & caſtra Clauaxij, Septimi, & Brandicij, quæ ſibi excepit Amedeus in infeudatione Ioanni facta, & ſi in eo diminutus Marchionatus fuit; factum tamen eſt iuſtiſſimis rationibus, adeoq; fieri potuit, vt oſtendimus ex tot & inueſtituris, & conuentionibus per ipſos Marchiones pro arbitrio factis. Ex quibus apparet, itemq; ex ſupradicta illa prima Federici conceſſione, quæ alienationes anteà factas non alio iure irritas eſſe vult, quàm quòd per vim, aut metum factæ eſſent, feudum illud Marchionatus non tantùm fuiſſe ab initio improprium, & hereditarium, & alienabile, ſed etiam ſic à Marchionibus perpetuò poſſeſſum, & ab ipſis quoque Imperatoribus habitum fuiſſe, vt alienari pro arbitrio poſſet: præſertim iuſta & neceſſaria cauſa interueniente, quales hîc non vna, ſed tam multæ interuenerunt. Alioqui dicendum eſſet, ea declaratione reuocatas fuiſſe etiam alienationes ex cauſa dotis factas: qualis illa fuit locorum Lancei, Ciriaci, & Caſellarum, quæ loca & caſtra primùm

alienationibus interueniſſe dicebatur, pro purgato.

Conuentio facta inter Amedeum Ducem, & Io. Iacobum Marchionem, vt Marchionatus eodem iure ac honore maneret penes Marchionem quo antea.

Diminutio Marchionis facta per retentionem Clauaxij, Septimi, & Brãdicij iuſtiſſimè fieri potuit.

Alienationes de Marchionatu factę ex cauſa dotis, nunquam reuocatæ fuerunt, & in hodiernum

vsque diem tenuerunt.

oppignorata fuerunt à Ioanne vltimo ex linea Aledramica, pro dote Margaretæ à Sabaudia vxoris suæ: deinde in dotem data per Theodorũ Aymoni Comiti, pro filia Violanda, ex quo titulo semper possessa fuerunt, in hodiernum vsque diem, à Ducibus Sabaudiæ pacificè, ac sine vlla contradictione. Et tamen in generali illa declaratione proculdubiò comprehenderentur, cùm fuerint aliquando ex dicto Marchionatu, & Imperator deroget omni præscriptioni, & curfui temporis præterito, vel futuro, etiam tanti temporis, cuius in contrarium non existat memoria. Quemadmodum igitur nemo dixerit, Per eiusmodi declarationem Imp. Federici reuocatã fuisse dotis constitutionem à Theodoro factam pro Violanda filia, neque hypothecam à Ioanne vltimo Saxone constitutam pro dote Margaretæ, licèt per eiusmodi conuentiones diminutio Marchionatus facta sit: quia tam fuerunt iustæ illæ causæ, vt nec hodie de illis alienationibus Sereniss. Duces Mãtuæ conquerantur: ita nec ea declaratio quicquam ponderis & momenti habere debet, quantùm ad eas conuentiones, de quibus disputamus, cùm ex iustissimis quoque causis factæ sint, nec potuerint fieri ex iustioribus & vtilioribus, quàm illa fuit quæ omnibus conuentionibus causam dedit, vt saluus fieret totus Marchionatus, cuius pars iam à Duce Mediolani occupata fuerat: altera breui, & facilè occupanda, vel per dictum Mediolani Ducem, si Ducis Amedei gratia & authoritas non interceſſisset: vel ab ipso etiam Amedeo, nisi Ioanni Iacobo Marchioni & Ioanni eius filio condiciones pacis magis, quàm belli placuissent. Et sicut inter priuatos creditores hypothecarios, potior

Supradicta Federici declaratio, sicut ad dotes rectè constitutas nõ pertinet, ita neque ad conuentiones & alienationes ex iusta causa factas.

Non alia fuit causa conuentionum, de quibus tractamus, quàm vt Marchionatus totus saluus fieret.

Creditor, cuius pecunia saluã fecit, totius pi-

censé

censetur ille, cuius pecunia licèt posteriore loco credita, saluam fecit totius pignoris causam, *l. huius. 6. cum l. præced. D. qui potior. in pignor. hab.* Ita & fatendum est, nullam fauorabiliorem, magísque permittẽdam Marchionatus diminutionem fieri potuisse, quàm quæ in fauorem Amedei facta est minimæ partis, vt totus reliquus Marchionatus conseruaretur; qui totus alioqui Marchionibus amissus fuisset, licèt non Imperio Romano.

gnoris causam, censetur in ea re fauorabilior, & potior cæteris omnibus.

NAM quod ad Romani Imperij ius attinet, constat ex dictis pactis Tononensibus, & Taurinensibus, semper à contrahentibus excepta fuisse iura omnia Imperij, nec promissam Amedeo fidelitatem à Ioanne facto vasallo, & feudatario, aduersus omnes, nisi sub illa exceptione Imperatoris Romani & iurium Imperij, cuius proinde intuitu nulla diminutio feudi facti dici potest. Nec habuerunt Imperatores querelæ occasionem ex dictis alienationibus, quasi mutato iis inscientibus vasallo nobilissimo, & præpotente, quem retineri etiam Imperij intererat: cùm ea mutatio facta sit in melius, & ex ea donatione dignior & potentior vasallus sacro Romano Imperio fuerit acquisitus. Quo casu placet alienationem subditorum posse fieri etiam inuitis subditis, & inconsulto superiore Domino feudi, quippè quorum nihil videtur tunc interesse. Afflict. *de lege Corradi, ſ. eadem lege, num. 2. & 5.* Hippolit. de Marsil. *in l. 1. ſ. quidam, D. de quæst.* quos refert & sequitur Cacher. *dict. part. 5. num. 43.* Nulla ergo diminutio feudi facta est, quantùm ad Imperium. Et si qua facta fuisset, debuerat ea res nocere Marchionibus, qui feudum Cæsaris diminuissent inconsulto Cæsare, potiùs quàm

De iure Romani Imperij, quod pactis & Tononensibus & Taurinensibus exceptum semper fuit.

Nullam querela occasionẽ habuerunt Romani Imperatores ob donationem à Marchione collatã in Ducem Sabaudiæ, qui potencior & dignior vasallus erat.

Diminutio feudi nulla facta est quantum ad Imperium.

quàm Amedeo, aut Ludouico Ducibus Sabaudiæ, quibus nihil poterat imputari, & qui bona fide in omnibus contraxerant, & ad ipsorum Marchionum vtilitatem.

Neque Bonifacius, neque Guillielmꝰ exposuerunt conuẽtiones & ratificationes ab ipsis factas.

SED neque Bonifacius exposuit Imperatori, quod exponere debuerat, vt neque Guillielmus, quòd conuentiones omnes à Io. Iacobo & Ioanne factas ipsi vltrò ratas habuerunt, ita vt ab iis ipsis peccatum sit, si quid in iis alienationibus, & conuentionibus peccatum fuit.

Ostenditur literas illas Federici ad suggestionem Bonifacij concessas fuisse.

AC præterea, vt appareat literas illas non obstante clausula, [*motu proprio,*] ad Bonifacij suggestionem ita concepta fuisse, obseruandum est in earum fine addita esse hæc verba: [*Et eo libentiùs, quod eorũ fides & deuotio versus sacrum Romanũ Imperium in hunc vsque diẽ extitit inuiolata.*] Quæ suppositio, & ratio euidenter conuincitur ex iis quæ suprà scripsimus de bello moto inter Ducem Mediolani, ex mandato & imperio Sigismundi Imperatoris, & Io. Iacobum Marchionem stantem à partibus Venetorum, & Florentinorum, contra Imperatorem, qui tunc habebat eos omnes, eorúmque confœderatos pro rebellibus & reis læsæ Maiestatis. Et quæ res sicuti bellis omnibus, quæ eo tempore contra Marchionem à Duce Mediolani gesta, & à Duce Amedeo indicta sunt, causam dedit; ita & conuentionibus omnibus, de quibus nunc Serenissimi Duces Mantuæ conqueruntur, quæ nihil aliud nisi pacis condiciones fuerunt, vt ostendimus. Quænam ergo huiusmodi literarum ratio habenda est, cùm

Rebellio Marchionum Mõtiferrari aduersus Romanum Imperium, bellis omnibus, quæ contra eos gesta sunt, & conuẽtionibus omnibꝰ de quibus contendimus, causam dedit.

in iis

in iis nihil contineatur, quod non ex tam multis instrumentis, & ex facti euidentia conuincatur.

DENIQVE tota hæc quæstio videtur concludi posse hoc dilemmate: Aut feudum Marchionatus fuit alienabile, aut non. Si fuit alienabile, non possunt alienationes reuocari eo prætextu, quod per eas feudum diminutum sit, quídni enim potuisset diminui, quod poterat in totum alienari? *l. iuris gentium. 7. ff. adeo*, ibi: [*Nam si potest tota res tolli, cur non & reformari?*] *D. de pact.* Quod si non fuit alienabile, cùm tamen ab eo tempore Duces Sabaudiæ steterint in possessione bonorum alienatorum absque vlla Marchionum reclamatione, adeò vt supradictæ Marchionibus concessæ ab Imperatoribus declarationes nunquam Ducibus Sabaudiæ fuerint intimatæ, certum est quòd saltem præscriptionis tanti temporis iure bona illa omnia alienata hodie pleno iure ad Duces pertinerent, cùm tempus sit immemoriale, nec Imperatores ipsi, vt neque Marchiones voluntatem suam vnquam significauerint Ducibus Sabaudiæ, quod tamen fuisset necessarium ad constituendos eos in mala fide, & ad interrumpendam præscriptionem. Quis enim nescit eiusmodi literas nullam vim habere nisi à die executionis, aut saltem intimationis, *l. sicut. 3.* vbi omnes notant, *C. de præscript. 30. vel 40. annor.* Imò verò quotiescunque præscriptio currit cum titulo, & bona fide, non interrumpitur per solam citationem, sed tantùm per sententiam, *l. si post acceptum. 18. D. de rei vindic.* Aut saltem per litis contestationem, *l. moræ litis. C. eod.* Sed & sera fuisset citatio ex dictis literis à dicto Bonifacio impetratis, anno *1487.* cùm eo anno iam præteriissent

Dilemma, quo hæc tota quæstio pro nobis concluditur.

Etiamsi feudum Marchionatus esset inalienabile; tamen Duces Sabaudiæ tuti essent præscriptione temporis immemorialis.

Nulla vnquam facta fuit denunciatio Ducibus Sabaudiæ ad constituendos eos in mala fide, & ad interrumpendā præscriptionē.

Præscriptio quæ habet titulum & bonam fidem, non interrūpitur per solam citationē.

quinquaginta anni à tempore conuentionum Tononenſium, & Taurinenſium, & ratificationis factæ à Guillielmo, anno *1435.* & à tempore quoque alterius ratificationis factæ à dicto Bonifacio, eiúſque cæteris fratribus, die 11. Decembr. *1436.* A quo ſaltem tempore nemo dubitet quin potuerit incipere, & currere præſcriptio in fauorem Ducis Sabaudiæ, & in præiudicium Bonifacij & ſucceſſorum ipſius, etiam dato quòd titulus fuiſſet vicioſus propter illatam vim & metum: ex notat. per DD. *in d.l.2. C. de his quæ vi, metúſve cauſ. & in cap. accepta, de reſtit. ſpoliat.* Gloſ. *in l. ſi mulier. 21. in verb. ratum, D. quod met. cauſ. & in l. qui in carcerem. eod.* Dec. *ad l. in omnibus cauſis. de regul. iur.* poſt Bald. Gemin. & Alex. ibi per eum allegatos, Socin. *conſ. 4. num. 22. vol. 3.* & alij quàm plures, quos citat Cacher. *dict. part. 5. num. 32.* Et quamuis placeat pleriſque Interpretibus, poſſe Imperatorem derogare iuri quæſito per præſcriptionem, quaſi per actum ciuilem: fallit tamen ea traditio, cùm præſcriptio ſecuta eſt ex titulo præcedente, habente cauſam à contractu iuris gentium, vt in propoſito: *ex not. in l. vlt. C. ſi contr. ius vel vtil. public.* cùm hîc tot non ſolùm contractus, ſed etiam iuramenta interuenerint. Præſertim cùm nec quiſquam ex Marchionibus id ab Imperatoribus petere voluerit, vt conſtat ex illis verbis reſcripti: [*Non ad alicuius pro hoc nobis oblatæ petitionis inſtantiam:*] neque conceſſione illa Imperatorum, *motu proprio*, vt ſupponitur, facta, vſus fuerit, aut vti voluerit. Fuerat namque in eam rem citandus Dux Sabaudię & audiendus, quod tamen nunquam factum eſt.

Potuit currere præſcriptio iam inde à ratificatione facta per Guillielmum, anno 1435. aut ſaltē ab ea quæ per Bonifaciū & eius fratres 11. Decemb. 1436.

Metus, qui ab initio interuenit, non impedit præſcriptionem.

Non poteſt Princeps derogare iuri quæſito per præſcriptionē, cùm præſcriptio ſecuta eſt ex titulo præcedente habēte cauſā à cōtractu iuris gentium.

Nemo ex Marchionibus petiit reſtitutionem in integrū aduerſus præſcriptionē, neque vſus eſt, aut vti voluit ſupradicta conceſſione Federici.

NEC tantùm fuerunt Duces Sabaudiæ in poſſeſ-

ſione

sione castrorum, quæ hodie tenent, sed etiam in possessione illorum quæ infeudauerunt, quandiu saltē vixerunt illi qui infeudationē aut acceperunt, aut ratam habuerunt. Quandoquidem certissimum est feudi dominum possidere per vasallum, sicut & per emphyteutam, *l. 2. l. cùm notissimi. 7. §. vlt. C. de præscr. 30. vel 40. annor.* Itaque pro bonis infeudatis, id est, quæ sunt citra Padum, & vltra Tanagrum, fatendum est perinde cucurrisse præscriptionem, atque pro locis Clauaxij, Septimi, & Brandicij, cùm nihil interfit, an quis possideat per se, an per alium, quod ad causam vsucapiendi, aut præscribendi, *d. l. 2. l. si seruus. 16. D. de vsucap.* Nimirum quatenus fuisset necessaria aliqua præscriptio, quę certè non fuit necessaria, cùm ab initio contractus valuisset. Nam qui iam dominus est, non potest magis fieri dominus, nec indiget vlla exceptione, aut alia actione, *l. in bello. 12. §. si quis seruum, D. de captiu. & postlim.* Idemque obtineret, etiamsi ab initio vis aut metus interuenisset, quia non eo minùs contractus valuisset ad transferendum cum possessione dominium, nec vllo præscriptionis auxilio eguisset: imò verò ad rescindendum cōtractum impetrāda fuisset in integrum restitutio, quæ nunquam fuit impetrata, vt suprà suo loco diximus, & aduersus impetrationem eius præscriptum est centenaria præscriptione, quæ omnia tollit, vt notat Bald. *ad l. 1. C. de annal. except.*

Feudi dominus possidet per vasallum, sicut & per emphyteutam.

Nihil interest an per se quis possideat, an per alium.

Etiamsi metus aliquis ab initio interuenisset, attamen valuisset, & cōtractus, ad trāsferēdum cū possessione dominium.

Absurdum est post centenariā præscriptionē, de petenda in integrum restitutione quærere.

SED & obseruatione dignum illud est, quod Bonifacius ille, qui eiusmodi rescriptum impetrasse dicitur, anno 1487. paullò ante, id est anno 1485. vltima Martij, cùm Blancam Guillielmi fratris sui filiam Carolo eius

Bonifacius ipse, qui à Cæsare rescriptum impetrauit de nō diminuendo Marchionatu, paullò antè, cōtra fecerat in

constituenda dote Blancæ filiæ Guillielmi fratris sui.

nominis primo Sabaudiæ Duci nuptui traderet, fecerat ipse contra id quod dicto rescripto continetur, de non diminuendo Marchionatus feudo. Nec in eo solùm quod pro dote octoginta millium ducatorum, quam dictæ Blancæ nomine constituerat, obligauit ei, deditq; pignori terras omnes, & loca vltra Padum existentes & existentia: quod pignus vtiq; non valuisset, si non etiam distrahi & alienari potuisset, *l. mulier. 11. & pass. C. de distract. pignor. l. si conuenerit. 4. D. de pignor. act.* sed in eo etiam, quod illo contractu matrimonij conuenisse inter cætera legimus: [*Quod casu quo dictus D. Marchio diem suum clauderet extremum, nullis post se relictis filiis masculis & legitimis & naturalibus, ex nunc constituit pro dote & nomine dotis prædictæ Blancæ omnes terras, loca, iurisdictiones, homagia, superioritates, & iura, quæ habet vltra Padum: faciendo eo in casu, quòd vasalli & Castellani præsentes, & qui in futurum erunt, pariter & homines dictarum terrarum promittent & iurabunt obseruare sine strepitu iudicij, & aliqua contradictione supradictam promissionem: & dicto casu, vt suprà eueniente, remissionem facient dictorum castrorum, & locorum liberè, & sine vlla contradictione.*] Sed & in eodem instrumento subiicitur alia clausula in hęc verba: [*Item conuenerunt, & pepigerunt, quòd reliquum dominij Marchionatus, videlicet ciuitates, terras, loca, iurisdictiones, iura & dominia mediata & immediata existentes, & existentia citra Padum*

Pignus pro dote constitutum in bonis omnibus vltra Padũ existentibus.

Conuentio adiecta in cõtractu matrimonij Blancę cum eius nominis I. Carolo Sabaudiæ Duce.

Verba conuentionis dotalis.

Alia pars & clausula conuentionis dotalis.

Padum vbicunque, & tam in Monteferrato, quàm in partibus vltra Tanagrum, & in quibuscunque aliis partibus, prælibatus D. Marchio in se, eiusq; mera, & libera voluntate, & dispositione reseruauit, & reseruata esse voluit, & expressè pepigit, & conuenit.] An ergo dicemus ea quoque pacta non valere, quæ ab eodem Bonifacio in contractu dotali ante rescriptum Imperatoris Federici facta sunt, ideo quòd facta sint ad diminutionem Marchionatus? Et ita deceptum hoc quoque casu maritum, qui non aliter fuerat contracturus? Quòd si rescriptum illud à dicto Bonifacio impetratum ad hanc alienationis speciem non pertinet, cur pertinebit potiùs ad alienationes à Io. Iacobo factas, cùm ex iustiore causa factæ sint, & minore Marchionatus damno, & diminutione? Aut cur etiam pertinebit ad pactum illud dotale à Theodoro initum cum Aymone Comite Sabaudiæ, ex simili causa dotis, & consimilibus penè verbis? Neque sanè habent aduersarij quod respondere ad hoc possint, cùm illi ipsi dotale illud instrumentum produxerint, omniaque proinde in eo contenta adprobauerint. Nec ipsi tantùm, sed etiam sententia ab Imp. Carolo V. lata, quæ oppignerationem eiusmodi tanquam licitam & validam adprobauit.

Si valet pactio hæc dotalis facta à Bonifacio; multo magis valere debent cõuentiones à Io. Iacobo factæ.

Valere etiam debet pactum dotale à Theodoro initum cũ Aymone Comite Sabaudię, iisdẽ ferè verbis cõceptum.

Sententia Caroli V. oppignerationem à Bonifacio factã adprobauit tanquam licitam.

QVAMQVAM nec possunt iidem aduersarij eodem instrumento se iuuare, quantùm ad illam conuentionem attinet, per quam Bonifacius reseruauit sibi libertatem disponendi pro arbitrio de reliquo Marchionatu: Tùm quia non obscurum est, dolo malo Bonifa-

Responsio ad obiectionem Māruanorum, ex eo quod Bonifacius reseruauit sibi libertatẽ disponendi de reli-

quo Marchio natu, pro arbitrio.

cij additam eam clauſulam, quaſi per tranſennam, & aliud agendo, vt præcedentes conuentiones à Theodoro & Ioanne Iacobo, eiuſque filio factas eluderet, quæ libertatem hanc ei abſtulerant: cùm eo tempore Carolus annos vixdum quindecim natus à perfido aulico, qui ex ea cauſa tandem condemnatus fuit, regeretur, ignarus ſuorum iurium. Propter quod nemo non videt, etiamſi priuati iure omnino cenſendus eſſet, reſtitui tamen eum in integrum potuiſſe: tùm etiam, quia verba illa pacti, [*Quòd reliquum dicti Marchionatus,*] oſtendunt manifeſtè, quod ea conuentio ad illũ ipſum caſum pertinet, de quo priùs conuenerat, vt alia pars Marchionatus vltra Padum exiſtens ad Blancam pertineret: ſcilicet ſub illa condicione, ſi Bonifacius ſine maſculis moreretur. Quæ condicio defecit cùm Bonifacius duos filios reliquerit, Guillielmum ſecundum, & Ioannem Georgium, vt proinde defecta condicione pacti, ipſum quoque pactum defecerit: adeóque nouationis iure, ſi nouandi animus in contrahẽtibus fuiſſet, & à prioribus conuentionibus, ac iuribus recedendi, qui animus hodie neceſſarius eſt, & probandus, *l. vlt. C. de nouat.* Certum enim eſt, quoties nouantis ſtipulationis condicio defecit, nouationem nullam fieri, *l. quoties. 14. iunct. l. ſi Stichum. 3. §. 1. D. eod.* Et tamen nemo dixerit, actum id fuiſſe, vt nouatio illa fieret eorum iurium, de quibus nihil in conuentione dictum reperitur: Liberalitatem enim captioſam interpretatio prudentũ fregit, *l. cùm Aquiliana. 5. D. de tranſact.* præſertim cùm ignoraret Carolus per ætatem iura illa ſua ſibi competentia. Nemo autem cenſeatur remittere velle ius quod ignorat ſibi competere, *l. mater. 19. D. de inoff. teſtam. l. legitimam. 8.*

Perfidia aulici cuiuſdam Caroli I. vixdum puberis negotia gerentis.

Interpretatio clauſulæ, [*Quod reliquum dicti Marchionatus.*]

Bonifaci' duos filios reliquit, Guillielmũ ſecundum, & Io. Georgium.

Nouandi animus hodie probandus eſt.

Nouatio nulla fit, cùm ſtipulationis nouãtis condicio deficit.

Nemo intelligitur remittere ius, quod ignorat ſibi competere.

D. de

D. de petit. hered. Et verò nec ipsius Bonifacij eam fuisse voluntatem, vt quicquam noui iuris sibi acquireret: nec rursus Caroli vt in eum quicquam iuris transferret, constat satis ex verbis ipsis pacti, quæ sic habent: [*Prælibatus D. Marchio in se, eiúsque mera & libera voluntate & dispositione reseruauit & reseruata esse voluit.*] Cùm enim nihil nisi meram & nudam reseruationem contineant, apparet nullum per ea verba ius acquiri potuisse, sed tantùm conseruari, si quod competebat. Reseruatio enim nullum ius tribuit, vt neque protestatio, sed tantùm conseruat quod competit, *c. ex parte, de priuileg. cum similib.* Et quáuis facta sit ea reseruatio per viam pacti, non protestationis; tamen non maiorem habet effectũ, quàm nuda protestatio, nisi quod probat consensum præstitum protestationi. Cæterùm est pactum reseruatorium, quod nihil operari potest nisi iuris competentis conseruationem. Quod si nullum competebat, nullius vtilitatis reseruatio est, ex defectu materiæ potiùs, quàm ex parte pacti. Cuius sanè sensus non alius esse potuit, quàm vt si quod ius competebat Bonifacio disponendi liberè de reliquo Marchionatu, quomodò competebat certè, vt de eo posset inter suos, adeoque etiam inter extraneos disponere, dummodò præcedentium pactorum à Theodoro, & à Ioáne factorum conditiones nunquam existerent: Id verò ius saluum ei esset, nec per dotem Blancæ datam amissum esse intelligeretur: vt appareat etiam hoc sensu non fuisse inutilem & superuacuam conuentionem; præsertim cùm certi iuris esset pro dote octoginta millium ducatorum fuisse bona Marchionatus, cæteraque allodialia constituentis ipso iure tacitè obligata, & consequenter in casu

Ex meta & nuda reseruatione, nihil noui iuris acquiritur, sed tantùm conseruatur.

Quoties nullũ ius cõpetebat, reseruatio inutilis est.

Quo sensu accipienda sit reseruatio facta per Bonifacium, vt posset liberè de Marchionatu disponere.

casu non solutæ dotis, quæ nec hodie soluta est, distrahi potuisse, *l. vnic. C. de rei vxor. act.* Adeò vt longè maior ratio sit dubitandi, an valeat tale pactum, tanquam per quod fiat deterior condicio dotis, ablato mulieri commodo generalis hypothecæ tacitæ & legalis, quod fieri non posse constat, *l. Attilicinus. 17. D. de pact. dotal. & defin. 1. & 2. Cod. nostro de pact. conuent. tam sup. dot.* quàm possitne aliquid operari, præsuppositæ pacti validitate, etiamsi per illud nullam nouationem & extinctionem præcedentium iurium factam fuisse dicamus.

Quænam fuerit maior ratio dubitandi, propter quam pactum à Bonifacio factum nõ videretur valere.

NEQVE rursum dici potest ob id factam videri præcedentium iurium nouationem, quòd conuênit, vt loca tantùm quæ essent vltra Padum, doti essent & ad Blancam pertinerent eo casu, quo moreretur Bonifacius sine masculis, cùm tamen ex pacto Theodori vniuersus Marchionatus ad Carolum pertinere debuisset: itémque ex pacto Ioannis, quicquid erat vltra Tanagrum. Nouationem enim ipso iure fieri necesse est, licèt expressim de eo nihil dictum sit quoties talis minutio facta est, vt non possit conuentio posterior cum priore subsistere, ex not. per Bald. & alios *ad d. l. vlt. C. de nouat.* Nam respondeo, Imo verò posse has omnes conuentiones simul stare: quoniam pactio Theodori condicionem illam habebat, si masculi omnes ex Theodoro descendentes deficerent. Itémque illa, Ioannis. [*Si moreretur Ioannes, eiúsve liberi sine masculis ascendentibus, descendentibus, aut collateralibus agnatis.*] Illa verò Bonifacij longè strictior: [*Si Bonifacius sine masculis moreretur.*] Poterat autem accidere vt Bonifacius sine masculis decederet

Replicatio Mantuanorum ex diuersitate pactorum dotaliũ à Theodoro & Bonifacio initorum.

Nouatio ipso iure, & ex necessitate facta intelligitur, quoties posterior conuentio nõ potest cum priore subsistere.

Ostenditur cõuentiones omnes à Theodoro, Ioanne, ac Bonifacio initas, stare simul posse.

Poterat facilius & citius

cederet, superstite Theodoro fratre, qui & ipse aliquos fortasse filios relinquere potuisset; atque ita huius posterioris pacti dotalis condicio existeret, priusquàm aliorum pactorum condicio extitisset, quæ viuo ac superstite Theodoro vltimo, vel aliquo ex ipsius masculis, nondum existere potuisset. Quamquam autem non apparet, quòd dictus Theodorus aliquos susceperit liberos, sufficit tamen ad interpretationem & validitatem pacti, quòd potuerit euenire vt susciperet. Nã nec disputamus an condicio pacti extiterit, quam certum est defeciſſe per superuiuentiam Guillielmi secundi, & Io. Georgij; sed tantùm an pactum valuerit; & an derogauerit prioribus pactis. Quæ tamen quæstio videtur ridicula. Quomodo enim derogare potuit, cùm eius condicio defecerit? *d.l. fi ita. 8. §. 1. & d.l. quoties. 14. D. de nouat.*

existere condicio posita in pacto Bonifacij, quàm quæ posita fuerat in pacto Theodori.

Certum est defeciſſe cõdicionẽ pacti per Bonifacium initi.

Stipulatio, cuius cõdicio defecit, nullum effectum habere potest.

SED & in eo pacto videtur illud obseruandum, quod ita conceptum est: [*Tam in Monteferrato, quàm in partibus vltra Tanagrum.*] Videtur enim hæc verba probare manifestè, loca illa vltra Tanagrum existẽtia non fuisse de Marchionatu, vt proinde non possint cõtineri in supradicto rescripto Imp. Federici, de reuocãdis alienationibus factis per Marchiones in diminutionem Marchionatus: Cùm non loquatur rescriptum nisi de Marchionatu, & consequenter non potest rescriptum illud irritas facere conuentiones factas cum Io. Iacobo, & Ioanne eius filio, de terris existentibus vltra Tanagrum.

Ponderantur verba illa, [*Tã in Monteferrato, quàm in partibus vltra Tanagrum.*]

Loca existẽtia vltra Tanagrũ non pertineant ad rescriptum Federici, quia nec de Marchionatu fuisse videntur.

POSSVNT etiam eadem ferè tractari circa inue-

De alia inuestitura obtẽta per

Guillielmū II. filium primogenitum Bonifacij, à Maximiliano I. ann. 1494.

ſtituram aliam obtentam per ſecundum Guillielmum filium primogenitum Bonifacij I. à Maximiliano I. Imperatore, anno 1494. cum ſimili clauſula annullatiua omnium alienationum, ſeu diſtractionum à prædeceſſoribus Marchionibus per dolum, & vim factarum, & prout prædeceſſoribus Marchionibus per Federicum Imperatorem prædeceſſorem fuerat conceſſum, & declaratum. Nam cùm ea vltima inueſtitura ad præcedentes omnino referatur, conſequens eſt, vt eodem vicio laboret, quo præcedentes, nec plus virium habere poſſit, nec ad aliud prodeſſe debeat, niſi vt appareat ipſum quoque Guillielmum II. fuiſſe in mala fide, perinde ac patrem Bonifacium: quia licèt non ipſe, ſed ipſius pater contraxiſſet, ſciebat tamen quæ à patre geſta fuerant, vt proinde non magis præſcribere potuerit, aut præſcriptionem inchoare, quàm pater ipſe, cuius & heres, ſucceſſorque vniuerſalis fuiſſe proponitur, & præterea ſucceſſor in vicio poſſeſſionis, *ex d.l.cùm heres. 11.de diuerſ.temp.præſcript.l.vitia.11.C.de acquir.poſſ.*

Vltima hæc inueſtitura ad præcedētes refertur, & eodē vicio laborat.

Guillielmus II. fuit in mala fide, tanquā ſciēs quæ à patre geſta fuerant, & ipſius heres.

Alia inueſtitura eiuſdē Imp. Maximiliani, quæ præcedentem reuocauit, & conuentiones omnes cū Ducib. Sabaudiæ factas adprobauit, in fauorem Philiberti Ducis, qui fuit primogenitus Beati Amedei, anno 1504.

SED hîc ampliùs eſt, quòd idem ille Imp. Maximilianus certior poſtea factus de rei veritate, non ſolùm conceſſiones illas reuocauit; ſed etiam adprobauit, & confirmauit omnes contractus, conuentiones, donationem, infeudationem, & adhærentiam, cæteraque omnia quæ geſta fuerant inter Amedeum & Ludouicum Duces Sabaudię ex vna parte: & Io. Iacobum, eiuſque filium Ioannem Marchiones Montisferrati, ex altera: Adeoque inueſtiuit de dictis bonis, locis, & oppidis donatis Philibertum filium primogenitum Amedei VIII. qui Beatus cognominatus eſt, & generū d. Maximiliani

miliani Imp. remiſſa ei omni caducitate, quæ alioqui habere locum potuiſſet ob non petitam ſuo tempore inueſtituram, præſtitamq; fidelitatem, vt conſtat ex literis dicti Maximiliani ab eo conceſſis, anno 1504. quæ inueſtitura, & declaratio tanquam poſterior attendenda eſt, cùm præcedentium ſpecialem mentionem faciat, eaſque reuocet: ac præterea ſit multo iuſtior, & rerum geſtarum veritati, & æquitati magis conſentanea: Ideoque tollit omne dubium, quod in hac quæſtione mouetur à Marchionibus Montisferrati, eo prætextu quaſi ſupradictæ conuentiones fuerint factæ inter Duces Sabaudiæ & Marchiones, ignorantibus Imperatoribus, & non requiſito ipſorum conſenſu, præſuppoſito tamen quod requiri debuerit, quod nos iam toties negauimus. Certum enim eſt ſufficere, quod quandocunque ſequatur conſenſus, & approbatio Imperatoris, & alterius cuiuſlibet domini directi, vt confirmentur conuentiones, quæ alioqui non valuiſſent: nec poſſit tertius exinde iuuare ſe iure Imperatoris, aut alterius ſuperioris: Ratihabitio enim ſemper retrotrahitur & æquiparatur mandato, niſi quibus caſibus prohibitum eſt, *l. vlt. vbi not. C. ad S.C. Maced.*

Poſterior hæc inueſtitura Imperatoris Maximiliani attẽdi debet magis, quã prior.

Sufficit ſequi ratihabitionẽ Imperatoris tũ quoque, cùm eius conſenſus fuit neceſſarius.

Nec obſtat ſi dicatur, quod ea poſterior Maximiliani declaratio, & inueſtitura nõ potuit tollere ius quæſitũ Marchionibus, per priores Federici, eiuſdemq; Maximiliani conceſſiones, & inueſtituras. Nam præter id quod nullum fuit vnquàm quæſitũ, vt apparet ex præcedentibus: ſed fuerunt dictæ declarationes & inueſtituræ conceſſæ non auditis, nec vocatis Ducibus Sabaudiæ per euidentes obreptiones, & ſubreptiones, ideoque potuerunt ſimiliter reuocari, *ex reg. l. nihil tam*

Replicatio ad obiectionem, & reſponſionẽ aduerſariorũ.

Declarationes Marchionibus conceſſæ non auditis Ducib. Sabaudiæ, potuerũt inauditis quoq; Marchionibus reuocari.

naturale.35.de regul.iur.l.prout.80.D.de solut. Certum est in Imperatorum arbitrio mansisse, vt quæ bona fide gesta fuerant, adeoque in consequentiam mandatorum Imp. Sigismundi, nec proinde alia vlla confirmatione indigebant, confirmare quandoque non modò possent, sed etiam deberent.

Oratores missi à Marchione Guillielmo I. ad Imperatorē Maximilianū, ad impediendā concessionem factam Philiberto Duci Sabaudiæ.

IDQVE nec dissimulare potuit Guillielmus I. qui in facto præsupponitur plures Oratores misisse ad Imperatorem, vt ostenderet cōuentiones illas à Marchionibus factas, non debere adprobari, nec cōfirmari, quatenus de hoc per Ducem Sabaudiæ requireretur. Quid enim erat laborandum & impetrandum, ne confirmarentur, si iam confirmari ab Imperatore etiam volente non potuissent, quasi rebus non amplius integris? Nec enim ab Imperatore vnquam petendum est, ne id faciat, quod non nisi iniustè facere posset; ne illud ipsum ab eo peti videatur, ne quid faciat iniustè: quod esset absurdum, & instar sacrilegij, cùm talis suspicio nulla cadere possit in Imperatorem, qui omnia teste iure facere creditur, *d.l.omnium.19.C. de testam.* neque rursum ab Imperatore petendum sit quod iure communi conceditur, *l. Imperatores.30.de reb.author.Iudic.possid. aliàs 15. de priuileg.credit.*

Non est petendum ab Imperatore ne id faciat, quod nō nisi iniustè facere posset.

De vltima inuestitura per Carolū V. concessa Federico Gonzago, & Margaretæ filiæ Bonifacij Marchionis, anno 1522.

SVPEREST itaque sola inuestitura vltima, per Carolum V. concessa Federico Gonzago, & Margaretæ filiæ Bonifacij Marchionis eius cōiugi, anno 1522. de qua, quoniam multa iam scripsimus, cùm de vniuersi Marchionatus petitione egimus, alia hîc non dicemus, nisi quod per eam nihil dictum est de reuocandis conuentionibus factis inter Duces Sabaudiæ, & Marchiones:

In hac inuestitura nihil dictū

neque

neque rursus de reuocãda Maximiliani primi declaratione,& inuestitura, vt proinde non possit ea infeudatio & inuestitura intelligi, nisi de iis rebus, & iuribus, quæ ad Marchionatum spectare poterant, saluo semper iure Sereniss. Ducum Sabaudiæ, vt & alterius tertij cuiuslibet, *d.l. 2. §. si quis à Principe, & §. meritò, D. ne quid in loc. publ. l. nec annus. 4. C. de emancip. liber.* De quo ne dubitari amplius possit, facit alia posterior eiusdem Caroli V. declaratio, quæ expressim continet, Nunquam mentis suæ fuisse, vt iuribus Ducum Sabaudiæ per eam inuestituram derogaret. Quæ iura non solùm illæsa, & intacta remanere vult, sed etiam ea omnia ex certa scientia, motu proprio, & de Imperialis potestatis plenitudine adprobat & confirmat: vt apparet ex literis eiusdem Imper. datis die 7. Maij, 1534. quæ cùm dictam confirmationem expressam contineant, omnium pactorum & conuentionum, quibus Duces Sabaudiæ nituntur, supplent procul dubiò defectum illum, qui obiiciebatur, consensus non præstiti ab Imperatoribus, cùm fierent illæ conuentiones; tametsi fuisset ille ab initio necessarius, cùm sufficiat vt interuenerit ex postfacto: ad hoc, ne vel Imperator ipse, vel ex eius persona quisquam alius possit ius vllum caducitatis, aut nullitatis prætendere: Maximè cùm esset ista exceptio de iure tertij, quæ opponi nõ posset, nisi ex tertij illius voluntate, ex singulari doctrina Bartoli *in l. 2. D. de except. rei iudic. l. bona fides. 31. D. depositi.* vbi scriptum est, Etiam latroni, qui spolia, quæ vni abstulit penes alium deposuit, restituenda esse spolia, si dominus ipse ad petenda illa non eueniat, licèt constet spolia esse alij ablata.

est de reuocandis conuentionibus factis inter Duces Sabaudiæ & Marchiones.

Neque de reuocãda Maximiliani I. declaratione.

Alia posterior eiusdem Caroli V. declaratio, 7. Maij, 1534. in fauorẽ Sereniss. Ducis Sabaudiæ.

Adprobatio & confirmatio iurium omniũ Ducis Sabaudiæ.

Posterior hæc declaratio supplet defectum, qui obiiciebatur nõ præstiti consensus ab Imperatore.

Exceptio de iure tertij, quæ non est exclusiua iuris agẽtis, nisi tertius velit, nõ est admittenda.

Alia obiectio aduersariorũ: Ex eo quod Guillielmus I. & Bonifacius, eius frater, hereditatem Ioãnis repudiarũt.

MVLTO minùs facere pro aduersariis potest, quod obijciunt hereditatem Ioannis, qui fuit filius Ioannis Iacobi, & qui ab Amedeo Duce Sabaudiæ inuestituram acceperat, eíque fidelitatem præstiterat, repudiatam fuisse à Guillielmo eius fratre, vt & à Bonifacio primo, qui dicto Guillielmo fratri in Marchionatu successit, vt inferant, Non posse igitur illos teneri ex pactis & conuentionibus factis inter dictum Io. Iacobum, & Ioannem eius filium, & Sabaudiæ Duces.

Varię respõsiones.

Prima, ex eo quod dicta repudiatio fuit ficta & simulata.

NAM respondemus primùm, Eam repudiationem fictam fuisse ac simulatam, & verbalem potiùs, quàm realem; cùm in facto supponatur dictum Guillielmum mansisse in continua & perpetua possessione bonorum omnium, quæ Ioannes viuus, & moriens possederat, siue mobilia illa essent, siue immobilia, siue in iuribus & actionibus consistentia; & siue feudalia, siue allodialia. Quo casu nulla talis protestationis ratio haberi potest, cùm factum repugnat, *l. sicut qui bonis. 91. iunct. l. duo fratres. 72. cum notat. in l. pro herede. 20. D. de acquir. hered.* Debuerat enim eodem tempore Guillielmus, vt omnia ex bona fide gerere videretur, curare vt curator aliquis daretur siue bonis, siue iacenti hereditati d. Ioannis, & cuius curatoris opera & diligẽtia fieret inuentarium bonorum omnium, quæ in iacente illa hereditate Ioannis remansissent: non ipse omnia sibi retinere, quomodo retinuit. Sed & debuerat ea repudiatio denunciari, & significari creditoribus hereditariis, & cæteris omnibus quorum intererat, vt vel inuentarium saltem ipsi fieri postularent, aut alio modo sibi proui

Protestatio verbalis, quæ facto repugnat, inutilis.

Guillielmus post repudiationem mansit nihilominùs in perpetua possessione bonorum Ioannis.

prouiderent & consulerent. Et cùm eodem loco & tempore Bonifacius quoque eius frater similem actum repudiationis fecerit, debuit præterea vtriusque repudiatio significari alij eorum fratri Theodoro, qui fuit Cardinalis, vt sciret an ipse quoque repudiare totã deberet, an totã adire, cùm ab intestato perinde eidem delata esset. Quod tamen nunquam factum inuenitur, nec hereditas Ioannis ab alio vllo detenta, vel occupata. Fuit ergo dicta repudiatio vtraque ficta & simulata, in fraudem scilicet eorum, qui cum Ioanne contraxerant, & ne succedentes in Marchionatu cogerentur rata illa habere omnia, quæ Ioannes gesserat. Repudiatio autem, quæ fit in fraudem, nullius est momenti, *l. qui autem.6. ff. si patronus*, à contr. sensu in illis postremis verbis: [*Neque enim interdictum est, vt quis omittat hereditatem, si sine fraude id fiat*,] *D. si quis omiss. caus. testam. l. cùm pater. 77. ff. Titio fratri, antep. de legat. 2.* sicut & simulata semper pro infectis haberi debent, *l. si ex precio. 6. C. si cert. petat.* in illis verbis, [*simulatis, pro infectis habitis*,] *cum similib.*

Debuit ea repudiatio significari creditoribus: maximè verò Theodoro fratri.

Hereditas Ioãnis nũquam ab alio fuit detẽta & occupata, quàm à Guillielmo, & post eum à Bonifacio.

SECVNDÒ respondemus, Nihil potuisse repudiationẽ eiusmodi prodesse, neque Guillielmo, neque Bonifacio, cùm ijdem ipsi expressis pactis, & conuentionibus rata habuissent omnia, quæ de Marchionatu Montisferrati acta & transacta fuerant, tam à Io. Iacobo patre, quàm à Ioanne fratre, vt suprà diximus: neque tantùm semel Guillielmus, sed bis. Primùm quidem cùm pacta omnia Tononensia ratificauit Casallis, die vlt. Nouemb. *1435.* Et iterum, cum Bonifacio & Theodoro fratribus suis, simul cum Io. Iacobo patre, in ratificatione fœderis Tononensis, in eadem ciuitate Casallis,

Secunda respõsio: Ex eo quod Guillielmus, & Bonifaciꝰ erant ipsi ex propriis cõtractibus obligati.

Ratificatio Guillielmi duplex: prima, die vlt. Nouemb. 1435. altera, die 11. Decemb. 1436.

ſallis, 11. Decemb. *1436*. Proinde quamuis valeret vtraque repudiatio; nihil tamen aliud ex eo ſequeretur, niſi quod non fuiſſent illi obſtricti ſtare facto Ioannis: ſed non faceret ea res, quominùs multo magis, & proprio nomine obligati eſſent ad ea omnia præſtanda, & adimplenda, quæ illi ipſi cum iuramento promiſiſſent: Sublata enim per repudiationem cauſa obligationis hereditariæ, ſupereſt cauſa propriæ obligationis multo potẽtior, & quę nihil cõmune habet cum repudiatione hereditatis alienæ: Ex duobus autem vinculis ſufficit vnum durare, & quidem quod ſit potentius, *l. cùm is. 32. ſ. mulier. D. de condict. indeb. l. quoties duplici: 91. dẽ regul. iur. cum ſimilib.* Neque ad hoc replicari quicquam poteſt.

Repudiatio Guillielmi & Bonifacij non faceret quominùs eſſent ipſi obligati.

Ex duobus vinculis, ſufficit vnũ durare, præſertim quod ſit potentius.

TERTIÒ reſpondemus, Non potuiſſe Guillielmum, neque Bonifacium repudiare hereditatem Ioannis, & bona ipſius allodialia, retento Marchionatu, poſtquàm per pacta Tononenſia, & Taurinenſia ab illis ipſis, vt diximus, adprobata, cœpit Marchionatus inſeparabiliter vnitus eſſe cum bonis per Amedeum infeudatis dicto Ioanni: ita vt nec quiſquam poſſet eſſe Marchio, quantùm ad reliquum Marchionatum, qui non eſſet feudatarius Ducis Sabaudiæ pro bonis infeudatis: Et contrà, nemo eſſe feudatarius, qui non eſſet etiam Marchio: Quemadmodum ex aduerſo non alius poterat Marchionem habere pro feudatario, quàm qui eſſet Dux Sabaudiæ, vt conſtat ex pactis illis Tononẽſibus, & Taurinenſibus, vbi verbum ipſum [inſeparabilitatis] & vſurpatum eſt, & repetitum. Quamuis ergo fuerit eo tempore & ab initio ſeparatus Marchionatus, qui remanebat penes Io. Iacobum patrem, à bonis in

Tertia reſponſio: Ex eo quod non potuerunt bona allodialia Ioannis repudiari, retento Marchionatu.

Inſeparabilitatis verbũ vſurpatum, & repetitum in pactis Tononenſibus, & Taurinenſibus.

nis infeudatis, & iam tum traditis Ioanni filio; tamen ex quo tempore Ioannes filius factus est Marchio per obitum patris; cœpit vtrumque patrimonium simul iunctum esse, nec proinde ab eo tempore separari potuit per repudiationem hereditatis filij. Text. est elegãs *in l. sed si plures. 10. §. filio impuberi*, in illis verbis, [*Non potest, sed aut vtriusque debet hereditatem habere, aut neutrius: iuncta enim hereditas cœpit esse.*] *D. de vulg. & pupill. substit. l. paterfamiliàs. 28. vers. at cùm substitutus, D. de reb. author. Iudic. possid. aliàs l. 13. de priuileg. credit.* Præsupposito scilicet, quod eiusmodi inseparabilitas potuerit constitui à Ioanne Iacobo, & à Ioanne, per pactum; vt fieri posse iam diximus, & probauimus.

Duo patrimonia simul iuncta, separari posteà nõ possũt.

QVARTÒ dici etiam potest, potiùs pro nobis facere duas illas repudiationes; quia si Ioannes decessit sine herede, & consequenter nullus Io. Iacobi quoque heres est; quippe qui non alium habuerat heredem, quàm dictum Ioannem filium suum primogenitum: consequens est, vt ab eo tempore nemo fuerit, aut esse potuerit, qui de gestis per Io. Iacobum, & filium eius Ioannem conqueri potuerit: tametsi maximè per vim & metum ea omnia gesta fuisse probarentur, cùm non alius de vi & metu cõqueri possit, ex eáque causa petere in integrum restitutionem, quàm qui ipse vim, aut metum passus est, vel eius heres, licèt opponi possit de metu, quem neque actor intulerit, neque eius heres; quia sufficit à quocunque illatum esse, cùm & actio & exceptio, *Quod metus causa*, sit in rem, *l. metum. 9. §. animaduertendum, l. item si cùm. 14. §. in hac actione, l. quod diximus. 16. §. vlt. & l. seq. D. quod met. caus. l. non solùm. 6. D. de in integr. restit.* Non est igitur, quod tractemus

Quarta respõsio: Ex eo quod si Ioannes nullum habuit heredem, nec proinde Ioan. Iacobus pater, nemo iam est qui de rebus per eos gestis conqueri potuerit.

Non alius de vi, aut metu cõqueri potest, quàm is ipse, qui vim, aut metum passus est, vel heres eius.

Frustra queri-

tur de metu, cùm nulla persona supereſt, quæ de eo conqueri poſſit.

ampliùs de metu, neque an purgatus ſit, necne; cùm perſona iam nulla ſit, quæ de eo poſſit conqueri. Illa ergo tantùm quæſtio ſupereſt, an Marchiones illi Io. Iacobus, & Ioãnes eius filius liberam habuerint de dicto Marchionatu diſponendi facultatem, etiam in præiudicium ſucceſſorum, quam habuiſſe illos tam multis argumentis confirmauimus, vt pluribus non ſit neceſſe. Quidni verò habuerint, cùm & Bonifacius eam ſibi adrogauerit, & reſeruauerit in vltima illa clauſula inſtrumenti dotalis Blancæ, filiæ Guillielmi nuptæ Carolo I. eius nominis, Duci Sabaudiæ, vt ſcilicet in ſua mera & libera voluntate reſeruauerit facultatem diſponendi de Marchionatu: etiam in caſum, quo ipſe ſine maſculis moreretur? An fortè antiquiores illæ inueſtituræ, ex quibus nituntur aduerſarij probare, non potuiſſe Io. Iacobum quicquam ex Marchionatu alienare in præiudicium ſucceſſorum, & inconſulto Imperatore, excipiebant perſonam Bonifacij poſt tot annos concepti? An non verò inueſtituræ illę etiam Blancam, licèt fœminam, cæteraſque fœminas omnes admittebant, & vocabant poſt extinctos maſculos: præſertim verò poſt inueſtituã factã à Carolo IV. in fauorem Ioãnis filij Theodori, quæ, vt aduerſarij loquuntur, priores omnes in hoc alterauit? Ergo fatendum eſt neceſſariò, vel non valuiſſe conuentionem illam, tãquam factam contra formã inueſtiturarum, inconſulto Imperatore, & in præiudicium vocatorum, ſi feudum erat ex pacto, & prouidentia, & proprium, & inalienabile: Vel ſi Bonifacius putauit & voluit valere dictam conuentionem; non minùs valuiſſe illam quæ inter Io. Iacobum, & Ducem Sabaudiæ facta eſt, ex tam iuſtis, ac propemodùm

Bonifacius in dotali contractu Blancæ, ſibi reſeruauit liberam facultatem diſponẽdi de Marchionatu.

Antiquæ inueſtituræ, quibus nituntur Mantuani, nõ exceperunt Bonifacium.

Eædem inueſtituræ admittebant etiã fœminas, poſt extinctos omnes maſculos.

Dilemma, quo probatur vel nõ valuiſſe cõuentionem dotalem factam à Bonifacio: vel conuentiones factas inter Ducem Sabaudiæ, & Marchionẽm valuiſſe.

modùm neceſſarijs cauſis: præſertim verò cùm Dux Sabaudiæ eſſet etiam ex vocatis, & qui res ſibi donatas reſtituit Marchionibus Montisferrati, nulla alia immutatione facta, niſi quod addidit ius ſubfeudi, quod antea non erat. Proindè ſi Principes maximè decet, vt quod quiſque in alium iuris ſtatuit, ipſe eodem vtatur: qua fronte potuit Bonifacius dicere, Non habuiſſe patrem ſuum liberam illam de Marchionatu diſponendi facultatem, quam ipſe habere ſe dixit, & credidit?

Nulla immutatio alia in Marchionatu facta eſt, per conuentiones Ducis Sabaudiæ, niſi quod additum eſt ius ſubfeudi.

QVINTA reſponſio adferri poteſt, quod ex actu ipſo repudiationis per Guillielmum factæ, appareret, non alio iure habuiſſe illum Mõtisferrati Marchionatum iure ſucceſſorio feudorum regalium, & primogenituræ, niſi vt habent verba inſtrumenti: [*Tam ex ſanguinis neceſsitudine, & Imperialibus indultis, quàm ex vi & poteſtate conſuetudinis vetuſtiſſimè Marchionatus Montisferrati, cuius initij memoria non exiſtit.*] Atqui probauimus ex vetuſtiſſima, & perpetua conſuetudine, perpetuò obſeruata in vtraque familia Marchionum Montisferrati, ſemper ita obſeruatum fuiſſe, vt Marchiones de toto feudo illo Marchionatus diſponere potuerint, & diſpoſuerint pro arbitrio, quomodo inter cæteros dicti Guillielmus & Bonifacius diſpoſuerunt. Quod ergo illi licere ſibi voluerunt, cur non etiam Ioanni eorum fratri primogenito licere debuit? Cur nõ & eorum patri Io. Iacobo, qui niſi per ſummam prudentiam ita diſpoſuiſſet, vt diſpoſuit in pactis Tononenſibus, & Taurinenſibus, Marchionatum totum amiſiſſet, nec reliquum quicquam habuiſſet, quod ad poſteros ſuos tranſmittere

Quinta reſpõſio: Ex eo quod Guillielm⁹, repudians hereditarem Ioannis, dixit Marchionatum ad ſe pertinere ex vetuſtiſſima conſuetudine.

Non debuit nõ licere Ioanni, quod licuit Guillielmo & Bonifacio: Multo magis debuit idem licere Io. Iacobo.

Quam de Sabaudiæ Ducibus conquerẽdi occaſionem Marchiones habuerint, aut quid illis imputandi.

potuiſſet. Nec ſanè aliam de Sabaudiæ Ducibus conquerendi occaſionem Marchiones habent, aut quicquam iis imputandi, niſi quòd ſuis & opibus, & conſiliis conſeruando Marchionatum, effecerunt, vt hodie Marchiones poſſint allegare inueſtituras, quarum vſus nullus fuiſſet poſt occupatam bello Prouinciam: In quo ſe ingratos magis probant, quàm læſos, *arg. l. filio. 7. D. vt legat. ſeu fideic. ſeruand. cauſ. caueat.* in illis verbis: [*An audiendi ſint ne beneficium patris domini ve ipſis oneroſum fiat: an ſibi imputare deberent, qui dederunt eis poſtulandi aduerſus ſe facultatem.*] Et *l. ſi manumiſſori. 4. C. de obſeq. patron. præſt.* in primis illis verbis: [*Si manumiſſori tuo vim & audaciam obiecisti, qui te beneficio ſuo ex ſeruitute liberando, vt aduerſarium te haberet, fecit.*] An non enim ſimiliter in caſu noſtro dici poteſt, id agere hodie Duces Mantuæ, ex iure & perſona Marchionum Montisferrati, vt vim & audaciam obiiciant Ducibus Sabaudiæ, quorum beneficio & Marchionatus conſeruatus fuit, & ad eos tranſmiſſus: qui alioquin iam tum cùm pacta Tononenſia fierent, aut Mediolanenſem Ducatum, aut Pedemontanæ Prouinciæ principatum auxiſſet, vt nec hodie Marchiones vlli eſſent; qui vim illam, & audaciam poſſent obiicere, cùm iam nullus eſſet Marchionatus, ſaltem à Mediolanenſi, aut Pedemontano territorio, ac dominio ſeparatus.

Applicatio *l. filio. 7. D. vt lega. ſeu fideic. ſeruand. cauſ. caueat.* & *l. ſi manumiſſor. 4. C. de obſeq. patron. præſt.*

Si pacta Tononenſia facta nõ fuiſſent, non eſſet hodie Marchionatus vllus à Ducatu Sabaudiæ, vel Mediolanẽſi ſeparatus.

SANE ex vtraque illa repudiatione Guillielmi & Bonifacij, apparet ſatis fuiſſe illos ſibi conſcios, quòd in illis alienationibus, & conuentionibus, de quibus conqueruntur, nullus metus, nullaque vis interuenerat, nullumque ex ea cauſa petendæ in integrum reſtitutionis ius competebat: Alioqui malum & valdè inconſultum

Vtraque repudiatio hereditatis Ioannis per Guillielmũ & Bonifacium, probat potiùs non putaſſe illos habere ſe iuſtam cõquerendi cauſam de conuentio-

sultum fuisset repudiare Ioannis fratris hereditatem, ne manerent obligati ex iis, quæ Ioannes gesserat, cùm etiam retenta hereditate potuissent, tanquam heredes, impetrare restitutionem in integrum, & postulare, vt omnia tanquam per vim, aut metum facta rescinderentur.

nibus per Ioannem factis.

SEXTA responsio est, Feudum Marchionatus, de quo agitur, non esse ex pacto & prouidentia, vt Bonifacius in sua illa repudiatione præsupponit, sed hereditarium, vt ex omnibus inuestituris suprà probauimus. Et consequenter non potuisse agnosci repudiata vltimi agnati hereditate, quæ fuerat & Guillielmo, & Bonifacio delata: Aut potiùs, non potuisse repudiari hereditatem Ioannis à fratribus, retento feudo. Nam quod scriptũ est in *tit. an filius, aut agnat. feud. retin. poss. repud. hered.* Posse agnatum retinere feudum repudiata hereditate agnati, certum est non habere locum in feudo hereditario, vt pluribus tractat, & concludit Didac. Couarr. ex communi aliorum quos citat sententia, *lib. 2. Var. resolut. c. 8.* Bagnis. *alleg. 4. num. 2.* Debet enim quisquis succedit in feudo hereditario, qualitatem illam habere, vt sit heres, & primi inuestiti, & vltimi possessoris; adeò vt non sufficiat, quod alterutrius heres sit, si non sit vtriusque, cùm esse potest. Atqui in proposito casu, poterat Guillielmus esse heres & primi inuestiti, id est, Theodori I. & Ioannis vltimi Marchionis, scilicet dicti Ioannis immediatè pro virili saltem parte, quæ delata ei fuerat: (sufficere namq; poterat, vt ex aliqua parte heres esset: Gozad. *cons. 26. vers. imò etiamsi non sit heres*, post Bart. Bald. Alex. & Dec. ibi per eum relatos, Bald. *in c. 1. col. 3. vers. quæro vtrum filius, de succes. feud.* Alex. *cons. 26. ponde-*

Sexta responsio: Ex eo quod feudum Marchionatus non est ex pacto & prouidẽtia, sed hereditarium.

Non potuit repudiari Ioãnis hereditas, retento Marchionatu.

Ad tit. *an fil. aut agnat. feud. retin. poss. repud. hered.*

Quisquis succedit in feudo hereditario, debet esse heres, & primi inuestiti, & vltimi possessoris.

Sufficit ad succedendum in feudo hereditario, vt quis sit heres, saltẽ ex parte.

*ratis,num.9.lib.5.*Pariſ.*inter conſilia Mantuæ,conſ.13.num.84.* & alij quos refert Bagniſaccus *alleg. 4.num. 6.*) Contrà verò, repudiando hereditatem Ioannis,qui non tãtùm fuerat heres Io. Iacobi patris ſui immediatè; ſed etiam Theodori mediante perſona dicti patris ſui & aliorum ſuorum prædeceſſorum,deſiit Guillielmus poſſe vnquã hereditatem obtinere Theodori I. inueſtiti, & Ioannis eius filij inueſtiti à Carolo IV. quorum ſcilicet dictus Io.Iacobus eius pater fuerat heres ſolus, & ex aſſe, tanquam filius vnicus Theodori II. qui Ioanni I. per medias fratrum ſuorum perſonas ex aſſe ſucceſſerat. Nam quemadmodũ heres heredis eſt heres teſtatoris & primi defuncti,*vulg.l.vlt.C.de hered.inſtit.l.ſi quis filiusfamiliàs.7.§.vlt.D. de acquir.hered.* Ita & qui vltimi heredis hereditatem repudiat, omnium quoque anteceſſorum hereditates videtur repudiaſſe,quibus ille ſiue mediatè, ſiue immediatè fuerit heres.Ex quo enim iũctæ cœperũt eſſe hereditates, neceſſe eſt eum cui defertur vltimi hereditas,vel omnes ſibi habere,vel nullã, *d.l. ſed ſi plures.10.§.filio impuberi,de vulg.& pupill.ſubſtit.d.l.paterfamiliàs.28.verſ.at cùm ſubſtitutus,D.de reb.author.Judic. poſſid. l.3.D.de hered.petit.*Et ideò,ſi repudiat hereditatem vltimi,cæteras quoque omnes, quæ vltimo illi delatæ fuerant, & acquiſitæ, repudiare intelligitur: vtpote quas habere non poſſit, niſi per mediam perſonam vltimi, qui eas habuit. Cùm igitur aduerſarij fateãtur feudum hoc eſſe hereditarium, indeque obiiciant non potuiſſe Carolum Sabaudiæ Ducẽ in eo feudo ſuccedere,quòd nulla ex parte hereditatis fuerit heres Theodori I.cuius Margareta dicebat ſe heredem per medias perſonas anteceſſorum ſuorum, apparet argumentum hoc fortiſſimè

Guillielmus repudiãdo hereditatem Ioãnis, deſiit eſſe heres illorum, quorum Ioannes fuerat.

Heres heredis eſt heres primi teſtatoris.

Qui repudiat hereditatẽ vltimi, oẽs quoque hereditates, quæ fuerãt ei delatæ,repudiat.

Aduerſarij fatentur hoc feudum eſſe hereditarium.

tissimè contra dictam Margaretam retorqueri, neque vllo modo nobis obstare. Nam licèt dicta Margareta dixerit se heredem Io. Georgij vltimi masculi, non ideò tamen potest fuisse heres Theodori I. cùm ipsius Theodori hereditas inuenta fuerit in hereditate Ioannis vltimi, qui fuit filius Io. Iacobi, & consequenter repudiata per Guillielmum & Bonifacium, qui dicti Ioannis hereditatem repudiarũt, & quorum illa dicit se heredem, ac proinde obstrictam ad hoc, vt dictam repudiationem ratam habeat: Præsertim cùm non potuerit illa ex propria persona quicquam iuris habere ad succedendum dicto Ioanni, cuius hereditas fuit repudiata, siue quòd esset fœmina, & incapax feudi, quandiu alij fuissent masculi: siue quod eo tempore nondum concepta esset ad implorandum beneficium edicti successorij, *l. 1. §. si quis proximior, D. vnd. cognat. l. Titius. 6. & seq. D. de suis & legit.* Non ergo potuit Margareta heres esse Theodori I. cùm nec Ioannis I. heres esse potuerit, propter repudiationes dictæ hereditatis à Guillielmo & Bonifacio factas: cumque eam Theodori hereditatem dicta Margareta amiserit propter dictam repudiationem, & ex facto & culpa eorum, quos ipsa tãquam heres repræsentat, imputari certè illi potest, quod dictis Guillielmo, & Bonifacio, si hodie viuerẽt, imputari posset, cur Theodori hereditatem repudiauerint, repudiando hereditatem Ioannis. At non similiter possit imputare Carolo Duci Sabaudiæ, cur non fuerit heres Theodori, cùm nec esse potuerit, etiamsi maximè voluisset, quando ei delata nunquam fuerit ipsius hereditas. Et consequenter non eo minùs potest in feudo succedere, quamuis non sit heres, cùm per eum non stet,

Margareta nũquam se potuit dicere heredẽ Theodori I. inuestiti.

Nec potuit Margareta succedere Ioanni, aut Theodoro I. ex propria sua persona.

Imputari potest Margaretæ, quod imputari potuisset Guillielmo & Bonifacio, cur hereditatẽ Theodori repudiassent, repudiando hereditatẽ Ioannis.

Non eo minùs potuit Carolus Dux Sabaudiæ

in feudo ſuccedere, quòd non fuerit heres Theodori, cùm delata ei nunquam fuerit hereditas.

ſtet, vt ſuo loco diximus. Etſi ſuperuacua eſt illa quæſtio, quod ad Carolum: an feudum ſit hereditarium, necne; & an Carolus fuerit heres Theodori in totum, aut pro parte? cùm Marchionatus ad eum pertinuerit, non ſucceſſionis, ſed acquiſitionis iure, ex cauſa dotis.

Alia aduerſariorum obiectio, ex longiſſimi & immemorialis temporis præſcriptione.

EX ſupradictis apparet, vt ad aliud caput veniamus, Fruſtra, nulloque iure aduerſarios obiicere præſcriptionem longiſſimi temporis, & immemorialis, quòd per tot annos nulla fidelitas à Marchionibus Montisferrati præſtita ſit, nulla etiam per Sabaudiæ Duces petita. Nam primùm de immemoriali tempore tractari hîc nihil poteſt, cùm non modò memoria extet, ſed etiam probatio probata fidelitatis præſtitæ à Ioanne filio Io. Iacobi, patre viuẽte, in fauorem Amedei Ducis Sabaudiæ, anno 1435. Et rurſum alterius fidelitatis, & renouatæ inueſtituræ, anno 1441. in fauorem Ludouici Ducis Sabaudiæ, Amedeo defuncto. De præſcriptione verò longiſſimi temporis, ne hoc quidem. Quænam enim præſcriptio incipere potuit viuo Ioanne, qui ipſe inueſtituram accepit, & fidelitatem, atque homagium præſtitit? Quænam rurſum viuo Guillielmo, qui ipſe proprio nomine pacta omnia Tononenſia, & Taurinenſia vltrò rata habuit, adhibito etiam iureiurando, cùm tamen nihil de eo in pactis conueniſſet? Quænam verò viuẽte Bonifacio, qui ſimiliter rata habuit eadem pacta omnia, ratum habendo fœdus Tononenſe, quo pacta illa omnia de nouo fuerãt adprobata? Nam quod hi duo non fuerint heredes Ioannis, nihil ipſis prodeſſe poteſt, quantùm ad inchoandam prẽſcriptionem, cùm fuerint ipſi in mala fide prøpria, non ficta, nec poſſit negari

Prima reſponſio: Non poſſe hîc tractari de tempore immemoriali.

Nec rurſus de lõgiſſimi temporis præſcriptione tractari hîc poteſt.

Non potuit vlla præſcriptio incipere viuo Ioanne, nec viuo Guillielmo, nec rurſum viuo Bonifacio, qui omnes ipſi contraxerunt.

Fuerũt omnes ſupradicti in mala fide propria, non ficta, & malæ fidei poſſeſſores.

negari quin fuerint malæ fidei poſſeſſores, *c. vigilanti, & c. vlt. extr. de præſcript.* Quænam rurſum potuit præſcriptio inchoari viuo ſecundo Guillielmo, Bonifacij I. filio, qui patri malæ fidei poſſeſſori ſucceſſit, & in hereditate, & in vicio poſſeſſionis? Nam ſi verum illud eſſet, tametſi omnia per patrem geſta ignoraret, *d. l. cùm heres. 11. D. de diuerſ. temp. præſcr. l. vicia poſſeßionis. 11. C. de acquir. poſſ.* quãto magis id locum habere debet in dicto Guillielmo II. quem conſtat ſciuiſſe omnia quæ geſta fuerant per patrem? Idque ex noua illa inueſtitura, quam accepit ille à Maximiliano I. cum expreſſa reuocatione alienationum & diſtractionum à prædeceſſoribus Marchionibus factarum. Quę ſcientia inducit certè malam fidem, ne dubitare quiſquam poſſit, quin dictus Guillielmus fuerit in mala fide, non ſolùm præſumpta, & ficta, quæ ſufficeret; ſed etiam vera, & perſonali, quæ tanto potentior eſt ad impediendam præſcriptionem, *d. c. vigilanti, & d. c. vlt. de præſcript.*

Non potuit præſcriptio incipere viuo Guillielmo II. Et quare.

Ex reuocatione, quam Guillielmus II. à Maximiliano impetrauit, apparet ſciuiſſe ille omnia per patrem geſta.

Scientia inducit malam fidẽ.

POST mortem dicti Guillielmi II. quæ contigit anno 1518. eadem ratio malæ fidei hereditariæ obſtitit, ne Bonifacius II. qui fuit filius & heres dicti Guillielmi II. potuerit inchoare præſcriptionem, tanquam ſuccedens in eadem vitia poſſeſſionis defuncti, *d. l. cùm heres. & d. l. vitia.* Ergo nec Io. Georgius, qui æquè fuit heres, & ſucceſſor vniuerſalis dicti Bonifacij II. præſcribere potuit, aut præſcriptionem inchoare, cùm heres ſecundus, & tertius, & alij omnes deinceps, eodem iure cenſeantur, quo primus heres, *d. l. ſi quis filiumfamiliàs. 7. §. 1. D. de acquir. hered. l. vlt. C. de hered. inſtit.* Cùm igitur nullum tempus dari poſſit, in quo incipere præſcriptio, & inchoari potuerit; multo minùs dici poteſt, quãdo fuerit

Eadem mala fides Guillielmi II. obſtitit Bonifacio II. eius filio & heredi, ne præſcriptionem inchoare potuerit.

Nec Io. Georgius, qui fuit heres & ſucceſſor Bonifacij II. præſcribere potuit, aut præſcriptionem inchoare.

Præscriptio nunquam cœpta, nunquam cõpleri potuit.

completa, siquidem id quod initium nullum habuit, nec finem habere potest, *l. si in diem. 46. l. si Titio vsusfructus. 96. D. de condic. & demonstr.* Præsertim cùm nulla vnquam contradictio facta sit, quam præcedere oportebat, vt apparere posset de aliqua saltem præscribendi voluntate, sine qua non potest vlla præscriptio currere, ne tùm quidem cùm iure nullo impeditur: quoniam inutilia, & sine effectu sunt omnia, quæ gerimus, si aut voluntate, aut potentia destituantur, *l. 4.* vbi Bald. notat, *D. de acquir. hered.* Etsi enim multa interuenerunt, quæ facere possint, vt appareat Guillielmum, & Bonifacium I. filios Io. Iacobi, itemque Guillielmum I I. filium Bonifacij I. d egisse, quantùm potuerunt, vt à placitis Tononensibus & Taurinensibus recederent; nihil tamen ab iis factum est, nisi clam & per cuniculos, celatis Ducibus Sabaudiæ, qui omnimodò certiorandi erant, vt eorum taciturnitas & patientia, iuncta cum Marchionum contradictione, dare posset initium præscriptioni. Clam enim fieri dicitur, quicquid fit non certiorato eo, à quo controuersiam timere quis potuit, & debuit, *l. 3. §. clam facere. D. quod vi, aut clam.* Et ex clandestina possessione, quæ semper vitiosa est, malamque fidem semper adnexam habet, nemo dixerit posse inchoari præscriptionem: quippe quæ semper exigit bonam fidem, saltem ab initio; illis etiam casibus, quibus non requirit titulum, *l. sicut. 3. & seq. C. de præscr. 30. vel 40. annor. l. vnic. C. de vsucap. transform.*

Sine præscribendi voluntate, non potest vlla præscriptio currere.

Nihil factum est à Marchionibus contra pacta Tononésia & Taurinésia, nisi clam, & per cuniculos.

Clam fieri dicitur, quod fit non certiorato eo, à quo controuersiam timere quis potuit & debuit.

Clandestina possessio sẽper pernicios a est, & inducit malam fidem.

Præscriptio sẽper requirit bonam fidem, tum quoque cũ non requirit titulum.

RVRSVM ex parte Ducum Sabaudiæ, nulla potuit contra eos currere præscriptio, saltem cum effectu, & contra quam non potuerit, etiam si cucurrisset, dari restitutio

Ex parte Ducũ Sabaudiæ nulla contra eos potuit currere præscriptio, saltem cum effectu.

stitutio in integrum ex beneficio ætatis, cùm ex die mortis Amedei VIII. fuerint omnes, aut impuberes, aut minores annis 25. qualis fuit Philibertus Pulcher, filius dicti Amedei, & Carolus I. qui annum agens duntaxat 15. vxorem duxit Blancam filiam Guillielmi I. Marchionis Montisferrati, & decessit anno ætatis suæ 23. superstite relicto filio Carolo Ioanne Amedeo impubere, qui & ipse post paucos annos mortuus est adhuc impubes: herede & successore Philippo patruo magno, iam quidem sene, sed qui ab eo tempore non integro biēnio superuixit: heredemque reliquit filium Philibertum, puberem sanè, sed qui ius suum persequi cùm vellet, ne id faceret prohibitus fuit expressim, literis & imperiis Maximiliani I. Imperatoris, soceri sui, & iussus expectare, vt dissidia illa componerentur authoritate dicti Imperatoris, ne quid tumultus in Italia oriretur eo tempore, quo Imperatorem aliis negotiis & bellis grauioribus alibi gerendis occupari ac detineri necesse erat, vt constat ex iis literis productis in actis. Post cuius Philiberti obitum successit Carolus III. qui mortuo sub idem tempus Io. Georgio Marchione vltimo ex linea Paleologorū, litem primus mouit de Marchionatu, vt proinde nūquam possit dici longissimum tempus cucurrisse ad inducendam longissimi temporis præscriptionem: quippe ex qua certum est subducendum semper esse tempus pupillaris ætatis, ipso iure: Minoris verò ætatis, per beneficium restitutionis in integrum, ex notat. *in l. vlt. C. in quib. caus. non est necess. in integr. restit. ex d. l. sicut. 3. C. de præscript. 30. vel 40. annor.*

Post Amedeum VIII. Philibertus Pulcher, Carolus I. & Carolus Io. Amedeus decesserunt vel impuberes, vel minores 25. annis.

Philippus, patruus magnus Caroli Ioannis Amedei, non integro biēnio superuixit.

Philibertus, filius Philippi, cùm vellet ius suū exequi, prohibitus fuit à Maximiliano Imperatore, socero suo.

Philiberto successit Carolus III. qui primus & statim hanc litem mouit.

Ex præscriptione longissimi temporis, subducitur tempus pupillaris ætatis ipso iure; & minoris ætatis, per in integrū restitutionem.

QVIS enim Philiberto imputare possit, cur à Marchione Montisferrati nouam inuestituram, & fidelita-

Non potest imputari Philiberto Pulchro

Duci Sabaudiæ, cur non perierit ℔ ab Imperatore prohibitus erat ne peteret.

tem non exegerit, nec de iure suo, aut armis, aut iudicio expertus sit, cũ ne id faceret, prohibitus fuerit vi maiore, & authoritate supremi Imperatoris, cui parere habebat necesse, *l. contractus. 23. in fin. l. non videntur. 167. §. 1. de regul. iur. cum similib.* Præsertim, cùm eodem tempore etiam ad Marchionem Montisferrati Imperator rescripserit, eumque de prohibitione facta Philiberto Duci certiorem fecerit.

Eodem tempore Imperator ad Marchionẽ scripsit, vt eum de prohibitione Duci Sabaudiæ facta certiorem faceret.

IN quo illud etiam obseruatione dignum est, quod idem Imp. Maximilianus ille est, qui ad requisitionem Guillielmi II. Marchionis, alienationes & distractiones à præcedentibus Marchionibus factas in fauorem Ducum Sabaudiæ, reuocauerat, & annullauerat: Deinde posteà melius informatus adprobauerat, & confirmauerat, vt proindè non possint recusare Duces Mantuæ, quominùs factum Imperatoris præstent, ex cuius persona & concessione lucrum captant, *l. ex qua persona. 149. de reg. iur.* cùm non minùs Marchiones, quam Sabaudiæ Duces Imperatori parere & obtemperare tenerentur: maximè verò ratione Marchionatus Montisferrati, cùm esset illud feudum Imperij, vt vtraque pars fatetur, & iam olim erat in confesso.

Non possunt Marchiones recusare quominùs factũ Imperatoris præstent, ex cuius persona lucrũ captant.

Constat inter partes, Marchionatũ Mõtisferrati esse feudum Imperij.

ILLA etiam ratio præscriptionem omnem impedire debuit, quod nihil vnquam à Marchionibus factum est aduersus adhærentiam illam in pactis Tononensibus conuentam, in Taurinensibus confirmatam, & deinde executioni mandatam; quæ tamen, cùm fuerit facta simul & semel cum aliis pactis donationem, inuestituram, & fidelitatem respicientibus, tanquam actus correspectiuus ad alios, & sine quibus dicta

Marchiones nihil vnquam moliti sunt aduersus adhærẽtiam, in pactis Tononensibus conuentam, in Taurinensibus adprobatam, ac deinde executioni mandatã.

cta adhærentia facta non fuiſſet, non potuit tenere, quin cæteri quoque omnes tenerentur: cùm certi iuris ſit, in actibus correſpectiuis vnum ſubſiſtere ſine alio non poſſe, *l. cùm te. 6. C. de pact. int. empt. & vendit.* & retentione partis, totum ius retineri, & totius præſcriptionẽ impediri, *l. is qui vſumfructum. 20.* vbi Bart. Bald. & alij notant, *D. quib. mod. vſusfr. amitt. l. 2. D. quemadm. ſeruit. amitt. iunct. l. ſi ſtillicidij. 8. §. 1. & l. ſeq. eod. tit.* Idq; obtinet generaliter in iis omnibus, quæ indiuidua ſunt, *l. vna eſt via. 18. D. ruſtic. præd.* In quo numero ſunt contractus omnes, ſiue ſimplices ſint, ſiue correſpectiui, qui non eſſent facti ſinguli, ſi non ſimul omnes facti fuiſſent, *l. cùm ex cauſa. 139. de verb. oblig. l. tutor vrgentibus. 47. §. 1. D. de minor. d. l. cùm te. & l. vlt. C. de pact. int. empt. & vendit.*

In actibus correſpectiuis vn' ſubſiſtere, ſine alio nõ poteſt.

Retẽtione partis totũ ius retineri intelligitur, & præſcriptio totius impeditur.

Contract' omnes ſiue ſimplices ſint, ſiue correſpectiui, ſui natura ſunt indiuidui.

NEQVE verò in tot conceſſionibus Imperatorijs, quas Marchiones clàm & obreptitiè, ſubreptitiéque, vt diximus, impetrarunt, mentio vlla vnquam facta eſt dictæ adhærentiæ, ad eam vel impugnandam, vel reuocandam; ſed duntaxat conqueſti ſunt Marchiones de alienationibus & diſtractionibus à Ioanne Iacobo factis: ſicut neque Imperatorum mẽs fuit alias conuentiones annullare, quàm per quas diminutio feudi, & Marchionatus inducta eſſet, vt ex conceſſionum, declarationum, & inueſtiturarum recentiorum tenore apparet. Atqui in eo numero certum eſt, adhærentiam non cõtineri, quæ potiùs tota tẽdit ad totius feudi conſeruationẽ & tuitionẽ. Mãſit ergo illa adhærentia intacta, illibata, & perpetuò obſeruata: nec tãtùm ex Marchionum voluntate ſtabilita, & cuſtodita; ſed etiam ex populorum conſenſu & iureiurando, ad quorum maxi-

In tot conceſſionibus Imperatoriis quas Marchiones malè impetrarunt, nulla vnquam adhærẽtiæ mentio facta eſt.

Non poteſt dici Marchionatus diminutus per adhærentiã, per quã potiùs fuit conſeruatus.

mè vtilitatem ea res pertinebat: Et consequenter nulla potuit præscriptio currere, quantùm ad cætera, quę à dicta adhærentia separari nequaquam potuerunt; cùm non potuerit esse in potestate Marchionum, vt ista separarent, & conuentiones siue Tononenses, siue Taurinenses adprobarent pro parte, & pro parte improbarent, vt iam sæpiùs diximus, *ex l. nam absurdum. 7. de bon. libert. l. si ita stipulatio. 39. in fin. de oper. libert. l. cum quæritur. 16. D. de admin. tutor.*

Non potuerũt pacta Tononẽsia, & Taurinẽsia per Marchiones pro parte adprobari, & pro parte improbari.

Duces Sabaudiæ ad formam pactorũ Taurinensium perpetuò tenuerunt tria illa oppida, excepta in inuestitura Ioanni facta.

POSTREMA ratio, quæ hanc præscriptionis obiectionem omnino excludit, illa est, quod Dux Amedeus VIII. & post eum Ludouicus eius filius, cæterique Duces Sabaudiæ deinceps tenuerunt, & possederunt tria illa oppida Clauaxij, Septimi, & Brandicij, quæ per donationem à Io. Iacobo factam acquisita ipsis fuerunt, & retenta, exceptáq; in inuestitura subinde facta Ioanni filio primigenito dicti Io. Iacobi. ex qua retentione possessionis, certum est impeditum fuisse curſum præscriptionis, si qua etiam inchoata fuisset, aut inchoari potuisset: cùm vel sola adprehensio possessionis rerum obligatarum impediat, & interrumpat præscriptionem, dummodò adprehensa sit possessio ante completos triginta, vel quadraginta annos. Textus est *in l. cùm notissimi. 7. §. immò & illud, C. de præscript. 30. vel 40. annor.* Nec enim negari potest, quin supradicta tria oppida, & castra fuerint obligata, saltem pro obseruatione pactorum Tononensium, & Taurinensium, si ex aliqua causa fortassis dominium ipsorum ad Duces Sabaudiæ peruenire non potuisset. Nihil ergo est quod de præscriptione tractari possit contra Duces Sabaudiæ,

Sola adprehensio rerum obligatarum impedit, & interrũpit præscriptionem lõgissimi temporis.

diæ,qui poſſeſſionem illam à die donationis adprehenderunt,& ſine interruptione vlla retinuerunt ; cùm ea res ſit fortior ad interrumpendam præſcriptionem, quàm ſi conuentio aliqua, etiam iudicialis,interueniſſet,vt ſcriptum eſt *in d.§. immò & illud.*

Fortior eſt ad interrumpendã præſcriptionẽ, naturalis rerũ detentio,quàm conuentio vlla, etiam iudicialis.

AVGETVR porrò hæc ratio, ex eo quod Marchiones ipſi, qui apud Imperatores conqueſti ſunt de violentia ſibi per Ducem Ludouicum, & eius prædeceſſores facta, & ab ijs inueſtituras nouas impetrarunt,inter cæteras querelæ cauſas illam attulerunt, quòd neque Ludouicus, neque Amedeus placitis obtempe[illegible] ſent : non alia nimirum de cauſa, quàm quia cùm ex pactis Tononenſibus omnia bona quæ à Ioanne Iacobo donata eſſent,infeudare Ioãni eius filio debuiſſent; tria tamen caſtra ſupradicta exceperant in inueſtitura, & ſibi retinuerãt. Quaſi verò id feciſſet per vim & iniuriam,ac non potiùs conſentientibus ijſdem Marchionibus Io. Iacobo patre & Ioanne filio : Idque in executionem laudi ab Oratoribus Mediolanenſibus prolati, quo idipſum diſertè cautum fuerat & pronunciatum, ex noua ſcilicet cauſa, quòd ob non impleta per Ioan. Iacobum Marchionem ea,quæ in pactis Tononẽſibus conuenta primùm fuerant,de donatione per eum faciẽda,cùm interea triennium ferè iam effluxiſſet, multiſque ſumptibus à Duce Sabaudię in tuitionem depoſitorum caſtrorum ea mora cauſam dediſſet,iam intereſſet Ducis Sabaudiæ, vt plenioré indemnitatẽ à Marchione conſequeretur, vt in dicto laudo,ſecutáque inueſtitura continetur. Cæterùm cõfirmabat ea obiectio tanto magis in cæteris omnibus & pacta Tononenſia, & Taurinenſia, vt nullam querelæ occaſionem,aut volun

In quo Marchiones cõqueſti ſint apud Imperatores non fuiſſe ſeruatam fidem à Ducibus Sabaudiæ.

Noua cauſa propter quam Duces Sabaudiæ retinuerũt ſibi tria illa oppida, ex bonis à Marchione donatis, vitra id quod in pactis Tononenſibus fuerat cõuentum.

Querela per Marchiones facta de tribus illis caſtris à Duce Sabaudiæ retentis, confirmat pacta Tononenſia & Taurinenſia,

Iaudumque ab Oratorib' Mediolanenſibus prolatum, in cæteris omnib.

luntatem cæteri Marchiones habituri fuiſſe videantur, ſi tria illa caſtra, ſicuti per donationem à Io. Iacobo receſſerant; ita per inueſtituram ad Ioánem eius filium primogenitum rediiſſent: Tantùm abeſt, vt vllo tempore Marchiones præſcribere potuerint contra Duces Sabaudiæ, qui non modò tria illa caſtra poſſederunt in executionem, vt dictum eſt, non tantùm laudi; ſed etiam inueſtituræ: verùm etiam quicquid Marchiones ex inueſtitura illa poſſederunt: Cùm non alio iure poſſidere potuerint, quàm ex titulo præcedente, ſcilicet dictæ inueſtituræ, & conſequenter nomine Ducum Sabaudiæ potiùs, quàm proprio, *d. l. quædam mulier. 77. D. de reiuindic. l. 2. C. de acquir. poſſ. iunct. d. l. cùm notiſſimi. §. vlt.* in illis verbis: [*Nulla ſcilicet danda licentia ei, qui iure emphyteutico rem aliquam per quadraginta, vel quantoſcunque alios annos detinuerit, dicendi ex tranſacto tempore dominium ſibi in iisdem rebus quæſitum eſſe: cùm in eodem ſtatu ſemper manere datas iure emphyteutico res oporteat.*] *C. de præſcript. 30 vel 40. annor. iunct. l. 2. eod. tit.* Cùm quiſquis poſſidet, ſiue tanquam emphyteuta, ſiue tanquam feudatarius, non tam ſuo nomine poſſideat, quàm alieno, *d. l. 2. & l. pignori. 13. D. de vſucap.* Quis verò patiatur obiici præſcriptionem ab eo, qui non poſſidet contra poſſidentem? cùm nec alius poſſit præſcribere, aut longa poſſeſſione capere, quàm qui poſſidet; nec contra alium, quàm qui non poſſidet?

Nullo tempore Marchiones præſcribere potuerunt contra Duces Sabaud.

Quicquid Marchiones ex inueſtitura per Duces Sabaudiæ facta poſſederunt, non tam ſuo, quàm Ducum nomine poſſederũt.

Quiſquis poſſidet tanquam emphyteuta, vel feudatarius, non tam ſuo, quàm domini directi iure poſſidet.

AVGETVR etiam hæc ratio excludendæ præſcriptionis ex eo, quod non tantùm Marchiones Montiſferrati, Io. Iacobus & Ioannes, Guillielmus, Bonifacius, & Theodorus eius filij, & ex ordine ſucceſſores, iurarũt obſeruare conuenta omnia in pactis Tononenſibus, &

Alia ratio excludendæ præſcriptionis, ex eo quod ſubditi quoque Marchionatus iurarunt obſeruare pacta Tononenſia, &

Tauri

Taurinenſibus; ſed etiam eorum ſubditi omnes, Marchionibus ipſis ita imperantibus, hoc etiam addito, vt ſi quando contingeret Marchiones in promiſſis implendis deficere, non tantùm immunes eſſent ſubditi ab obedientia, & fidelitate iis præſtanda; ſed etiam cogerentur, & deberent contra eos arma ſumere pro Ducibus Sabaudiæ ad promiſſorum omnium obſeruationē, & executionem ad implendā: Atqui nihil vnquā à ſubditis factum eſt contra eam conuentionem, & promiſſionem iuratam; ſed ſemper manſit iuſiurandum ipſorum, vt inuiolabile, ita inuiolatum: Et conſequenter fuit per eos rententū ius, quod Sabaudię Ducibus quęſitum fuerat aduerſus Marchiones ex ſupradictis pactis Tononenſibus, & Taurinenſibus: tanto magis, quod ijdem ſubditi beneficio dictæ adhærentiæ inter Duces Sabaudiæ & Marchiones conſtitutæ, perpetua exinde pace ac tranquillitate potiti ſunt, cùm antea bellis ferè aſſiduis, & continuis iactati, multaque, qualia ex bello ſequi ſolent, incommoda perpeſſi fuiſſent: vt proinde dici poſſit, ſicuti per ipſos ſubditos Marchionatus & iurata, & conſeruata fuit adhærentia: ita & retentam à Ducibus Sabaudiæ poſſeſſionem iurium omnium, quæ ipſis quæſita fuerant, ex ijſdem illis pactis, & conuentionibus, quibus adhærentia illa fuerat conſtituta, etiam pro cæteris omnibus, quibus eadem adhærentia cohærebat: cùm ſeparari nec poſſint, nec debeant, quæ ſemel benè cohæſerunt, *l. etiam. 29. §. 1.* in illis verbis: [*Si ſpecies in qua pupilla in integrum reſtitui deſiderat, cæteris ſpeciebus non cohæret:*] *D. de minor.*

Taurinenſia, ipſis etiā Marchionibus ita imperantibus.

Pactio efficaciſſima in ſubditorum iuramentis appoſita, pro Ducibus Sabaudiæ, contra Marchiones.

Subditorum iuramentum perpetuò mānſit & inuiolabile, & inuiolatum.

Subditi Marchionatus, beneficio pactorū Tononenſium, & Taurinenſiū, perpetuā exinde pace ac tranquillitate potiti.

Retenta & cōſeruata adhærentia, etiam iura omnia Ducum Sabaudiæ retenta & cōſeruata ſunt, quæ cohærentiæ adhæſerūt.

Exquo etiam apparet, quàm parum ad rem faciat, quod aduerſarij obijciunt, *ex cap. intellecto. extr. de*

Reſponſio ad aliā obiectionē, quam faciūt Mantuani ex

cap. intellecto, extr. de iureiur.

iureiur. vt probent conuentiones factas inter Duces Sabaudiæ, & Marchiones Montisferrati, non posse valere, tanquam quæ alienationem feudi Imperialis & dignitatem habentis contineant. Id enim ad eum casum non pertinet, quo subditi, quorum præcipuè interest, consentiant alienationi, quomodo in proposita facti specie consenserunt. Id enim est quod textus ait, illicitum esse iusiurandum posterius in alienatione regni præstitum aduersus iusiurandum prius, quod licitum fuit: Cuinam enim iurare Rex potest, & debet de non alienando regno, nisi subditis? Ergo si subditi consentiant postmodùm alienationi, gratiam iurisiurandi facere videntur, quam facere possunt omnes, & quidem illi tantùm, quibus iuratum est, *l. remittit. 6. l. iurisiurandi. 32. D. eod. tit.* Et consequenter valent alienationes, quæcunque subditis consentientibus factæ reperiuntur. Atqui in proposito, non tantùm subditi consenserunt, sed etiam iurarunt se ratas in perpetuum habituros conuentiones illas omnes, de quibus disputamus; adeóque arma se pro Ducibus Sabaudiæ sumpturos, si quid Marchiones contra eas conuentiones molirentur. Quid ergo iam attinet de huiusmodi alienationum validitate tractare? Præsertim cùm nullum à Marchionibus de non alienando Marchionatu iusiurandum interueniisse proponatur? Quo tamen vno casu cessat ratio illa, qua potissimùm mouetur summus Pontifex, vt posterioris iurisiurandi, tanquam illiciti, nullam omnino rationem haberi velit.

Cùm subditi cõsentiũt alienationi regni, valet alienatio.

Possunt subditi facere gratiam iurisiurandi, quod ipsorum fauore præstitum est.

Valent alienationes factæ à supremo Principe, subditis consentientib⁹.

Nullum à Marchionibus de non alienando Marchionatu iuramentum vnquam interpositum est.

ACCEDIT, quod de eo regno textus ille loquitur, quod non recognoscat superiorem. Nam cùm superior aliquis est, putâ Imperator, sola ipsius voluntas exqui

Textus *d. cap. intellecto*, loquitur de regno non recognoscente superiorem.

exquirenda est, tanquam cuius maximè interfit: superioris enim est, qui legem facere potest, permittere, iubere, vetare, *l. legis.7. D. de legib.* Atquin ab initio constituti huius feudi, consensit Imperator Otho, vt feudum hoc Marchionatus esset alienabile ad nutum, & voluntatem possessoris, [*omnium hominum contradictione remota.*] Quibus verbis haud dubiè sublatam voluit necessitatem omnem exigendi consensus, non modò subditorum, sed ipsius quoque Imperatoris: cùm semel placuisse satis sit, vt in perpetuum, & omnibus in Imperio successoribus placere debuerit, quemadmodum ostendimus in præcedētibus. Quamquam, ne vllus quæstioni huic locus relictus esse videatur, illud etiã facit, quod Imperator Maximilianus I. itémque Carolus V. omnes illas alienationes, & quicquid iuris quæsitum ex ijs fuit Ducibus Sabaudiæ, confirmarunt, & adprobarunt, vt suprà diximus. Nec quod priores quidam Imperatores eiusmodi alienationes nullas & irritas esse voluerunt, inauditis Sabaudiæ Ducibus: necdum benè perspecta, & cognita facti veritate, obstare quicquam potest, ex ijs quæ à nobis suprà dicta, & probata sunt.

Feudũ Marchionatus ea primùm lege concessum est ab Imperatoribus, vt esset alienabile ad nutum possessoris.

Satis est semel aliquid placuisse Imperatori, vt omnibus in Imperio successuris placere in perpetuum debeat.

Alienationes illæ omnes factæ à Marchionibus in fauorem Ducũ Sabaudiæ, tãdem adprobatæ omnes fuerunt à Maximiliano I. & Carolo V. Imperatoribus.

ALIA etiam ratione responsum rectè est à nostris *ad text. in d. cap. intellecto*, Scilicet non habere locum nisi in Rege, in quo speciale est, vt de regno disponere non possit, in magnum præiudicium regni & successorum in regno, vt ad eum textum scripsit Panormit. *col.* 1. post Innocent. *in cap. grandi, de supplend. neglig. Prælat.* Quod si ita est, ius ergo commune in contrarium esse fatendum est, vt aliud dicendum sit in quo-

Alia responsio ad *cap. intellecto.*

Facilius potest alienari feudũ quodlibet, ha-

bens dignitatẽ minorẽ regia, quàm regnum.

libet feudo, minorem regia dignitatem & nobilitatem habente.

Ratio diuersitatis inter regnum, & alias dignitates minores.

EST QVE ratio euidens diuersitatis, quod regnum alienari non potest in alium dominum, qui aut maior, aut superior videri possit; cùm supra regiam dignitatem alia maior nulla sit, vt probat Lex Regia, de qua *in l. 1. D. de constit. Princip.* At verò alia feuda minora, quæ recognoscunt superiorem, possunt alienari in personam digniorem, vt putâ Marchionatus in Ducem, Ducatus in Regem, sicut & Comitatus in Marchionem. Quod cùm euenit, apparet nihil interesse subditorum, qui digniorem & potentiorem dominum habituri sunt: neque rursus Imperatoris, aut alterius in eo feudo superioritatis ius habentis, quippe qui digniorem & excellentiorem vasallum ex eiusmodi alienatione sit acquisiturus. Et ideo magis communiter placuit hoc casu posse feudum alienari, id est, in digniorem & potentiorem, etiam sine licentia domini directi, quisquis ille sit, & non requisito consensu subditorum: idque ex generali illa iuris regula, quæ vult, Meliorem cuiusque, etiam ignorantis, & inuiti conditionem per alium fieri posse, licèt deterior non possit, *l. soluendo. 39. de negot. gest. l. solutione. 23. D. de solut. l. melior. 133. de regul. iur.* Nam & beneficio adfici hominem interest hominis, *l. si venditor. 6. §. 1. D. de seru. export.*

Nihil interest subditorũ, qui per alienationem transeunt in potestatem dignioris domini, & potentioris.

Nec rursum interest Imperatoris, qui digniorem vasallũ habitur⁹ est.

Potest feudũ alienari irrequisito consensu superioris, & subditorum, si alienetur in digniorem & potentiorem.

SED neque verum est in proposita facti specie, alienatum fuisse Marchionatum, quatenus, post donationem à Io. Iacobo factam Duci Amedeo, redditus est Ioanni filio primogenito dicti Io. Iacobi, licèt sub onere & qualitate subfeudi, cùm ijdem perpetuò manserint Marchiones Montisferrati, & bonorum donatorum

Non fuit alienat⁹ Marchionatus per donationem factam Duci Sabaudiæ, cùm subinde fuerit statim redditus, & infeudatus est filio Marchionis.

rum poſſeſſores: adeóque, quod obſeruandum eſt, ijſdem omnino authoritatibus, & præeminentiis, quibus anteà Marchionatus poſſidebatur: Ita vt non tam alienatum aliquid ex Marchionatu videatur, aut ex dignitate ipſius diminutum, quàm mutata ſolùm qualitas, vt in caſu deficientium maſculorum redirent bona infeudata ad Ducem Sabaudiæ, & quandiu Marchiones durarent, tanto magis in fide & officio erga Duces Sabaudiæ continerentur. In quo nullum certè Marchionum damnum fuit, ſaltem pecuniarium; imò lucrum potiùs, in eo, quod vi & poteſtate huiuſmodi conuentionum factum eſt, vt ab iniuſtis bellis mouendis Marchiones abſtinuerint, viciſſimque pacem firmam, & continuam habuerint, non tantùm cum Ducibus Sabaudiæ; ſed etiam Ducum beneficio, cum cæteris vicinis: præſertim cum Ducibus Mediolani, quos anteà ſemper infeſtos, infauſtoſque vicinos in id vſque tempus experti erant. Denique commodum poſſeſſionis, cuius potiſſimùm deſiderio, & auiditate homines omnes tenentur, omniũ verò maximè Principes, in poſſeſſione ipſa eſt, & in perceptione emolumentorum ex poſſeſſione dependentium; non in titulo poſſeſſionis. Parumque interfuit Marchionum, quo titulo Marchionatus partem illam donatam retinuerint, dummodò cum eadem dignitate, & authoritate, qua reliquum Marchionatum retinuerint. Adeò verum eſſe vulgò creditur, quod olim Cicero in Epiſtola quadam ſcripſit, licèt magis appoſitè ad communem hominum opinionem, quàm ad noſtram Iuriſprudentiam, [*Id cuiuſque proprium eſſe, quo vtitur fruitur.*] Quamquam & Papinianus ipſe diceret, Neque alienatum, neq; abſumptum id videri,

Nõ tam dignitas Marchionatus diminuta eſt per infeudationem Ioanni factam, quàm mutata qualitas.

Lucrum maximũ, quod Marchiones ſenſerunt ex pactis Tononenſib. & Taurinẽſibus.

Commodum poſſeſſionis nõ eſt in titulo poſſidendi, ſed in emolumentorum perceptione, quæ à poſſeſſione dependent.

Ciceronis effatum, [*Id cuiuſque proprium eſſe, quo vtitur fruitur.*

quod in patrimonij corpore retinetur, *l. idem seruandum. 72. de legat. 2.*

Textus *in c. intellecto* nõ procedit in alienationib. necessariis.

SED & quod de non alienando regno scriptum est *in d. c. intellecto*, non vsque adeò generaliter & indistinctè accipiendum est, vt ad necessarias quoque alienationes pertineat, quas iam suprà diximus semper exceptas intelligi debere, *l. alienationes. 13. l. qui erat. 49. D. famil. ercisc. l. Diuus Pius. 5. D. de hered. petit. l. ait Prætor. 7. §. vlt. D. de iur. delib. l. filius familiàs. 114. §. Diui. 2. de legat. 1. l. peto. 69. §. prædium, de legat. 2.* Alienationes autem necessariæ sunt quæcunque fiunt ipsius regni conseruandi gratia, & ad pacem firmandam cum eo, qui iam parte regni armis hostilibus occupata, reliquum omne facilius fuerat occupaturus: vt iã suprà diximus ex Bald. *ad tit. de pac. Constant. in §. hoc quod nos, num. 3.* Paris. *cons. 10. n. 25. & seq.* Socin. Iun. *cons. 68. n. 19. & seq. & n. 158. ex cap. his qui, in fin. de maior. & obed.* cum aliis per Cacher. relatis *part. 5. nu. 45. & seqq.* Multoque magis dicendum est valere eiusmodi alienationes, si factæ sint per viam donationis remuneratoriæ in eum collatæ, cuius opera, & industria, & sumptibus, pacis fœdera inita sint cum hoste; quasi hæc merces eximij laboris, sumptusque vocanda sit, vt docuimus ex *l. metum. 9. §. animaduertendum, D. quod met. caus. & l. si pater. 34. §. 1. D. de donat.* Cùm huiusmodi donationes, sicuti non aliam causam habent, quàm gratitudinis; ita non sine maxima ingratitudine prætermitti possint, quæ naturalem quoque obligationem & pietatem offenderet, *l. sed etsi. 25. §. consuluit, D. de petit. hered. l. Aquilius Regulus. 27. D. de donat.* & vtrobique DD. omnes nocant: *& in capan libertus, §. pro remunerationis, 12. quæst. 2.*

Alienationes necessariæ sunt oẽs, quæ fiunt regni conseruandi gratia.

Alienatio facta per viã donationis remuneratoriæ, quasi merces eximij laboris, omniũ fauorabilissima est.

Necessarium id dicitur, cuius

contra

contrarium impossibile est, vt tractant Logici, cùm de propositionum & terminorum conuersione disputant. Impossibile autem dicitur quicquid est, non modò cõtra ius ciuile; sed etiam, & multo magis, contra ius naturale, adeoque contra publicam honestatem, *l. filius. 15. D. de condic. instit.* Quid autem alienius est à publica honestate, quàm ingratitudo? cui non alia de causa pœnam nullam iure ciuili indictam esse ait Seneca, quàm quòd nulla satis dura & congrua excogitari posse videretur.

contrarium est impossibile.

Impossibile dicitur, quicquid est contra bonos mores, & publicam honestatem.

Nulla pœna iure ciuili in ingratos constituta: Et quare.

VLTIMA Mantuanorum obiectio est, quod per conuentiones Tononenses, & Taurinenses expressim conuenerit de inseparabilitate Marchionatus Montisferrati, & bonorum infeudatorum: vt quisquis Marchionatum haberet, cętera quoque bona omnia & donata, & infeudata habere deberet, nec alterum ab altero separari posset. Ex eo namque inferunt, sicuti Marchionatus ad Sereniss. Duces Mantuæ pertinet ex noua concessione, & infeudatione Caroli V. ita & bona infeudata pertinere ad eosdem debere. Sed facilis, multiplexque responsio est.

Vltima obiectio Mantuanorum, ex inseparabilitate Marchionatus Montisferrati, & bonorum infeudator.

Variæ responsiones.

PRIMVM dicimus, Non esse quod vereãtur Mantuani, ne Marchionatus à bonis donatis & infeudatis separetur, cùm probauerimus totum Marchionatum ex pacto dotali inito cum Theodoro, ad Sereniss. Sabaudiæ Ducem pertinere; ita vt neque illo iure hodie indigeamus, quod per dictam inuestituram acquisitum fuerat, cùm in toto pars vtiq; contineatur, quemadmodum initio huius secundæ partis diximus.

Prima responsio, Totũ Marchionatum ex pacto dotali inter Aymonẽ & Theodorum inito, ad Seren. Sabaudiæ Duces pertinere.

SED tamen secluso etiam pacto illo Theodori, respondemus

Secũda responsio, Pactum in-

ſeparabilitatis, quo nituntur aduerſarij, reſtrictũ fuiſſe ad certum genus perſonarum, & ad certũ tempus.

pondemus ſecundo loco, Fuiſſe pactum illud inſeparabilitatis reſtrictum ad certum genus perſonarum, & ad certum ac determinatum tempus: Quãdiu ſupereſſent aliqui ex deſcendentibus, aut aſcendentibus, aut agnatis Ioannis I. inueſtiti, vt ex pacti verbis apparet. Atqui verum eſt nullos iam aut aſcendentes, aut deſcendentes, aut agnatos ex dicto Ioanne ſupereſſe, cùm maſculi omnes ex Paleologorum linea deceſſerint, nullo penitùs ſuperſtite: Et conſequenter verum eſt inueſtituræ ac reuerſionis legem commiſſam eſſe in fauorem & vtilitatem Sereniſſ. Ducis Sabaudiæ.

Nullus hodie ſupereſt maſculus ex linea Paleologa.

Reſponſio ad obiectionẽ ex eo factã, quod Margareta fuerit agnata ex linea Paleologa.

NEC obſtat, quod Margareta ſoror, conſanguinea Io. Georgij vltimi Marchionis, fuit ex agnatis, ac proinde admitti potuit ad bona inueſtituræ, perinde ac alius agnatus quilibet.

Intentio contrahẽtiũ in inueſtitura fuit, vt non alij poſſent ſuccedere in bonis infeudatis, quàm qui poſſẽt ſuccedere in Marchionatu.

NAM reſpondemus, Sicuti contrahentium intentio, & expreſſa diſpoſitio fuit, vt bona illa comprehenſa in inueſtitura ſeparari à Marchionatu non poſſent: ita nec aliam fuiſſe videri poſſe, quàm vt iidem poſſent ſuccedere in bonis illis, qui ſuccedere poſſent in ipſo etiam Marchionatu. Alioqui diuerſa, & ſeparata interpretatio ſeparationem quoque induceret Marchionatus, & cæterorum bonorum. Atqui Marchionatus, licèt potuerit etiam ad fœminas peruenire, non aliter tamen potuit, quàm deficientibus maſculis, tam ex natura feudi conſtituti pro maſculis, & fœminis, *tit. de eo qui pro maſcul. & fœm.* quàm ex antiqua conſuetudine ab immemoriali tempore obſeruata in diſpoſitionibus omnibus, quæ de Marchionatu factæ ſunt per viam ſucceſſionis. Imò & poſt extinctos omnes maſculos Paleologos,

Marchionatus nõ potuit peruenire ad fœminas, niſi deficientib. maſculis.

logos, debuit Marchionatus tam ex inueſtituris, quàm ex Theodori pacto peruenire ad Carolum Ducem Sabaudiæ, tanquam ſolum maſculum ſuperſtitem ex omnibus perſonis in inueſtitura comprehenſis, & in pacto illo Theodori, vt latiùs in quæſtione, De vniuerſali petitione probauimus: excluſa penitùs dicta Margareta, quæ nec admitti poterat ex inueſtitura, quamdiu maſculus aliquis ex Aledrami linea, etiá fœminea, ſupereſſet. Nec rurſus tanquam ſola ſuperſtes ex maſculis Paleologis, cùm eſſet ipſa fœmina, & conueniſſet, vt poſt extinctos omnes maſculos, Marchionatus eſſet pleno iure Violandæ, & ſucceſſorum eius. Ergo neque in bonis ab Amedeo infeudatis Ioanni Marchioni pro ipſo, & ipſius deſcendentibus, aſcendentibus, & agnatis, potuit dicta Margareta ſuccedere, vel ob hoc ipſum, ne contra legem inueſtituræ Marchionatum à bonis infeudatis ſepa[illegible] oporteret.

Ex pacto Theodori debuit Marchionatus peruenire ad Carolum Ducē Sabaudiæ.

Margareta nō potuit admitti ad Marchionatum, tanquam ſola ſuperſtes ex maſculis, cū eſſet ipſa fœmina.

Nec proinde in bonis Ioanni infeudatis.

SECVNDÒ reſpondemus, quod noſtri omnes benè reſponderunt, In materia indifferenti, vt loquuntur, ſicuti appellatione heredum continentur indifferenter ſucceſſores omnes maſculi, & fœminæ; ita appellatione agnatorum non minùs agnatas, quàm agnatos contineri, maſculino ſcilicet, vt aiunt, concipiente fœmininum, cùm nulla ſpecialior ſexus diſtinctio facta eſt, *ex l. 1. de verb. ſignific. l. 1. §. generaliter, de legat. præſt. vulg. l. qui duos. 62. de legat. 3.* Sed in materia feudali, neque heredum, neque agnatorum appellatione alij, quàm maſculi continentur: nec magis fœminæ ex maſculis, quàm quæ ex fœminis, *§. quinetiam, tit. Epiſcop. vel Abbat. & §. fin. de ſucceſſ. feud. tit. 8. & tit. an agnat. vel filius.* Nec eſt hac parte fauorabilior mulier, quæ eſt agnata, quàm qui ex

Alia reſponſio à noſtris ſcriptoribus iam allata.

In materia feudali neque heredum, neque agnatorum appellatione alij, quàm maſculi continentur.

ea naſcuntur, quos conſtat non eſſe ampliùs agnatos, ſed cognatos: vt idem iudicetur de principio, id eſt, de fœmina ipſa, quod de deſcendentibus ab ea, vt Cacheranus tractat ex Crauet. *conſ. 350. num. 3.* poſt Paul. Caſtr. Curt. & Socin. ibi citatos. Alioqui admiſſa matre, admittendi etiam eſſent deſcendentes ab ea, vt *in l. cùm pater. 77. §. cùm inter, de legat. 2.* quod eſſet contra legem, & verba inueſtituræ: cùm deſcendentes ab agnata non ſint agnati, vt diximus, ſed tantùm cognati, qui nullo modo comprehendi poſſunt in inueſtitura, de agnatis tantùm loquente. Nec ſimile eſt, quod in ſpecie *d. §. cùm inter*, ad legatum prædij libertis relicti, quod teſtator vetuerit ne de nomine familiæ exiret, etiam liberta admittitur, & poſt eam filij eius, licèt ſint ex alio nomine, & ex alia familia. Id enim fit, quia teſtator non diſpoſuerat verbis fideicommiſſi, vt prædium illud in familia relinqueretur, ſed tantùm vetuerat ne de familia exiret: quæ prohibitio ſicuti non facit ne ad prædium admitti poſſit liberta; ita neque impedit, ne poſſit prædium ad filios libertæ peruenire: Cùm nihil faciat contra prohibitionem liberta, quæ moritur inteſtata, & filium ſuum heredem ab inteſtato relinquit. Nihil enim facit, qui moritur inteſtatus, nec eſt quod imputari ei quicquam poſſit, *l. poſthumus. 6. §. 1. D. de inoff. teſtam.* Sed diuerſum eſt in infeudatione facta alicui pro eo, & eius agnatis, quia non alij ſub agnatorum nomine vocati poſſunt intelligi, quàm qui & agnati ſunt, & agnationem continuare, ac propagare in alios poſſunt, quod fœminis nullo modo conuenit.

Si admitteretur mater ad feudum tanquã agnata, eſſent etiam admittendi deſcendentes ex ea, qui tamẽ agnati non eſſent.

Cognati non comprehendũtur in inueſtitura, de agnatis tantùm loquente.

Reſponſio *ad §. cũ inter, l. cùm pater. 77. de legat. 2.*

In infeudatione, quæ agnatos vocat, ij ſoli comprehenſi intelliguntur, qui & agnati ſunt, & agnationem propagare poſſunt.

ITAQVE tertiò reſpondemus, Etiamſi Margareta tanquam agnata potuiſſet comprehendi verbis inueſtituræ,

Tertia reſponſio, ex diuerſitate rationis

ſtituræ,appellatione agnatorũ,quòd & ipſa eſſet agnata;nõ eo magis liberos eius,quamuis maſculos,admitti potuiſſe, cùm non agnati fuerint, ſed tantùm cognati. Proinde condicio reuerſionis,quæ ſuperſtite Margareta nõ tam defeciſſet,quàm nondum impleta eſſet,mortua tandem Margareta,ſuperſtite Carolo Duce Sabaudię,extitiſſet planè,ac impleta fuiſſet.Nec enim nouum eſt in huiuſmodi condicionibus,quæ habent ſucceſſiuum tractum temporis, vt condicio quæ non extitit in perſona vnius,exiſtat in perſona alterius, dummodò in perſona defuncti, aut aliàs nunquam defecerit. Aliud enim eſt defeciſſe condicionem:aliud verò non eſſe adhuc impletam,*l.hæc condicio.10.in fine principij, ff. de condic. & demonſtr.*Porrò cui non conueniunt verba inueſtituræ,quæ de agnatis tantùm loquitur,nec conuenire poteſt ipſa inueſtitura.Non ergo illis,qui cognati tantùm ſunt, tanquam qui excluſi ſint abſolutè, & ſimpliciter: non autem in caſum duntaxat contrauentionis,vt *in d. §. cùm inter*, cuius diſpoſitio proinde ad hunc noſtrum caſum aptari nullo modo potest.

inter Margaretam, & eius deſcendentes.

Condicio deficientium agnatorum, quæ nondum impleta fuiſſet ſuperſtite Margareta, extitiſſet ea moriẽte.

Aliud eſt condicionem defeciſſe: aliud verò nondum eſſe impletam.

Alia reſpõſio *ad dict. §. cùm inter.l. cùm pater.de legat.2.*

POSTREMÒ reſpondemus,Non potuiſſe Margaretam in dictis bonis infeudatis ſuccedere,quia non ſemel tantùm,ſed etiã bis fuit excluſa à ſucceſſione Marchionatus: Primùm per fratrem Bonifacium vltimum, qui ſolus patri Guillielmo vltimo ſucceſſit, excluſa penitùs dicta Margareta: Deinde per patruum Ioannem Georgium, qui fuit vltimus Marchio, & frater dicti Guillielmi.Etenim cùm fuerit excluſa à dicto Marchionatu,conſequens omnino eſt,vt à bonis quoque infeudatis excluſa fuerit,propter inſeparabilitatem illam inter Marchionatum, & dicta bona infeudata conſtitu-

Tertia reſponſio, Nõ potuiſſe Margaretam ſuccedere in bonis infeudatis, quia fuit excluſa à Marchionatu, nec ſemel tantùm, ſed bis.

In inſeparabilibus quod de vno dicitur, de alio quoq; dicendum eſt.

tam: Nam in inſeparabilibus, quod de vno dicitur, etiam de alio dicendum eſt, *l. ſed ſi plures. 10. §. filio, D. de vulg. & pupill. ſubſtit. l. paterfamiliàs. 28. de reb. author. Iudic. poſſid. aliàs l. 13. de priuileg. credit. l. 1. §. præterea ſciendum eſt, verſ. quid ergo*, ibi: [*Niſi ita coniunctæ poſſeſſiones & permixtæ propriis ſint, vt impoßibilem ſeparationem effecerint.*] *D. de ſeparationibus.* Porrò in feudis vera & perpetua concluſio eſt, Perſonam ſemel excluſam, ſemper ac perpetuò manere excluſam, *d. §. quinetiam Epiſcop. vel Abbat.* quod quidem nec Margareta ipſa ignorauit, quæ cùm inueſtituram nouam accepit à Carolo V. clauſulam illam exprimi & adſcribi curauit, [*Etiam quòd ſemel ac ſæpius excluſa eſſet.*] Nec tantùm ipſa fuit excluſa, ſed etiam omnes ab ea deſcendentes, ſi non ex proprio capite venire poſſint, quomodo certè non poſſunt venire, cùm non ſint agnati, vt argumentatur Papinianus *in l. ſcripta D. vnd. liber.* ſed tantùm cognati. Nulla ergo aut dictæ Margaretæ, aut ipſius liberis ad bonorum infeudatorum, de quibus tractamus, ſucceſſionem ius patere potuit: Præſertim verò ſi valuerunt repudiationes factæ à Guillielmo & Bonifacio fratribus Ioannis, de hereditate dicti Ioannis: cùm bona illa infeudata fuerint dicto Ioanni, & quidem pro ipſo, & ipſius deſcendentibus, aſcendentibus, & agnatis ſucceſſoribus in Marchionatu: Et conſequenter in feudum hereditarium, quale erat feudum Marchioantus, vt aduerſarij quoque fatentur. Feudum namque hereditarium non ad alios peruenire poteſt, quàm qui ſint heredes primi inueſtiti, *tit. de eo qui ſibi & heredib. ſuis maſcul. & fœmin.* vbi omnes notant, & nos in ſuperioribus fuſiſſimè probauimus. Cùm itaque

In feudis perſona ſemel excluſa, ſemper ac perpetuò remanet excluſa.

Cõfeſſio Margaretæ ex verbis ipſis inueſtituræ.

Bona quæ infeudata ſunt Ioanni, ſunt infeudata in feudum hereditarium.

dicta

dicta Margareta se dixerit heredem mediatè dictorum Guillielmi, & Bonifacij, qui hereditatem Ioannis repudiarunt, apertum est, nec Ioannis heredem illam esse potuisse, ac proinde præsupposita validitate inuestiturę, ac infeudatationis Ioanni factæ, nihil eam iuris in bonis infeudatis habere potuisse. Quæ alia, & æquè fortissima & inuincibilis ratio est, propter quam Margareta non tantùm à bonorum infeudatorum, sed etiã à totius Marchionatus successione excluſa videri debuerit: Nec ipsa tantùm, sed ipsius etiam liberi, & successores, quibus sanè obstat quicquid Margaretæ, cuius illi heredes sunt, obstitit, *vulg. l. quod ipsis. 143. de regul. iur.*

Nihil iuris habere potuit Margareta in bonis Ioanni infeudatis, pro ipso & ipsius descendentibus succeſſoribꝰ in Marchionatu, cùm Ioãnis hereditatem amiserit.

Quod Margaretæ obstitit, ipsius quoque heredibus obstare debet.

EX supradictis apparet, quàm iusta sit Sereniſſimi Sabaudiæ Ducis intentio, postulantis corrigi & emendari sententiam, sub nomine Caroli V. Imperatoris redditam per Iudices ab eo delegatos, de cuius reuisione ac emendatione nunc quæritur: Per quam pronunciatum fuit pro Duce Mantuæ contra Sereniſſ. Ducem Sabaudiæ, tam in petitorio, quàm in possessorio, quantùm ad vniuersalẽ Marchionatus petitionem. Quantùm verò ad bona infeudata, in possessorio duntaxat, reseruata petitorij definitione in annum proximum, ex iisdem tamen actis.

De sententia sub Caroli V. nomine per delegatos reddita, de cuius reuisione ac emẽdatione nunc agitur.

Quid de Marchionatu per eam sententiã pronunciatum sit.

IN quo sanè illud mirabile est, quod non eodem tẽpore decisa fuerit quęstio petitorij, de bonis infeudatis, si iam tùm lis pro hoc quoque capite instructa erat ad diffinitiuam sententiam: præsertim cùm in præfatione sententię fateantur iudices delegati concluſum fuisse à partibus, non minùs in petitorio, quàm in possessorio.

Primum mirabile, cur eodem tempore non fuerit decisa quæstio petitorij de bonis infeudatis, cùm pro ijs æquè esset lis instructa.

Aut si nondum instructa erat, & aliquid faciendum supererat ad præparandam pronunciationem diffinitiuã: Mirabilius illud est cur ex ijsdem actis quæstionem illam intra annum terminari Delegati voluerint, ac non potiùs ea fieri præceperint, quæ ad litem melius instruendam necessaria videbantur. Nimirum ex eo apparet puduisse Delegatos tam iniustam contra Sabaudiæ Ducem ferre sententiam, vt eum in hac quoque speciali petitione summouerent, quem ab vniuersali iam adeò iniquè (quod tantorum virorum pace, & bona cum venia dictum sit) summouerant: Præsertim cùm neque intra annum, vt ferebat sententia, neque vnquam posteà de petitorio, quantùm ad bona infeudata, pronunciauerint.

Alterum mirabile, ac mirabili⁹, circa hãc de bonis infeudatis interlocutionem.

Nec sanè desunt ex Historicis, etiam Hispanis, qui testentur, Carolo V. iam tùm Africanam expeditionem meditanti, vnum illud propositum maximè fuisse, vt Principes quosque Italiæ singulari aliquo beneficio sibi deuinciret, ne quid contra eum mouerent in Italia, dum ipse in Africa pugnaret. Atque inter cæteros Ferdinandum Gonzagam, qui Margaretam vxorem duxerat, promissa ei victoria litis huius, quæ tum pendebat contra Sereniſſimum Sabaudiæ Ducem Carolum: De cuius Caroli fide & amicitia dubitandi causam non habebat, propter arctissimam illam, quæ inter eos intercedebat adfinitatem. Etsi vel ea maximè ratione moueri debuerat, non vt quicquam iniqui pro eo contra Mantuæ Duces decerneret: sed ne quid iniquius contra eum pro Ducibus Mantuæ per Delegatos decerni pateretur, si plus ijs temporibus ratio

Propositum Caroli V. Africanam expeditionem meditãtis ex fide Historicorũ, etiã Hispanorum.

Arctissimum vinculum adfinitatis, quod inter Carolum V. Imp. & Carolum Ducem Sabaudiæ intercedebat, nocuit Duci, cui prodesse debuerat.

tio & pietas, quàm ambitio valuisset.

IDQVE esse videtur, quod minùs cautè Iudicibus delegatis ex abundantia cordis excidisse credibile est, cùm in sententia expressérunt: [*& temporibus istis conuenire arbitramur.*] Quibus verbis non obscurè innuerunt aliter fuisse ipsos pronunciaturos, si alia fuissent tempora: Quasi verò pro temporum varietate ratio iuris, quod semper certum & finitum est, mutari possit: quod tamen, neque iustus quisquam, neque sapiens vnquam dixerit.

Verba expressa in sententia Delegatorum, ex quibus ratio qua mouentur, colligi possit.

Pro temporum varietate ratio iuris non immutatur.

NEC illud quoque minus est mirabile, quod eâdem sententia Ducibus Mantuæ adiudicant non solùm Marchionatum Montisferrati, sed etiam [*castra, & loca feudalia, & alia per Marchiones Paleologos possessa:*] Quæ verba comprehendunt sua generalitate non modò bona feudalia, & allodialia omnia, quæ à Ioanne Georgio Marchione vltimo in diem vsque mortis suæ possessa fuerant, de quibus solis in ea lite tractabatur; sed etiam cætera omnia per anteriores Paleologos Marchiones possessa, quæ tamen Duces Mantuæ nunquam in petitionem deduxerant. Vt proinde dubitari non possit, quin hac parte iudicatum sit, non solùm vltrà quàm iuris ratio ferret; sed etiam vltra petita. Quod ipsum quale sit dicat Iustinianus Imperator, *in l. vlt. C. de fideic. libert.* quod nos per modestiam, & verecundiam dicere prohibemur. Neque verò errorem hunc tam grauem, & absurdum dissimulare Iudices ipsi potuerunt, qui ad iustissimam Ducis Caroli de eo conquerentis expostulationem, rescribere, vel inuiti tandem coacti sunt, non de aliis bonis

Tertium mirabile, quod in ea sententia iudicauerint Delegati vltra petita, & de rebus in litem nunquam deductis.

Vltra petita iudicare quale sit, & cuius sit.

Interpretatio sententiæ per Delegatos facta, contra verba sententiæ.

nis per dictam ſententiam adiudicandis cogitatum fuiſſe, quàm de ijs quæ Ioannes Georgius moriens tenuiſſet, ac in hereditate ſua reliquiſſet: Vt quia ſententiam mutare turpe erat, eam ſaltem interpretatione lenirent, ſicuti à quodam Conſule aliàs Romæ factum eſſe ſcribit Suetonius in Iulio Cæſare.

Alia eiuſdem ſentétiæ capita æquè negligéter & iniquè concepta, circa dotem Blancæ Guillielmi filię cõſtitutam.

SED & ex cœteris eiuſdem ſententiæ capitibus, apparet euidentiùs, quàm negligenter, ne quid grauius dicam, in eius litis deciſione verſati ſint illi, quibus ea cognitio, & pronunciatio mandata erat, in ijs omnibus, quæ ad dotem Blancæ Guillielmi filiæ conſtitutam pertinent.

Primùm abſurdum: Margareta quę potuerat & debuerat cõdemnari perſonali actione, non fuit condemnata, ſed pronunciatum eſt ſuper hypothecaria.

PRIMVM in eo, quod cùm Margareta diceret ſe heredem Io. Georgij patrui, Marchionis vltimi, qui & ipſe heres patrui ſui Bonifacij primi ad ſolutionem dotis tenebatur actione perſonali, *ex l. 1. C. ſi cert. pet. l. vlt. C. de heredit. action.* non tamen fuit illa condemnata, vt potuerat & debuerat, ad ſolutionem dotis; ſed pronunciatum duntaxat ſuper hypothecaria. Non aliter, quàm ſi contra tertium poſſeſſorem actum fuiſſet.

Alterum abſurdũ: Quod bona tantùm allodialia & melioramenta facta in bonis feudalib⁹, pronunciata ſunt obligata pro dote, nõ etiam bona ipſa feudalia, cõtra tenorem dotalis inſtrumenti.

ITEM in eo, quod non alia bona declarata fuerunt hypothecata pro dote dictæ Blancæ, quàm allodialia, & melioramenta facta in bonis feudalibus Marchionatus, non etiam bona ipſa feudalia. Quæ tamen conſtabat ex inſtrumento dotali, & obligata fuiſſe, & obligari potuiſſe pro dote; ſaltem in ſubſidium, ſi alia bona ſufficere non poſſent. Nam quod feudorum iure cautum eſt, vt bona feudalia non magis ex cauſa dotis,

tis, quàm ex alia vlla possint alienari in præiudicium siue successorum, siue domini directi, nisi omnibus consentientibus, *ff. donare, Qualit. olim poter. feud.alien.* ad feuda recta,& propria tantùm pertinet, non ad impropria, quæ ad voluntatem feudatarij sunt alienabilia: Quale esse probauimus hoc de quo disputamus, cuius tam multas,vt alienationes,ita oppignerationes factas fuisse legimus, pro dotibus tam constituendis, quàm restituendis filiarum, etiam naturalium & illegitimarum. Ac ne alia exempla conquiramus,in hac ipsa sententia,de qua conquerimur,mentio fit dotis, quæ debita erat, & restituenda Iuliæ viduæ dicti Io. Georgij vltimi Marchionis, & pro qua declarantur hypothecata Marchionatus bona etiam feudalia: Hæc autem cur obsecro tam variè? An ideo fortasse quòd fauorabilior esset restitutio dotis, quàm constitutio? Minimè verò. Nam & ex Interpretibus multi fuerunt, qui dixerunt, Posse bona fideicommissi alienari & obligari pro dote cõstituenda, non etiam pro restituenda,licèt contraria sententia magis obtinuerit, *ad Auth. res quæ, C. commun. de legat.* Cùm igitur ijdem Iudices delegati pronunciauerint bona Marchionatus feudalia & obligari potuisse, & obligata fuisse vtiliter, pro dote restituenda Iuliæ vxori relictæ vltimi Marchionis Io.Georgij: quidni hoc ipsum pronunciarunt, pro dote constituta Blancæ,pro qua eadem illa bona feudalia instrumento dotali obligata inueniuntur? Et quam longè fauorabiliorem non solùm illud facit, quod anterior est, & consequenter anteriorem habet hypothecam, *l. assiduis. 12. C. qui potior. in pign. hab.* sed etiam

Feuda impropria sicuti possunt alienari; ita etiam obligari pro dote.

Aliud absurdũ quod in hac ipsa sententia etiam feudalia bona Marchionatus pronunciantur hypothecata pro dote viduæ Ioan.Georgij.

Fauorabilior est dos constituenda, quàm restituenda.

Non potest dici cur debuerit esse melior cõditio dotis restituẽdę viduæ, quàm eius quæ cõstituenda, & constituta fuit filiæ.

Blanca heres ex asse patri fuit.

quod Blanca patri suo Guillielmo, qui decesserat intestatus, heres ex asse, & insolidum extiterat: Ex eáque causa in bonis quoque feudalibus succedere potuisset, nisi & Theodori primi testamentaria dispositio,& feudi natura obstitisset. Cæterùm tanto æquius fuit ex ipsis etiam bonis feudalibus,dotem constitui filiæ;cùm verendum non esset, ne feudi euertendi causa factum videretur, quod & filiæ pudicitiæ, & patris voto congruebat, vt scriptum est *in l. mulier. 22. §. cùm proponeretur. D. ad S. C. Trebell.* Præsertim cùm id à Theodoro primo expressim constitutum fuisset, vt ex ipso Marchionatu dotes filiabus masculorum constituerentur, & quidem competentes, & congruæ, qualem fuisse illam, quæ Blancæ constituta fuit à Bonifacio patruo, satis apparuit cùm eam integram, & sine vlla diminutione adiudicauerit sententia Cæsareæ Majestatis. Accedente etiam eo quod iam diximus, vt aliæ pleræque dotes ab anterioribus Marchionibus constitutæ fuerint, etiam ex bonis feudalibus Marchionatus, in fauorem filiarum, etiam naturalium, & illegitimarum, adeóque eiusdem Guillielmi, qui dictam Blancam solam filiam legitimam habuit. De quibus tamen dotibus nunquam fuit dubitatum,quin vtiliter constitutæ fuerint, & constitui potuerint, non modò in pecunia numerata;sed,quod magis est,in bonis ipsis feudalibus, nulla certa quantitate redimendis: Nempe quia etiam fœminæ ex antiquis inuestituris capaces erant succedendi in eo feudo post masculos. Nam quo casu possunt fœminæ succedere in feudo, deficientibus masculis, eo casu etiam ex feudis dotari

Applicatio *l. mulier*, 22. §. *cùm proponeretur, D. ad S.C. Trebell.*

Dos quæ Blancæ constituta fuerat, erat congrua.

Aliæ pleræque dotes cõstitutæ & solutæ filiabus, etiã naturalibus & illegitimis.

Fœminæ,quæ succedere possunt in feudo, masculis defi-

dotari possunt & debent, masculis superstitibus, etiam cessante primi inuestititi, aut cuiuslibet alterius dispositione.

cientibus, possunt ex ijs bonis dotari, etiã superstitibus masculis.

QVOD si verum esset, vt Mantuani præsupponunt, Marchionatum etiam per viam successionis intestati, à Io. Georgio ad Margaretam peruenire potuisse, quasi ex tacita dispositione testamentaria, quæ per infeudationem Ottonianam, & omnes subsecutas postea inuestituras permissa fuerit, vtique fatendum esset Blancam eodem iure patri suo intestato successisse, totúmque Marchionatum obtinere debuisse: Quo admisso illud euidentissimum est, Grauissimè & enormissimè læsam fuisse Blancam, quæ adeò amplam successionem tam exiguo precio octoginta mille ducatorum vendidisset: Maximè si hoc etiam addamus, quod conuenit, vt non nisi post Bonifacij mortem ea pecunia soluenda esset, quódque nec adhuc hodie solutum ex ea quicquam fuit. Cur enim valeat renunciatio, & cessio per Blancam facta in fauorem Bonifacij, qui ex parte sua nihil præstiterit, nec promissis satisfecerit? *l. cùm te. 6. C. de pact. int. empt. & vendit. l. si diuersa. 14. C. de transact.* Vt taceam, quod in facto præsupponitur, singulari nescio cuius aulici nostri, postea detecti deiectíque perfidia, deceptum Carolum I. huius nominis Ducem Sabaudiæ, nec nisi quindecim annos eo tempore natum, tam iniquæ, ne dicam ridiculæ conuentioni, & cessioni consensisse: cui certè nemo maior annis vigintiquinque, & benè consultus Princeps consensurus vnquam fuisset, vt

Argumentum contra Mãtuanos, ex falsa ipsorum hypothesi.

Quàm grauiter læsa fuerit Blanca, cùm tã modica dote fuit contenta.

Dos promissa Blancæ neque fuit soluenda; nisi post mortẽ Bonifacij, neq; in hunc vsque diẽ soluta fuit.

Carolus I. deceptus perfidia cuiusdam aulici, conuentionibus illis dotalibus consensit.

Paulus loquitur; *in l. minor se in id. 48. §. 1. D. de minor.*

Decessit primùm Carolus, deinde Io. Carolus Amedeꝰ, posteà Philippꝰ patruus magnus, postremò Blanca, relicto herede Carolo III.

Cúmque dictus Carolus I. decesserit, vt in confesso est, ante annum ætatis iuæ vicesimum quintum, relicto filio Io. Carolo Amedeo tum impubere, ac deinde intra pupillares annos defuncto; qui & ipse Philippum patruum magnum heredem reliquit, sed tam senem, vt non per biennium integrum Ducatu potiri potuerit, viua adhuc dicta Blanca, quæ postea & ipsa breui intermedio tempore decessit, instituto herede Carolo III. qui petitionem hereditatis instituit ex persona quoque, & capite dictæ Blancæ, apparet in id vsque tempus salua, & integra mansisse iura Blancæ omnia subducto eo toto tempore, quo & Blanca stetit in matrimonio, & maritum minorem habuit: Neque præscriptionem vllam temporis obijci hac parte Carolo III. potuisse: Nec solùm pro consequenda dote, quæ Blancæ promissa fuerat; sed etiam pro toto Marchionatu obtinendo, prout petitus fuit.

Mãserunt Blãcæ iura omnia integra, subducto eo tẽpore, quo & in matrimonio stetit, & maritum minorem habuit.

Contra Mantuanos, qui defendũt potuisse Margaretam ab intestato succedere Ioã. Georgio, patruo suo.

Ac quamquam huiusmodi petitio minùs conuenire videtur ei, quod toties diximus, feudum hoc Marchionatus, licèt ad fœminas, & ad personas ex eis descendentes peruenire potuerit, nunquam tamen ad fœminas ab intestato peruenire potuisse, nisi deficientibus masculis, etiam qui in gradu remotiores inuenirentur: optimum nihilominus argumentum est, & ad hominem, vt loquuntur Logici, aduersus Consultores Mantuanos, qui contrà tam pertinaciter defendunt, Potuisse Margaretam ab intestato succedere patruo suo Io. Georgio vltimo Marchioni, tanquam ex

taci

tacita quadam ipsius disposítione, *ex l. 3. §. 1. l. conficiuntur. 8. in princip. D. de iur. codicil. l. ab exheredati. 126. D. de legat.* 1. Hoc enim dilemmate tota res concluditur: Aut potuit fœmina in hoc feudo Marchionatus succedere, extantibus quoque masculis, aut non potuit: Si potuit, successit ergo Blaca Guillielmo patri, excluso Bonifacio patruo. Nec nisi de rescindendis pactis inter dictam Blancam, & dictum Bonifacium initis tractandum supereſt. In quo nulla difficultas subesse potest, siue quis enormissimam illá læsionem consideret, quam passim nostri æquiparant dolo ex proposito, *ad l. si quis cùm aliter. 36. de verb. oblig.* Siue tá noua & insolita pacta inter eos inita, quibus nihil aut absurdius, aut iniquius fingi possit: Maximè cùm tractetur lis in supremi Romanorũ Imperatoris auditorio, in quo procedi solet & debet sola facti veritate inspecta, prætermissis apicibus iuris, & solemnitatibus illis petendæ restitutionis, quæ videri possent necessariæ, si apud Prætorem ageretur: quandoquidem de causis, & iustitia concedendæ restitutionis, apparet manifestissimè, quod sufficit vt ab Imperatore tota res ad suam æquitatem reuocetur, *l. vlt. §. 1. & seq. D. quod met. caus. l. 1. C. de sentent. pass. & restit.* Tùm quoque cùm stricto iure competere restitutio non posset, si modò æquitas suffragetur. Textus est *in l. cùm quidam. 30. in princip. & in l. Pannonius Auitus. 86. D. de acquir. hered.* Si verò non potuit fœmina succedere in Marchionatu extantibus masculis etiam remotioribus (quod sanè verius est, vel fatente dicta Margareta, quæ se bis excludi passa est; semel per fratrem Bonifacium vltimum, qui cum ea erat in eodem gradu

Dilemma.

Nulla subest difficultas quin rescindi possint pacta Blancæ, dotalia ex causa enormissimæ actionis.

In auditorio Imperatoris proceditur, sola veritate facti inspecta.

Etiamsi stricto iure nulla cõpeteret restitutio in integrũ; solet tamẽ Imperator subuenire, quoties æquitas non refragatur.

Margareta bis excluſa, & per quos.

ſuccedendi: & iterum per Io. Georgium patruum, licèt remotiorem.) Non ergo potuit Margareta ſuccedere in Marchionatu ab inteſtato poſt mortem dicti Io. Georgij ſuperſtite Carolo maſculo, licèt ex fœmina & remotiore, vt in præcedentibus probauimus. Neutro igitur caſu potuit Margareta vincere, nec ei debuit adiudicari Marchia, prout ei fuit adiudicata; cùm egiſſet illa tam in poſſeſſorio, quàm in petitorio: non alio vtique iure, quàm quaſi heres dicti patrui legitima, & ab inteſtato. Ex quo etiam iure adiudicatam ei fuiſſe Marchiam credendum eſt, vt ſit ſententia conformis libello, *vulg. l. vt fundus. 19. D. commun. diuid. l. vlt. C. de fideic. libert.*

Margareta nullo caſu potuit vincere, cùm non egerit niſi tanquam heres legitima patrui ſui, & ab inteſtato.

Sententia ita accipienda eſt, vt ſit conformis libello.

ALIA eiuſdem ſententiæ iniquitas tertio loco occurrit in eo, quod per eam fuit adiudicata hypotheca in bonis tantùm Guillielmi, qui fuit pater Blancæ, à quo tamen dos neque conſtituta, neque promiſſa fuit; ac proinde cuius bona nunquam pro ea dote obligata fuiſſe dici poſſunt: Nec ſi velis dicere, eam dotem in legitimæ locum ſucceſſiſſe. Nam neque bona defuncti pro legitima filij obligata ſunt ex communi & vera interpretum omnium opinione *ad Auth. Nouiſſima, C. de inoff. teſtam.* De bonis autem Bonifacij, qui ipſe tanquam fratris ſucceſſor in Marchionatu dotem illam conſtituit, & quidem pro iuribus dictæ Blancæ omnibus, tam paternis, quàm maternis ſibi ceſſis, nihil in ea ſententia commemoratum eſt: De quibus tamen, & quidem ſolis pronunciandum erat, cùm eſſent illa omnia expreſſim, & tacitè obligata: etiam quæ

Alia iniquitas ſententiæ Cæſareæ, in eo q̃ fuit adiudicata hypotheca in bonis Guillielmi, qui tamen dotem neque conſtituit, neq; promiſit.

Bona defuncti non ſunt obligata pro legitima.

Nihil in ea ſententia dictum eſt de Bonifacij bonis, qui tamen dotem conſtituit.

citra

citra Padum constituta erant, tametsi specialiter obligata essent cætera, quæ vltra Padum. Nec enim fauor dotis patitur vt valeat specialis datio hypothecæ pro dote, in præiudicium tacitæ generalis, quam lex tribuit in bonis omnibus dotantis: Neque hoc casu locum habet dispositio *l. vlt. C. de pact. conuent. tam sup. dot.* Fieret enim hoc casu per pactum deterior condicio dotis, quod fieri nullo modo potest, *vulg. l. Attilicinus. 17. D. de pact. dotal.* Præsertim cùm in præiudicium generalis hypothecæ tacitæ nihil in eo contractu dotali expressim dictum, aut factum sit. Qui enim accipit hypothecam specialem, vt sibi magis caueat, non ideo generali tacitæ renunciare intelligitur. Cùm magis pro ipso, quàm contra ipsum, talis conuentio specialis hypothecæ apposita fuerit, *l. in ratione. 30. §. tametsi, D. ad leg. falcid. l. 3. in princi. l. creditor. 12. §. Papinianus, alia l. si prior. D. qui potior. in pignor. hab.* Nec diminutionem operari debeant, quæ posita sunt ad augmentum, *l. legata inutiliter. 19. D. de adim. legat. l. 3. §. si emancipatus, de bonor. poss. contr. tabul.* scripsimus *defin. n. 1. Codice nostro, de rei vxor. action.*

Specialis hypotheca pro dote, non tollit tacitam generalem.

Dispositio *l. vlt. C. de pact. conuent.* non habet locum in hypotheca dotali.

Qui specialem hypothecã accipit, non ideò censetur renũciasse generali.

Posita ad augmentum, non debent operari diminutionẽ.

NEC potuerunt Iudices delegati, vt tam iniquè decernerent ac pronunciarent, ex eo moueri, quod Marchia tota ad Bonifacium alio iure, quàm ex successione Guillielmi fratris peruenerit. Nam cùm ea dotis constitutio, & promissio per dictum Bonifacium facta sit intuitu, & contemplatione cessionis sibi factæ per Blancam, bonorũ omnium suorum & iurium paternorũ, & maternorũ; non potuit Bonifacius, nec Bonifacij heres

Responsio ad obiectionem, quæ pro tuẽda Delegatorum sententia, fieri posset.

Cur dotem Blancæ Bonifacius constituerit.

heres Margareta recusare quominùs ea conuentio mãdaretur executioni in bona obligata, & quæ Bonifacij fuerant quocunque titulo; cùm ea cessione potissimùm nitantur Mantuani, vt probent Marchiam ad Carolum III. Sabaudiæ Ducem, tanquam heredem Blancæ, pertinere non potuisse. Sunt enim actus illi correspectiui, & consequenter tales, qui diuidi nullo modo possunt; & quorum vno posito, alterum quoque poni necesse est, *d. l. cùm te. 6. C. de pact. int. emptor. & vendit.* Aut ergo à tota conuentione recedendum erat, aut ex vtraque parte implendum id omne, quod conuenerat: Non etiam permittendum vt claudicaret conuentio, & ex parte vna consisteret, ex altera verò non item, *vulg. l. cùm quæritur. 16. D. de admin. tutor. l. nam absurdum. 7. D. de oper. libert. cum similib.* In eoque sanè pereuidens iuris error est, qui neque dissimulari, neque excusari potest, de hîc repetam quod iam suprà dixi, ne illa quidem bona Bonifacij quæ obligauerat pro dote fuisse adiudicata, id est, bona omnia quæ tenebat vltra Padum, etiam feudalia, sed tantùm allodialia, & quidem ea tantùm, quæ Guillielmi fuissent, non etiam quæ Bonifacij, cùm è contrario adiudicari debuissent ea duntaxat, quæ Bonifacij fuissent, non quæ Guillielmi.

Actus correspectiui non possunt diuidi, & vno posito, alius ponitur.

Pereuidens error iuris in sententia Delegatorum.

Quàm grauiter erratum sit in hypothecarum adiudicationib. faciendis.

SED grauior alius & euidentior iuris error in eo fuit, quod eorum quoque bonorum, quæ pro dote Blancæ pignorata & hypothecata pronunciantur; possessio tamen non Duci Carolo redditur, sed Ducibus Mantuæ relinquitur. Quid enim prodest vincere in hypothe

Alius euidentior iuris error, in eo quod possessio bonorum, quæ pro dote hypothecata pronũciãtur, possessio

hypothecaria, si non possessio restituatur? Siquidem ex iuris ratione certissimum illud est, Non ad aliud dari hypothecariam, & quasi Seruianam, quàm vt auocet nudam pignorum possessionem, *l. si cùm venditor. 66. in princip. D. de euict. l. si fundus. 16. §. in vindicatione, & pass. D. de pignor.*

per hanc sententiam Ducibus Mantuæ relinquitur. Hypothecaria semper auocat nudam possessionem.

DENIQVE, ne in re tam aperta diutiùs immoremur, Quid iniquius dici potest, quàm quod tam exiguæ dotis, velut loco precij, pro tam amplo patrimonio constitutæ, vsuras nullas deberi pronunciatum est? Nullæ certè adiudicatæ sunt; quas tamen debitas esse constabat, etiam citra interpellationem, non solùm fauore minoris ætatis mariti, eiusque heredis, *ex l. Titia Seio. 87. §. vsuras, de leg. 2. l. cùm quidam. 17. §. si quid pupillo, D. de vsur. l. in minorum. 3. C. de in integr. restit. minor.* verùm etiam quòd vicissim Bonifacius, eiusque heredes fructus bonorum cessorum percepissent, *ex l. curabit. 5. C. de action. empt. l. Julianus. 13. §. veniunt autem, D. eod.* Præsertim cùm maritus interim onera matrimonij sustinuisset. Ex qua causa, sicuti dotis fructus ad maritum pertinent, *l. pro oneribus. 20. C. de iur. dot. l. dotis fructum. 6. D. eod.* ita cùm dos in pecunia numerata consistit, dotis vsuras etiam iure Canonico deberi certum est, tanquam iustum & legitimum interesse, *cap. salubriter, extr. de vsur.* habita etiam ratione augmenti dotalis, & doarij eximij à dicto Carolo I. dictæ Blancæ constituti.

Alius iuris error, quòd tam exiguæ dotis vsuræ nullæ adiudicatæ sint.

Dotis vsuræ debebantur, etiam citra interpellationē, tā fauore minoris ætatis, q̄ in vicem fructuum ex bonis cessis perceptorum.

Etiam iure Canonico debentur vsuræ dotis tāquam iustum & legitimum, interesse.

QVÆ cùm ita sint, iudicium esto doctiorum omnium, qui hæc nostra legent, quid de cæteris eiusdem

ſententiæ capitibus, & quibus conquerimur, exiſtimari oporteat. Iam verò pudet in tam multis abſurdis referendis ac refellendis immorari diutiùs, & Lectoris patientiam, in re præſertim tam aperta, longiore ſcripto fatigare. Omnia tamen ſub cenſura, & ſaluo cuiuſlibet meliùs ſentientis iudicio. Camberij, anno ſalutis 1615.

LAVS DEO OPT. MAX.

INDEX
TITVLORVM,
LEGVM QVE EXPLICATARVM,
& applicatarum, ac omnium materiarum in hac Consulatone cõtentarum copiosissimus.

A.

ACquisitiones & exclusiones sui natura debẽt esse perpetuæ, non tẽporales, 189.
Actiones perpetuæ quo sensu dictæ sunt olim, & dicãtur hodie, 83.
Actiones omnes, etiam eæ quæ dicuntur perpetuæ, finiuntur ad summum quadraginta annis, ibid.
Actiones possunt incipere ab heredibus, & contra heredes, 135. perpetuæ finiuntur spatio triginta annorum, 324.
Actiones suas, etiam tacitè remittentibus, non datur regressus, ibid.
Actiones non sunt comparatæ iure ciuili, nisi in perfidos & violatores iuris gentium, 329.
Actio plenior interdum competit heredi, aut in heredem, quàm competierit defuncto, aut in defunctum, 376.
Actio personalis competit ad solutionem dotis, 488.
in Actibus correspectiuis vnus subsistere sine alio non potest, 469.
Actori non est succurrendum, qui actionem distulit ob id solùm, vt rei probationes interciderent, 387.
Actum nullum velle facere, nemo in dubio præsumitur, 68.
aliud est requirere vt quid Actum sit, aliud verò vt actum sit specialiter 103.
illud Actum specialiter intelligi potest, quod expressim & specialiter dictum est, ibid.
ex Actuũ frequentia inducitur consuetudo in familia paciscendi & contrahendi, si modò familia habeat merum & mixtum imperium, 144.
Actus facti potentior est, quàm actus verbi, 168.
Actus quilibet præsumendus est perpetuus in dubio, & non temporalis, 189.
ex Actu conditionali etiam dominium vtile transfertur, ex solo euentu conditionis, etiam sine traditione, 254.
Actus agentium non debent operari vltra eorum intentionem, 287.
Actus viuentium facilius, quàm morientium suspendi possunt, 296.
in Actu priore vim interuenisse, non sufficit probari, si non probetur etiam interuenisse in posteriore in executionem prioris, 369.
Actus indiuiduus pro parte approbari, &

pro parte improbari non poteſt, 431. *nec cæteri actus*, 470.
Actus correſpectiui non poſſunt diuidi, & vno poſito alius ponitur, 496.
ab Adamo quomodo omnes deſcendimus, 270.
Adherentia de cæteris caſtris & bonis Montisferrati, 395. & 396. *manſit poſt inueſtituram Federici Imperatoris*, 430. *nihil vnquam aduerſus eam moliti ſunt Marchiones*, 468.
Aduerſariorum replicationi, caſum illum eſſe ſpecialem, reſpondetur, 81. *Item ad text.* cap. vnic. ſi vaſſall. feud. priuet. *quem malè intelligunt*, 85. & 86.
Aduerſariorum error in eo quod ſupponunt Marchionatum nunquam fuiſſe Violandæ, 293.
Ævum apud Papirium Frontonem quid ſignificat, 205.
Affectus nullus vincit paternum, 157
ad Agendum perpetua, ſunt temporalia ad excipiendum, 387.
Agnatus proximus ille eſt, quem alius nemo antecedit, quantumcumq; longiſſimo gradu diſtet, 85.
Agnatus proximus ſuccedit in locum vltimi poſſeſſoris, itémque primi inueſtiti, 90.
quilibet tranſuerſalis poteſt in feudo ſuccedere, etiam repudiata hereditate, non modò vltimi defuncti, ſed etiam primi inueſtiti, 89.
Agnati vltra ſeptimum gradum ſuccedunt, 35. *omnes conſentire debẽt feudi paterni alienationi, in quocunque gradu ſint, & ſine vlla graduum diſtinctione & enumeratione*, 91. & 114.
Alienatio quæ fieri poteſt purè, multo magis ſub condicione, 134.
Alienatio feudi ſine conſenſu domini facta, improbari poteſt ab herede alienantis, 171.
Alienatio quæ donationem ſtatim ſubſecuta eſt, dummodò alienationis titulus ſit immutatus, nõ facit irritam donationẽ, 350.
facta per viam donationis remuneratoriæ, quaſi merces laboris eximij, omnium fauorabiliſſima eſt, 478.
Alienationes & oppignerationes variæ factæ de Marchionatu Montisferrati, 171.
factæ à Marchionib. in fauorem Ducum Sabaudiæ, tandem adprobatæ fuerunt à Maximiliano I. & Carolo V. Imperatoribus, 475.
Alienationes omnes ſemper fiunt cum ſua cauſa, 298. & 307. *factæ à ſupremo Principe, conſentientibus ſubditis, valent*, 474. *ſunt neceſſariæ omnes quæ fiunt regni conſeruandi gratia*, 478.
Alienationum & diſtractionum appellatione non continetur adherentia, 431.
Alienatum non eſt quod in corpore patrimonij retinetur, 478.
Allodium poteſt dari in feudum, 44.
& ſi conuerteretur in feudum, reciperet diminutionem, 58. *poteſt infeudari, & à quo* ibid.
in Allodijs locum habẽt regulæ iuris communis, præſertim quod ad hereditarias ſucceßiones, 44.
Allodialia omnia præſumuntur, & libera, non feudalia, 39.
Allodialem & liberam rem ſuam recognoſcens ab alio, facit eam feudalem & emphyteuticariam, 54. *dummodò interueniat conſitentis animus*, 55.
Ambiguitas ſi qua ſit in aliquo contractu, recipere interpretationem debet obſeruatione, 69.
Ambigui interpretatio fieri debet ex certo, non certi ex ambiguo, 208.
in Ambiguis reſpondendum eſt pro dotibus, non ita vt dos minuatur, 244. *etiamſi contra tertium agatur*, ibid.

Amedeus Dux amicus & fidelis depositarius erga Marchionem, 349. *habuit ius retentionis pro impensis ab eo factis ad pignoris conseruationem*, 365. *quàm fuerit alienus à vi inferenda, & quàm bona fide pro Marchione Montisferrati omnia gesserit*, 372.

Anteces|or is est, qui omnes antecedit, & quem nemo, 61.

ex Antiquitate temporis omnes solemnitates, etiam extrinsecæ, presumuntur interuenisse, 18.

Antiquitas debet supplere omnes defectus, quos ipsa parit, 19. *vim habet tituli, & priuilegij*, 70.

Antiquitas sola temporis sufficit ad faciendam fidem instrumenti, & ad purgandos omnes defectus, 33. & 34.

Antonini oratio de donationibus inter virum & vxorem, quæ morte ac silentio donantis confirmatæ sunt ab herede non reuocandis, 382.

Argumentum à verisimili fortissimum est in iure, 32. *à dote pura ad condicionalem valet*, 251. *à parte ad totum valet, vbi est eadem ratio*, 202.

per Auditum pleraque immemorialia probari solent, 1[illegible]

August. Berous reprehenditur, [illegible]90.

Augmenti debent esse eadem qualitates & condiciones, quæ cõcessionis principalis, 51.

Augmentum non debet separari à dote, 199.

qui Auus meus non est, saltem pater patris mei dici potest, 267.

B.

Baldi sententia improbatur, 26. 27. 203. & 206.

Bartoli sententia quod in pacto dotali masculorum consensus non fuerit necessarius, comprobatur, 145. & 146.

eius sententia ad l. si ita. D. de aur. & argent. legat. declaratur & explicatur, 237.

Bella ex iure gentium fluxerunt, 340.

Bellum iustum & publicum illud est, quod ab ipso Imperatore, vel saltem Imperatoris authoritate indicitur, 341.

Bellum iustum, etiam honestum, inhonesta quoque pace commutatur, 343.

Bellum à Duce Mediolani cõtra Marchionem Montisferrati iustissimè susceptum, 345. *poterat etiam Dux Sabaudiæ iustissimè inferre Marchioni*, 346. & 353.

Bellum posterius, quod à priore iusto differt tempore tantùm, non causa, non potest esse iniustum, 354.

Beneficium quod datur sub lege reuersionis, feudum, non allodium est, 42.

Beneficia Principum debent esse mansura, & potius ampliari, quàm restringi, 58.

Beneficij origo semper inspici debet & solet, 88.

Beneficium eius est qui dat, non eius qui accipit, 108.

Beneficij memoria non est tollenda, sed potius augenda, ibid.

Beneficium non tam acquiri intelligitur illis, qui in feudo succedunt, quã ad eos reuerti, 114.

Beneficium mirum & singulare à Deo Opt. Max. vni familiæ Sabaudiæ concessum, 249.

Beneficio iuuari quemque oportet, non decipi, 302.

Beneficio hominem affici interesse hominis; vindictæ verò nõ irrogatæ indignationem, solam dolorem continere, 413. & 416.

Blanca fuit heres patri ex asse, 490. *eius ætas erat congrua*, ibid. *cur illam Bonifacius constituerit*, 495.

Beneuenuti historia & protestationes in lite productæ, 321. *suspectæ & mendaces*, 417.

Bonifacius vltimus liberorum Io. Iacobi quãdiu vixit, 388. ille & Guillelmus licèt nullam inueſtituram acceperint, eius tamen accipiendæ legem ſibi impoſitam non ignorauerunt, ibid.

Bonæ fidei non congruit de apicibus iuris diſputare, maxime inter Principes, 35. & 36.

Bonorum appellatio duplex, altera ciuilis, altera naturalis, 112.

Bona dicuntur naturaliter ex eo quod proſint & beent: ciuiliter verò illa etiam quæ plus incommodi, quàm commodi habent, 112.

Bonorum poſſeſſio eſt vice hereditatis, 113.

Bona quæ dotis tempore fuerunt dotalia, non ideo ſunt auferenda marito, aut ipſius heredibus, quòd per mortem vxoris deſierit maritus eſſe, 280. *fideicommiſſo ſubiecta poſſunt alienari & obligari, tam pro dote conſtituenda, quàm pro reſtituenda, contra ſentẽtiam aliquorum interpretũ,* 489.

Bona infeudata Ioanni Marchioni in feudum hereditarium, 484.

C.

CÆſar totius mundi dominus dicitur ex iure ciuili, & iure gentium, 40.

Cæſaris ſunt omnia, ſi non dominio, ſaltem imperio, ibid.

Cap. vnic. ſi vaſſal. feud. priuet. *applicatio,* 85. 86. & 87.

Cap. 1. de eo qui ſib. & hered. ſuis maſcul. & fœmin. *applicatio & explicatio,* 270. & 271.

in Carcere geſtum tenet, dummodò carcer non ſit iniuſtus, 325. *quid geſtum ſit non tam inſpiciendum eſt, quàm ex qua cauſa,* 329.

vbi à Carcere quis liberatus eſt, cum eo rectè tranſigi poteſt, 361.

Carolus IV. alterare noluit naturam huius feudi, 304. 305. *verba iſtius conceſſionis ponderantur,* 305. & ſeq.

Carolus V. Imperator nullum ius habuit concedendi nouam inueſtituram Margaretæ, aut Federico eius cõingi, aut vtrique, 176. *eius mens declarata,* 303. *de qua nec indiget Dux Sabaudiæ,* ibid. & 304. *non potuit diſponere de iſto Marchionatu tanquam ad ſe deuoluto,* 310. *illius ſententia in fauorem Margaretæ quomodo interpretanda,* 313. *illius prõpoſitum Africanã expeditionem meditantis,* 486.

Carolus Dux auus Seren. Ducis Sabaudiæ potuit ſuccedere in feudo Marchionatus Mõtisferrati, quamuis eſſet vltra 7. gradum conſtitutus, 105. *fuit ex maſculis deſcendentibus à Theodoro,* 119. 120. & *ipſi ſucceſſit in caſtris Lancei, Ciriaci, & Caſellarum,* 121. *comprehenſus fuit in primis inueſtituris, tam Ottonis, quàm Henrici VII.* 174. *fuit præferendus Margaretæ duplici iure,* 175. & 182. *etiam ſemoto pacto dotali, & excluſione Margaretæ,* 176. *non ſolùm fuit ex deſcendentibus ab inueſtito, ſed etiam ex vocatis & inueſtitis per primas inueſtituras,* 177. *cur omnino præferendus Margaretæ,* 311.

Caſtrenſis ſententia contraria ad l. Gallus. §. quidam rectè, de liber. & poſth. *communiter reprobata,* 196.

Caſus vnicus in quo poſſunt fœminæ ſimul ſuccedere cum maſculis, 73.

Caſus quem tractat Bartolus ad l. ſi ita. D. de aur. & arg. leg. & *caſus iſtius differentia,*

Caſus in quo dominium Marchionatus potuit acquiri Violandæ, etiam vivo adhuc Theodoro, 252.

Caſus cùm ſunt omnino diſparati, nihil ab vno ad alium inferri poteſt, 262.

ex Cauſis pluribus ſufficit vnam remanere, 279.

Causa limitata limitatum parit effectũ, 402.
Cautiones priuatorum legum authoritate nõ censentur, 26.
Cautionis plus est in re, quã in persona, 367.
Ciceronis effatum, id cuiusque proprium esse, quo vtitur fruitur, 477.
Clam fieri quid? 466.
Clausula constituti transfert veram, realem, & actualem possessionem, 128. 254. *etiam ex cõtractu condicionali*, 133. *apposita in aliquo contractu, referenda est ad præcedentia*, 285. *æquipollet veræ ac naturali traditioni, adeò vt transferat quoque realem & actualem possessionem*, 287. *fuit adiecta in fauorem solius Aymonis Comitis, non Violandæ*, 286. *ponderatur quod loquatur de bonis omnibus in dotem assignatis, ibid. & quod sit posita in alio contractu dotali, facto cum Principe Achaiæ, ibid. in vtroque testamento iisdem penè verbis concepta*, 291.
Clausula sequens debet recipere potius interpretationem à priore, quàm prior à sequente, 207.
Clausula quæ faueat doti subintelligi potest, non autem ea quæ noceat, 278.
Clausulæ insolitæ & suspectæ quanto ampliores, tanto inciuiliores, 436.
Clausula, ita quod, *declarat & ampliat dispositionem, & auget præcedentia*, 67.
ex Clausula, pro se, & heredibus suis, *feudum præsumitur hereditarium, verùm etiã si nihil de heredibus dictum sit*, 151.
Clausula, ex nunc, prout ex tunc, *vis, potestas, & vsus*, 291.
Clausula, motu proprio, *& alia similes vitium obreptionis tollere possunt, nõ autem iniquitatem rescripti*, 301.
Clausula, motu proprio, *non facit vt quidquid à Principe narratum est, pro vero haberi debeat*, 435.
Clausula in laudo posita an suspecta, 361.
verba vltima clausulæ, 366.
Clausula, ex certa scientia, motu proprio, & de plenitudine potestatis, *quãdo nihil operantur*, 433.
Clausula, Quòd reliquum dicti Marchionatus, *interpretatio*, 446.
Coactus videri non potest, qui tandem facit quod facturum se promiserat, & facere se velle profitebatur, 329.
ex Codicillis, qui testamentum præcesserũt, petifideicommissum potest, 108. *dummodò non appareat de contraria codicillantis voluntate*, 109.
de Cognatorum successione, 85.
Cognati non comprehenduntur in inuestitura de agnatis tantùm loquente, 482.
de Comitatu Aquosanæ & Canapicij, 321.
Compromissum non est quærendum in laudo, quod pronuntiatum fuit ex partium consensu, 358.
Concessio probata feudalis pro parte, in totum feudalis præsumenda, 43.
Concessio Ottoniana an fuerit in allodium, an in feudum; & si in feudum, an in rectum & proprium; an in improprium & alienabile, 37.
de Concessione facta ab Henrico VI. in fauorem Bonifacij II. cuius verba ponderantur, 51.
de illa per Conradum Imp. in fauorem Bonifacij III. ibid.
de illa ab Henrico VII. in fauorem Theodori Paleologi, 53.
de illa per Carolum IV. Imperatorem Ioanni filio Theodori, 62. *quæ supponit præcedentem concessionem feudi*, 63.
de illa Sigismundi Imp. in fauorem Theodori II. 64.
de illa Federici III. in fauorem Guillielmi Marchionis, ibid. & de illa per eundem facta Bonifacio fratri dicti Guillielmi, & de aliis secutis per Imperatores

Maximilianum & Carolum V. ibid. & seq.
Concessio Caroli V. quomodo facta Ducibus Mantuæ, 307. non potuit fieri viuo Io. Georgio, 308. nec congruit ipsius mandato, 309. cur nulla huius prætensi mandati facta sit mentio in ista concessione, 310. in tot Concessionibus imperatorijs nulla vnquam adhærentiæ mentio facta est, 469.
Condicio casualis semper retrotrahitur ad tempus contractus, 133. & quandoque existens, 138. & facit contractum purum, 281.
Condiciones promiscuæ, seu potestatiuæ non retrotrahuntur in præiudicium iuris, quod alij medio tempore quæsitum est, 133.
Condicione existente actus habetur pro puro, 135.
Condicio pacti dotalis, de quo agitur, potuit impleri etiam viuo Theodoro, ibid.
Condicio quæ vna est, etiam indiuidua est, licèt duas habeat partes, 137.
Condicio quonam tempore extiterit nihil refert, dummodò superstite aliquo ex ijs in quorum fauorem existere potuit, 13[illegible]
Condicio nondum impleta, adhuc impleri potest, non ea quæ defecit, 189.
ex qualitate Condicionis æstimanda est qualitas vocationis, & ij sub condicione vocati credendi sunt, qui tempore condicionis euenientis potuerunt viuere, 199.
Condicio casualis, vel mixta existens, facit vt dispositio ab initio pro pura habeatur, etiam in præiudicium iuris quæsiti tertio, 201. 202.
in Condicionibus alternatiuis sufficit alterutram partem impletam esse, 233.
Condicio semel impleta neque iterum impleri, neque deficere vnquam potest, sicut nec ea quæ semel defecit, ibid.
Condicio non expectatur, cuius euentus nihil operatur, ibid.
Condicio collata in tempus præsens, vel futurum, non habet vim condicionis, neque suspendit, 233. & 234.
Condicio fit per si, 236.
Condicio, quæ de liberis loquitur, ad nascituros magis refertur, quàm ad iam natos, 237.
Condicionis verba respiciunt futurum, 236. naturaliter & propriè sunt intelligenda; non fictè & ciuiliter, 239.
Condicionem iam extitisse plus est, quàm omnimodò extituram esse, 242.
Condiciones alternatiuæ an duæ sint nihil interest, an vna tantùm condicio duas habeat partes alternatiuas, 243.
Condicionis euentus & implementum tendit ad perfectionem & executionem actus: defectus verò ad annihilationem ipsius actus, 246.
Condicionis extinctio fauorabilis est, per quam condicionalis dispositio, quæ ab initio fuit pura, rursum fit pura, ibid.
Condiciones sunt odiosæ, quòd suspendant, & euentu suo extinguant dispositionem, quæ alioqui ab initio fuisset pura, ibid.
Condicio & dispositio qualibet præsumenda est perpetua potiùs, quàm temporalis, 259.
Condicionem non esse impletam aliud est, aliud verò iam defectam esse, 276. 277. & 483.
Condicione dotis condicionalis impleta, neq; noua dos est, neque incrementum dotis; sed illa ipsa dos, quæ sub condicione data fuerat, nunc conuersa in puram, 288.
Condicionis euentus nec fecit dotem, nec auxit, quæ iam aucta & constituta fuerat à patre, 289. & extinxit ius omne masculorum, & purè confirmauit ius Violandæ, ibid.
Condicionis pacti verba, 291.
Condicio quælibet sui natura retrotrahitur in præiudicium contrahentis, imò etiam in præiu

praiudicium iuris tertij, si condicio sit casualis, vel mixta, 29.
Condicione existente dispositionis condicionalis, dispositio non amplius consideratur vt condicionalis, sed vt ab initio pura, 293. & 294.
Condicio pacti dotalis deterior esse non debet, quòd sui natura transmissibile est, quàm legati transmissibilis, 299.
Condicio cuiusque, etiam ignorantis & inuiti, melior, non autem deterior potest fieri per alium, 476.
Confessio mariti de dote recepta, constante matrimonio, non censetur suspecta, nec simulata, si quis tertius intercuenias, 368.
Confirmationem in feudis hodie non esse necessariam, 109.
de Confœderationibus initis inter Sabaudiæ & Mediolani Duces, 345. & 352.
Consensus ex postfacto, 154.
Consentit, qui non sentit, 158.
Consensus Imperatoris ad validandam alienationem an fuerit necessarius, 318.
Consensus perfectissimus ex actibus multiplicatis, 408.
de Consilio cuiuslibet defuncti benè præsumendum est, sed maximè si fuerit Princeps & pater, 251.
Consistens ab initio ex postfacto irritum fieri nequit, 138.
in Consistentibus solo animo cauendum est ne quid extrinsecè fiat, ex quo animus ille possit conijci, 405.
Consuetudo est optima interpres conuentionũ præcedentium, & ideò dicitur interpretatiua, 52.
Consuetudo de disponendo in feudis ex vnico actu successiuo, iuncto cursu temporis, inducitur & probatur, 72.
quæ Consuetudo vetus adprobauit, semper tolerabilia sunt, ibid.
Constitutum æquipollet puræ traditioni, & quomodo, 286.
Contingentia ab initio, ex postfacto necessaria sunt, 364.
Contrahentes non præsumuntur eam scribendi instrumenti viam elegisse, [illegible] eorum iudicia & voluntates subuertantur, 22. *non sunt credendi superuacuis solemnitatibus se onerare velle,* ibid.
in Contrahendo multa tacitè aguntur, etiam si non dicantur, 104. *& quæ veniunt tacitè ex natura contractus,* 105.
Contractus matrimoniorum, non tam personarum quæ cõtractant, quàm familiarum contractus sunt, 144. 145. & 155.
Contractus dotis est bonæ fidei, 11.
in Contractibus par & vniformis determinatio fieri debet, 16.
Contractus non quoties scribitur, dicitur fieri in scriptis, 21.
quæ in Contractibus adijciuntur, dubitationis tollendæ causa, non vitiant, 24.
differentia elegans inter Contractus & Testamenta, 25.
in Contractu locationis tantùm tractatur de pensionis remissione, 45.
qui Contractus partem scinit & adprobauit, totum contractum scisse & adprobasse præsumitur, 156.
Contractuum omnium natura & essentia indiuisibilis, 157. & 469.
Contractus quilibet æstimatur ex conclusione quæ semper vnica & indiuidua est, 157.
Contractus initus inter eos qui obligari potuerunt, claudicare non debet, ibid.
Contractũ adprobat quisquis ex eo agit, 192.
Contractus qui nihil nisi spem continent, dicuntur fieri sine re, 283.
Contractus Principum vicem legis obtinent, 290.
in Contractibus inspicimus tempus contractus, non autem euenientis condicionis, licèt secùs sit in legatis & vltimis voluntatibus.

E

Ecclesia fiscus, & mulier pari passu ambulant circa priuilegia, 129

Edictum successorium hominis & conuentionis differt ab edicto successorio Prætoris, 268

Edicti successorij beneficium nondum conceptus implorare non potest, 462

Edictum quod metus causa in rem conceptum est, & ideo quælibet persona quæ metum intulerit facit locum Edicto, 371

Eius, *genitiuum, positum in verbis condicionis quid importet,* 265. *positum pro,* ex eo, 270.

Emphyteuta & feudatarius possident non tam suo, quàm domini directi nomine, 472.

Errantis nulla est voluntas, nullúsque consensus, 55. & 312

Error imperitiam detegit, 55. *probatur, quotiescumque docetur de contrario,* ibid.

Errorē allegāti incumbit onus probandi, 56

Error facilius præsumitur, quàm mendacium, ibid.

idem Esse, & non esse quisquis dicit, pugnat secum, ibid.

ex Euentu subsecuto, non debet irritum fieri quod ab initio vtiliter gestum est, 363

ex Euentu nemo potest id petere cuius contrarium non fuerat in contrarium euentum postulaturus, 363. & 364

quod Euenerit non est tam inspiciendum, quàm quod euenire potuerit, 364

Exceptiones sex Mantuanorum principales contra conuentionem dotalem Violandæ, 12. & 13. *refutatæ,* 14. & *multis paginis seqq. prima, quæ quæstiones facti & iuris implicitas habet,* 14. 15. & *seqq. vsque ad* 36. *secunda, vsque ad* 133. *tertia, vsque ad* 190. *quarta, vsque ad* 203. *quinta vsque ad* 297. *sexta vsque ad finem primi libri.*

Exceptio de iure tertij, quæ non est exclusiua iuris agentis, nisi tertius velit, non est admittenda, 453

F.

FActa non præsumuntur, nisi probentur, 57

Facta omnia fiunt verè naturaliter, & in re præsenti, 287

Facta ex nulla causa, & per obreptionem, & subreptionem sunt nulla, & sine effectu, 311

Facti proprij ignorantia non est probabilis, 327

Factum illius ex cuius persona lucrum quis capit, non debet improbare, 468

Familiæ appellatione & ipse Princeps continetur, 61. *plures semper continentur personæ, & plures quoque personarum gradus,* 47

in Familiæ nomine aliqua est ambiguitas, sed in nomine liberorum, *nulla,* 223

Familiæ suæ nemo in hoc seculo æternitatem sperare debet, 249

Federici Imperatoris declaratio facta in fauorem Bonifacij, 436. & *ad eius suggestionem,* 440. *ad quid extendatur,* 438

Feuda Prudentibus nostris incognita fuerunt, 49

Feudi definitio, 50

de Feudi natura. 77

Feudi & inuestituræ eodem penè sensu promiscuè accipiuntur, 51

Feudum solo beneficij nomine significatur, 41. & *est species quædam donationis,* 301

Feudorum initium, & progressus iuris, 106

Feuda cur primùm à Cæsare introducta, 41

Feudum non minùs quàm depositum re contrahitur, 53

Feudum ita datur, vt nullum pro eo seruitium fiat, quod pauci obseruant, 41

cui Feudum datum eſt, neque vendere, neque oppignerare, neque donare, neque in piam cauſam legare poteſt, 50

Feudum non eſt antequam ſit conſtitutum: nec dici poteſt datum de nouo, quod nunquam datũ fuiſſet, ſicuti nec confirmari, 63.

ad Feudum conſtituendum non ſufficit vt voluntate domini poſſeſſionem quis nactus ſit, niſi nactus ſit feudi nomine, 30. *conſtituitur per inueſtituram ſolam, aut per aliquid aliud quod inueſtituræ æquipolleat,* 53. *& abſque iis conſtitui non poteſt,* 64. *&* 107.

Feudum conſtitui aliud eſt, aliud feudum probari, 53

Feudum probatur per verba enunciatiua in antiquis, multò magis in antiquiſſimis, & etiam per confeſſionem poſſidentis, ibid.

ad Feudum probandum quæ præcipuè ſufficiunt, 41 *poteſt probari per ſolam famam, in antiquis,* 59

Feuda naturam propriam & ſeparatam habent ab aliis bonis, quæ vt nobilior eſt, ita & diginior, 186

Feudi ſucceſſio non ab vltimo defuncto, ſed à primo inueſtito accipitur, 188

Feuda ſolent ab vna familia in aliam tranſire, cum omnibus ſuis qualitatibus, 66

in Feudo poſſunt ſuccedere etiam qui in milleſimo quoque gradu ſunt, ſi nihil aliud obſtet, 83 *etiam illi qui neque nati, neque concepti fuerunt, moriente primo inueſtito, & quare, & quo iure,* 116

in Feudis ſicut non ſucceditur primo inueſtito, ita nec vltimo poſſeſſori, 105. 106. *&* 111.

in Feudo ſuccedunt priores tanquam proximiores, qui ſunt ex eadem linea, excluſis tranſuerſalibus aliarum linearum, & quare, & quo iure, 115

de Feudi ſucceſſione inter tranſuerſales differentia iuris veteris & noui, 97. 98. *&* 99.

in Feudis omnibus, ſed maximè dignitatum, ſucceditur inter tranſuerſales deſcendentes in infinitum, poſtquam feudum ſemel radicatum fuit, 118

qui in Feudum ſuccedit, repudiata hereditate poſſeſſoris feudi, non tam dicitur ſuccedere alteri, quàm in feudum & beneficium alterius, 89. *vbi refutatur ſcriptorum opinio, ibid.*

Feuda non tam ex cauſa ſucceſſionis hereditaria, quàm ex pacto & inueſtitura deferuntur, 120

de Feudi futura ſucceſſione valet pactum, 140.

Feuda non veniunt in generali diſpoſitione, etiam expreſſa, & ſiue teſtamentaria, ſiue inter viuos, niſi de iis expreſſim diſpoſitum ſit, 186

de Feudo qui non diſpoſuit expreſsè, cenſetur omnia relinquere diſpoſitioni iuris communis, 187

in Feudis cur inſpiciatur quis proximior ſit vltimo defuncto, 116

Feuda illud ſpeciale habent, quod in iis heredum & agnatorum appellatione ſoli maſculi continentur, remotis fœminis, 481

an Feudum datum ſit in dotem filiæ, nullis extantibus maſculis: an verò extantibus quidem maſculis, ſed in eum duntaxat caſum, quo extincti omnes forent, nihil intereſt, 150

Feudum quamuis fœmineum non poteſt peruenire ad fœminas, etiam poſt omnes maſculos extinctos, niſi id expreſsè in inueſtituris dictum ſit, 38. *&* 72

de Feudo iugali, 74

de Feudi proprij & improprij natura, 38

Feudi proprij incapaces ſunt fœminæ, 38

ex Feudi recti & proprij natura fratres de-

Donatio etiam per vim & metum extorta est titulus habilis ad transferendum dominium: & quare, 378

Donationem inquietari, quam is qui donauit in diem vitæ suæ non retractauit, nefas est, 379

Donationem per vim extorquere nihil aliud est, quàm ingratum se præbere donatarium, priusquam beneficium acceperit, 380.

Donationis reuocatio fauorabilior est ob causam quæ supernenerit, 380

Donationum ius proprium & singulare est, vt quamuis ab ipsis donatoribus retractari possint, ab ipsorum tamen heredibus non possint, 381

Donatio, de qua hîc agitur, non solùm ritè ac legitimè ab initio facta fuit, sed etiam perfecta & impleta per donatorem, 383. *non potest rescindi ex causis, ex quibus, si adhuc durarent, etiam hodie fieri posset,* 385.

Donatio & inuestitura facta à Io. Iacobo Ioanni filio suo an per vim & metum extorta fuerit, 319. 320. 322. *& cur facta,* 322. *& 324. quomodo effectum habuerit pro castris Cluasij, & Septimi,* 388

Donationis contractus differt à cæteris, 381

Donator non tenetur de euictione, nisi sit in dolo, vel de euictione se obligauerit, 302

Donatori imputari non potest cur futuram ingratitudinem non præuiderit, 381

omnis qui Donat, donando non perdit, 344

quisquis Donat, id agit vt patrimonium suum minuat, si non id etiam agit, vt perdat, 381.

Dos minor, maiorve constitui debet ex dignitate mariti, 31. 261. *& 262. constituenda & soluenda fauorabilior est, quàm restituenda,* 130. 252. *& 489*

Dos succedit loco legitimæ, 122

Dos ita potest constitui à patre, vt tamen ab eo viuo non petatur, 136

Dos ab augmento quomodo separari non debet, 156

Dos non est aufferenda marito, qui quidem non aliis legibus fuisset vxorem ducturus, 161

Dos & dotis pacta omnia regulariter transeunt ad heredes quoscumque, etiam extraneos, 200

Dos vna & eadem non debet diuerso iure censeri, ibid.

Dos sine matrimonio esse non potest, sed non ideo extinguitur ius eorum, ad quos dos pertinere debet, 201

Dos promissa sub condicione, quæ non nisi soluto matrimonio extitit, non eo minus soluenda est, ibid.

Dos purè data à Theodoro Aymoni Comiti in castris Lancei, Ciriaci & Casellarum, 251. *data eodem contractu, quo & ipse Marchionatus, quæ etiamnum hodie possidentur à Duce Sabaudiæ, tanquam herede & successore Violandæ,* 280. *traditio eorum castrorum potuit sufficere pro traditione totius Marchionatus,* 283

Dos licet desinat esse soluto matrimonio, non tamen extinguntur pacta dotalia, & remanet dos eius cui fuit promissa, nec retinet nomen dotis, 279. *nisi ex ratione iuris, vel ex pacto aliquid sit,* ibid.

Dos datur mariti eo animo & voto, vt penes eum perpetuò sit, 280. *& 259*

Dos esse non potest sine matrimonio, licèt matrimonium esse sine dote, 278

Dos purè & sub condicione potest constitui, 126. *& 281*

Dos conditionalis verè est dos, 283
Dos in dubio præsumenda, quia semper fauorabilior, 282
Dos constituta, à constituente, nec ab alio deterior fieri potest, 298. & 448
Dos quæ ab initio valuit, fauorabilior est, quàm quæ fit inter coniuges, & quare, 382.
Dos anterior, anteriorem præ se fert hypothecam, 489
Dotalis rei restituendæ dominium soluto matrimonio transit recta via in mulierem, citrà vllam traditionem, 130
Dotalis conuentionis interpretatio Mantuanorum prorsus improbabilis est, 195. & 196.
Dotis causa inter pias causas enumeratur, 129.
Dotis contractus re contrahitur, & traditione perficitur, ibid.
Dotis priuilegium est, vt in eius fauorem sine vlla traditione & possessione transferatur dominium, 129
an in Dotem quid detur, an promittatur nihil interest, 132
in Dotem & dari & constitui possunt omnia mulieris bona, & partim purè & partim sub condicione, 134
Dotis inofficiosæ actio non competit parenti, qui dotem dedit, sed eius liberis, ibid.
Dotis constitutio vt valeat, nihil interest an dos per traditionem constituta sit, an per promissionem: sicut neque an purè, an sub condicione, ibid.
Dotis fauor suadet vt totum pactum dotale valere debeat, potiùs quàm vt pro parte inutile fiat, 137
pro Dote possunt bona feudalia obligari & alienari ex statuto Sabaudiæ, 167
Dotis stipulatio semper creditur interuenisse ex parte mulieris, 193
ex sola Dotis pollicitatione datur actio, nulla etiam stipulatione intercedente, 202
Dotis causa & publica & pia esse creditur, & omnium fauorabilissima, 247
Dotis datio est titulus habilis ad transferendum dominium, adeóque interdum ipso iure, 252
Dotem constituere etiam priuatus potest, nuda pollicitatione, 254
Dotis acquisitio cùm sit iusta & perpetua, transit ad heredes quoslibet, 280. *quamuis non transeant omnia priuilegia dotis,* ibid.
ex causa Dotis acquiri potest dominium marito, & communibus liberis, 303
in Dubio facti præsumendum est omnia solemniter acta, 18
in Dubio, maximè in antiquis, Notarius rogatus præsumitur, 20
in Dubio illa interpretatio capienda est, quæ pro dote fauorabilior est, 210
quæ Dubitationis tollendæ causa adiiciuntur, ea ius commune non ladunt, 162
Duces Sabaudiæ cur adhuc hodie possideant castra Lancei, Ciriaci, & Casellarum, 29
Ducis Sabaudiæ intentio benè fundata, 173.
Dux Amedeus quomodo nullam, vim neque metum intulerit Ioanni Iacobo Marchioni Montisferrati in partis Tononensibus, 331
Dux Sabaudiæ quamam & quanta contulerit in Marchionem Montisferrati ad promerendam illam donationem, 332. & *seqq. quàm exactè fidem seruauerit, in omnibus,* ibid.
Dux Sabaudiæ in bonis sibi donatis & à se postea infeudatis, nudum nomen dominii directi & ius Superioritatis solùm retinuit, 333

tutibus, 294.
quidquid fit in consequentiam Contractus liciti, non potest dici non licitum, 325.
quod ipsis qui Contraxerũt obstat, multò magis obstat ipsorum successoribus, 335.
Contractus tempus præcisè inspiciendum est, cùm quæritur an ex illo quis sit lasus, 362.
Contractus non possunt pro parte tenere, & pro parte rescindi, etiam petita restitutione, 389.
qui ex aliquo Contractu retinet rem, tamdiu contractum illum adprobare videtur, & etiam in singulis momentis, 391.
Contradictio eorum qui consentire debent, & qui ex pacto sunt obligati non attenditur, 132.
Conuentiones Principum pro legibus iustis censentur, 11.
Conuentiones in vno contractu dotali adpositæ, facilè in posteriore contractu æquè dotali repetitæ præsumuntur, 33.
Conuentionis cuiuslibet validitas ex initio inspicienda est, non ex euentu, 137.
Conuentiones quamplurimæ persimiles ei, de qua disputatur, 143.
Conuentionis expressæ executio, expressa ratihabitio est, 368.
Conuentiones omnes à Theodoro, Ioanne, ac Bonifacio initas simul stant, 448. & 449.
Conuentionis dotalis Blancæ cum Carolo I. Sabaudiæ Duce, verba, 444. Bonifacius in eo contractu reseruauit sibi liberam facultatem disponendi de Marchionatu, 458.
Creditor hypothecarius censetur potior, cuius pecunia, licèt posterior, salnam fecit totius pigneris causam, 439.
Cuius est totum, eius & partes esse necesse est, 315.

D.

DAmnum quod quis ex culpa sua sentit, sentire non videtur, 365.
Dare, aliud est, aliud verò datum significare, 63.
Dari aliquid purè, & sub condicione simul, implicat contradictionem, 234.
inter Dationem libertatis & cæteras alienationes, diuersitatis ratio, 295.
Debitum, etiam condicionale, ad creditoris interca defuncti heredem transmittitur, 201.
Decij sententia de Notarijs rogatis, 15. & 19. eius opinio damnata in cons. 185. & 395. pag. 162.
Decius & Socinus reprehensi, 68.
Deceptis, non decipientibus subuenit SC. Macedonianum, 357.
quod non Decere dicitur, licere significatur, 374.
Defuncto quod non licuit, nec licere potest heredi: & è contrario, potuit licere defuncto, quod non licere deberet heredi, 376.
Denominatio debet sumi à confirmante, non à confirmato, 352.
Depositarius non tenetur nisi de dolo, & quare? 347.
Depositi restitutio promissa, probat depositum, ibid.
Descendentium nomen est collectiuum pluriũ graduum, 7. etiam fœmina & masculi ex fœminis continentur, 181.
Descendentes per fœminas non minùs successionis feudalis sunt incapaces, quàm ipsa fœmina, 100. neque enim debent esse melioris condicionis quàm fœmina, ex quibus descenderunt, 101.
Descendentes ex fœmina agnata, non sunt amplius agnati, sed cognati, 482.
cùm quæritur an quis ab alio Descenderit, nihil interest an viuo eo conceptus sit, necne, 267.
Determinatio par & vniformis fieri debet, 89. & 361.
Determinabilia plura in eadem clausula, debent

bent vniformiter determinari, 233
aliud eſt Dicere, in perpetuum: *aliud,* in infinitum: *ſicut & aliud,* in æternum. 84.
Dictio, heredibus, *intelligi debet de maſculis, cùm loquimur de feudo nobili, recto, gentili, antiquo, auito, & paterno,* 13. & 36
Dictionis, vlteriùs, *poteſtas & ſenſus,* 188
Dictio, omnes, *cùm ſit vniuerſaliter collectiua, comprehendit omnium graduum perſonas.* 232
Dictionis, procreatos, *verus ſenſus,* 236
Dictio, ſicut, *omnimodam ſimilitudinẽ denotat in omnibus, & per omnia,* 253
Dictio, ex, *denotat cauſam proximam & immediatam,* 268. *non tamen ſemper* 270. *& quid* in l. Lucius. 85. de hered. inſtit. 271.
Dictionis, donec, *ſenſus & poteſtas,* 289
Dilatio moroſa implendi quod promiſeris, parum à denegatione diſtat, 353. *in addit.*
Dilemma, concludens, 172. 362. 441. 458.
Diminui poteſt id quod totum alienari poteſt, 441
in Diſpoſitionibus condicionalibus ſemper & præcisè inſpiciendum eſt tempus euenientis condicionis, 184
Diſpoſitio habenda eſt pro pura, cuius condicio alternatiua iam pro vna parte eſt impleta, 233
Diſpoſitio pura ſemper fauorabilis eſt, 246
Diſtractus, qui fit per in integrum reſtitutionem, eſt vltrò citróque obligatorius, 390
Diuerſitatis ratio vbi in latitudine nulla eſt, tota latitudo præſumẽda eſt qualis pars, ſi de contrario non conſtet, 43
Diuerſitas euentus, diuiſionem iuris aut voluntatis non poteſt inducere, 137
Diuerſitatis & ſpecialitatis ratio, 381
Dolus inducitur ex eo ſolo, quod ſi faciam vt des, poſtquam feci, ceſſas dare, 326
Dominus ſolus infeudare & inueſtituram concedere poteſt, 383
Dominus directus per mediam vaſalli perſonam iura ſua omnia poſſidere ac retinere intelligitur, 591
Dominus non poteſt amplius fieri dominus. 443
Dominium ſine poſſeſſione ex variis cauſis transferri poteſt, 129
Dominium & poſſeſſio transferri poſſunt ſub condicione, 127. 128. & 284
Dominium quod alicui ſemel quæſitum eſt, non poteſt ab eo inuito, ſine cauſa, diſcedere. 251
Dominium poteſt abire ab eo qui illud habuit per euentum condicionis, ſine vlla traditione, 291
Dominia licèt acquiri ad tempus non poſſint, in ſuſpenſo tamen manere poſſunt. 296
Donatio perfecta, nullas poſtea recipit condiciones, 58
Donatio inter patrem & filium valet dotis cauſa ex interpretum opinione, & contra iuris regulas, 129
Donationes inofficioſæ aliter reuocantur cùm in liberos collatæ ſint: aliter verò cùm in extraneos, 159
Donatio Ioannis Iacobi Amedeo VII. Sabaudiæ Duci, 168. 169
Donatio, & dotis datio pari paſſu ambulant, 282
Donatio facta Philippo Principe Achaiæ, 290. *& quomodo,* 291
inter Donationem & promiſſionem de donando hodie nihil intereſt, 330
Donatio facta certis legibus & condicionibus, non eſt pura & abſoluta, 350
Donatio etiam ſit per ſtipulationem, ſed impletur per traditionem & translationem dominij, 377
Donationes per vim & metum extortæ non ſunt legitimè factæ, ibid.

bent simul succedere equaliter, 179
Feuda recta & propria non possunt alienari, 489
Feuda impropria sicut possunt alienari, ita & in dotem dari, 489
in Feudi improprij concessione, solet dari latissima potestas de feudo disponendi & cur, 49. & 50
Feudum est impropriandum, vt ad illud fœminæ admitti possint, 44
in Feudo, etiam improprio, vocantur masculi per prius, fœmina autem non nisi per posterius, 71. & 72
Feuda impropria dantis arbitrio aufferuntur, 177
Feudum etiam improprium & alteratum retinet naturam recti & proprij feudi, nisi in eo in quo expresse fuit alteratum, 178. & 179.
Feudum hoc tanquam improprium, potuit alienari etiam irrequisito Imperatore, 300.
Feudum improprium & alienabile sicut est transitorium etiam ad extraneos, ita & multo magis ad fœminas, 301
Feudi paterni & antiqui differentia, 60
de Feudo paterno, fraterno, & nouo distinctio, 75. 76. & 87. singularia quædam de successione feudi paterni, noui, & fraterni, 76. & seq. item 86
Feudum antiquum esse, aliud est, aliud verò antiqui iure censeri, 55
Feudum non dicitur paternum, ad differentiam auiti, nec auitum ad differentiam antiqui; sed habet hæc tria nomina ad differentiam feudi noui & fraterni, 95
Feudum paternum non potest retineri per filium, nisi paternam adierit hereditatem, 91
in Feudo paterno possunt succedere agnati quotcumque gradu distent à primo investito, & quotcumque gradu inter se distent, 92. & 93. contra iuris canonici regulas, 93
Feudi paterni alienationi consentire omnes agnati debent, in quocumque gradu sint, & sine vlla graduũ distinctione & enumeratione, 91. & 114
in Feudo hereditario non alius potest succedere, quàm qui sit heres primi inuestiti, siue ex suo capite, siue per mediam vltimi possessoris personam, 120. vt quis succedat, non requiritur quod sit heres ex asse, sed sufficit vt sit heres ex parte aliqua, vel minima, 121
in Feudi hereditarij successione non nocet volenti succedere, quod non sit heres, si non sit ei delata hereditas, ibid.
Feudum hereditarium potest, & per testamentum, & per pactum alienari, in præiudicium vocatorum, si sint heredes pacisscentis, 146. & 147
in Feudo hereditario masculi descendentes & vocati non possunt improbare factum defuncti, 151
ad Feudum hereditarium alius non admitti potest, quàm qui mediatè, vel immediatè est heres primi inuestiti, 173. & 484
Feudum Marchionatus non est ex eorum genere impropria ideo dicuntur, quòd pro arbitrio concedentis aufferri possint, 177.
alteratum & improprium esse apparet ex obseruatione secuta ab Aledramo, vsque ad Ioannem filium Theodori, 304
non potuit alterari in præiudicium iuris, 160. nec vllo modo alteratum fuit per concessionem Caroli IV. 161. 162. & seqq.
semper fuit improprium & alienabile in linea & familia Aledrami, 70. & 163
Feudum dignitatis sui natura indiuisibile est, 123
Feuda poterant olim aufferri ad nutum & arbitrium concedentis: sed hodie non, nisi ex certis

ex certis cauſis, & ex quibuſdam duntaxat caſibus, 42
Feudum alienari poteſt irrequiſito conſenſu ſuperioris, & ſubditorum, ſi alienetur in digniorem & potentiorem, 300. & 476.
Feudi alienatio, etiam paterni, poteſt fieri irrequiſito conſenſu, ſiue domini, ſiue agnatorum, dummodò fiat in aliquam ex perſonis in inueſtitura comprehenſis, 210. & 211
Feudum quodlibet minorem habens dignitatem regia facilius alienari poteſt, quàm regnum, 475. & 476
Feudum, quod dicitur ex pacto & prouidentia, non poteſt alienari in deſcendentes ex fœmina, non magis quàm in extraneos, 13
excluſi à Feudo, aut tardius vocati qui, 179. 180. *ſemel excluſi non eo minùs admitti poſtea poſſunt, ſi non alium aduerſarium haberent, quàm dominum directum,* 181
in Feudis perſona ſemel excluſa, ſemper ac perpetuò remanet excluſa, 484
Feudum non tam dicitur venire ad eos, qui in eo ſuccedunt, quàm reuerti, 114
Feudum ſemel reuerſum ad dominum, poſtea ab eo diſcedere nunquam poteſt, ſine noua inueſtitura, 117
ad Feudi dominum deuoluitur feudum, quoties aliquis feudo priuatur ob delictum aliquod admiſſum in ipſum dominum, excluſis omnibus agnatis & proximioribus, & rematioribus, 81. & 82
Feudi reuerſioni ſpem ad dominum, oportet eſſe conſiderabilem, probabilem, & præſumptam, vt de eo fieri poſſit noua inueſtitura, 308. 309
Feudum quando deuoluatur ad Imperatorem, 174
Feudum quod nullum eſt, non poteſt augeri, 51
Feudi dominus poſſidet per vaſallum, ſicut per emphyteutam, 443
Feudatarius in vna re, præſumitur feudatarius in alia, 43
inter Feudale & hereditarias ſucceſſiones ratio diuerſitatis, 117
in Feudali materia ſoli maſculi continentur appellatione heredum & agnatorum, 481.
Fideiuſſor ſponte interueniens pro eo qui vim paſſus eſt, non habet exceptionem, aut reſtitutionem, 370
Fideiuſſoris datio ſponte facta, purgat metum qui in principali negotio interuenit, ibid.
Fides cum omnibus hominibus ſancta eſſe debet, 221
Fidem ſeruare melius eſt, etiam cum grauiſſima patrimonij iactura, quàm fidem fallere, 327
Fides mala defuncti, & vicia poſſeſſionis tranſeunt in heredes, quamuis ignorantes, 388
qui Fideicommiſſum in familia relinquere iuſſus eſt, etiam remotiorem, modò ex familia ſit, poteſt eligere, niſi cùm fideicommiſſi gradus præſcripti ſunt, 92
in Fideicommiſſo fundi, quem quis in familia relinquere iuſſus eſt, proximior videtur primo loco inuitatus, & quidem proximior vltimo decedenti, qui iam fideicommiſſum obtinuit, 116
Fideicommiſſum eſt odioſum, maximè illud quo pater, vel mater erga proprios liberos adſtringuntur, 197
Fideicommiſſum, de quo loquitur Iuſtinianus in Nouell. 159. vt reſtit. fideic. vſque ad quart. grad. conſiſt. *quale ſit,* 223. *& variè correctiones illius tituli, ibid.*
ex Fideicommiſſo vnico cur Paulus conijciat duos gradus fideicommiſſi in ſpecie d. §. Sola libertis, 219.
Fideicommiſſum tam odioſum eſt, quàm dos fauorabilis, 246

aliud est tractare de Fideicommisso interpretatiuo : aliud verò de pacto dotali apertissimis verbis concepto, 223
Fideicommissum ab amico datum, ex solis inimicitiis superuenientibus, ademptum intelligitur, 413
Fideicommissarius in vicem & locum heredis directi succedit, nec tamen ei succedit, sed testatori, 90
Filius succedit patri ipso iure, 91
Filius & filia patri & superstites & heredes ordo iuris & naturæ suggerit, 126.
Filius qui legitimam habet titulo institutionis, pro herede partiario quodammodo est, & iure adcrescendi admittitur in tota hereditate, ac si haberet partem hereditatis, 122
Filius propriè patri agnatus proximus non est, 159. *tanquam agnatus, & tanquam cognatus admittitur ex capite,* vnde legitimi, *& ex capite,* vnde cognati, *ibid. consensisse præsumitur, aut consanguineus fuisse patri, si iustam contradicendi causam non habuerit, ibid. non audet contradicere patri,* 3
Filio non semper permittendum est, vt renocet ea quæ pater reuocare potuit, si voluit, 374
Filij hodie succedunt in feudis iure tacitæ cuiusdam confirmationis, 107. & 108
Filius, aut alius susceptus etiam ex persona exclusa, potest venire ad feudum, (quod olim etiam recipiebatur in cæteris bonis) ex proprio capite, dummodò sit comprehensus in investituris, & veniat ex noua delatione, & in nouum casum, 183
Filiorum *appellatione, etiam omnes descendentes continentur, multo magis nomine* liberorum, 205. *ex voluntate proferentis, & coniectura voluntatis sumendum est quid* filij *appellatione contineri voluerit is qui protulit,* 207
in Filiorum *nomine est ambiguitas, non in nomine* liberorum, 207. 208
Filiorum *appellatione quando nepotes contineantur in fideicommissaria substitutione,* 211
Filiorum, *dictio, potiùs est amplianda per dictionem,* liberorum, *quam hæc per* filiorum, 211
Filia olim non poterat stipulari à patre, salua patria potestate, neque dominium ab eo acquirere, etiam per donationem, 192.
Filia potest stipulari & accipere à patre fauore dotis, ex DD. opinione, quæ impugnatur, 193
Filia semel excluſa à feudo, manet in perpetuum excluſa, 176. & 240. *semel excluſa per existentiam masculi, semper & in perpetuum remanet excluſa, nec reuocatur ad successionem per defectum eiusdem masculi postea contingentem,* 183.
qui Filias suas & proximiorum masculorum excludit, multo magis remotiores excludere creditur, 250
Filiafamilias ex opinione DD. hodie in dote profectitia potest habere heredem, 200.
Filiæ alterum habere debent aut dotem, aut parentis successionem, 216
Finem habere non potest quod initium nullum habuit, 466
Fisci priuilegium est, vt sine vlla traditione & possessione transferatur in eum dominium, 129
de Fœminis aut excludendis, aut admittendis non solet tractari in concessione, nisi cum de feudo agitur, 45
Fœmina tam ex masculis, quàm ex fœminis descendentes arcentur à successione feudali, 481
Fœminæ quæ possunt succedere in feudo, masculis deficientibus, possunt ex ijs bonis dotari; etiam superstitibus masculis, 490. & 491

Fœmina quoties admittitur ad feudum, admittuntur etiam omnes ex ea descendentes, præsertim masculi, 277
qui Fundum aliquem in familia relinquere iussus esset, nihil contra fideicommissum faceret, si illum alicui extraneo relinqueret, in casum quo nemo amplius de familia supereſſet, 150
de Fundo pluribus ex ordine per fideicommissum relicto, 113
Fructuarius non potest ea facere, quæ solis dominis permittuntur, 50

G

Graduum in liberis Theodori computatio, 224. & 225
Guillielmus retinuit feudum Theodoro concessum, quoniam erat ipsius heres, 152. *moriens inteſtatus heredem habuit Blancam in allodialibus, sed in Marchionatu Bonifacium fratrem,* 187

H

Heredum nomen quid sonet in inuestitura, & in feudis, 66. & 67
Heredum appellatione omnes successores cuiuscumque sint sexus, aut gradus significãtur, 67. *nec ab ea interpretatione recedendũ est, nisi cùm agitur de feudo, aut in casibus expreßis,* ibid.
Heredes legitimi succedunt in hereditatibus quasi scripti heredes, 108. *fideicommisso grauari possunt,* ibid. *ab inteſtato succedunt quasi tacito defuncti iudicio instituti,* 185. & *potiùs ex prouisione legis, quàm hominis,* 186
Heres heredis est heres teſtatoris, 126. & 462.
Heres secundus, & tertius, & alij omnes deinceps eodem iure censentur, quo primus heres, 465
qui Heredem iam habet, alius heres vltrà adiici non potest, 189
Heredi suo nemo potest esse obligatus tanquam heredi, 273
Heres non potest improbare factum defuncti, 185. & 298
Heres non debet retractare donationes, quas is qui donauerat, in diem mortis suæ non retractauit, 324
Heres non tenetur ex facto defuncti, quod nullum fuit ipso iure, & factum contra iuris prohibitionem, 170
Heredi non ei permittitur vt de iniuria facta defuncto conqueratur, cum defunctus non conqueſtus fuit, si potuerit, 323.
Heredes & successores succedunt in vitia defuncti, 450
Hereditatis emptor succedit in locum heredis, nec tamen ei succedit, sed teſtatori, 90
Hereditas non constituitur in vltimo instanti vitæ, sed in primo post mortem, 136. *nulla est viuentis, sicut nec heres,* ibid.
Hereditatem legitimam dare aliud est, aliud verò non adimere, 186
Hereditas semel adita, non potest repudiari, sicut nec repudiata adiri, 190
Hereditatem vltimi repudians omnes quoque hereditates quæ fuerant ei delatæ repudiat, 462
Historia fidem adhiberi oportet, præcipuè contra producentem, 55
Homines natura sunt pares, & eiusdem condicionis, 40
Honestè facere quod quis non potest, nec facere posse absolutè credendus est, 381
Hypotheca etiam pro debito condicionali potest purè accipi, 309
Hypotheca specialis non tollit tacitam generalem, 495
Hypothecaria semper auscat nudam possessionem, 497

INDEX

I

IDem dici potest quod continuatiuè est idem, 270
Ignorare non præsumitur ab aliquo, quod omnes viderunt, 154
Ignorantia iusta non habet locum in iis quæ palam & publicè fiunt, 155
Illicitum haberi debet pro licito, quoties in tempus licitum confertur, 150
Imperator non est credendus quicquam frustrà, multo minùs ineptè facere velle, 45. *non est consulendus, cùm iure ciuili aliquid iam concessum fuit,* 153. *non tribuit quod iure ciuili conceditur: sicut nec solet Prætor audire illum, qui petit restitutionem in integrum, si videat eum ipso iure munitum,* 170
de Imperatorum erga Duces Sabaudiæ voluntate non malè suspicandum est, 299
Imperator, aut alius Princeps non præsumitur scire quæ sunt facti alieni, 300. *intellegitur facere omnia teste iure,* 452
ab Imperatore petendum non est, ne id faciat quod non nisi iniustè facere posset, 452. *nec quod iure conceditur,* ibid.
Imperatori semel aliquid placuisse satis est vt omnibus successoribus in Imperio in perpetuum placeat, 475
Imperatoris nihil interest vt habeat digniorem vasallum, 476
ex Imperio mero potissimùm æstimatur Cæsaris potestas, 40
Impossibile dicitur quidquid est contra bonos mores & publicam honestatem, 479
Immutatum quod non est, cur stare prohibetur, 431
Inclusio vnius est exclusio alterius, 394
Indefinita æquipollet vniuersali, 61. 231. & 285.
Inducta ad vnum finem non debent contrarium effectum operari, 22
Inducta ad augmentum non debent operari diminutionem, 258. & 278
Infeudatio est beneficium, beneficium verò species quædam donationis, 350
Infeudatio facta à Duce Sabaudiæ, quàm vtilis Ioanni filio Io. Iacobi, 351
Infinitas in hereditatibus & successionibus iuris communis ad decimum vsque gradum extenditur, 82
Infinitas nunquam est prohibita, cùm ea mens fuit contrahentium, 264. *regulariter non est tolleranda,* 263. *semper tolleratur, nisi cùm ex ea sequitur absurdum,* 264
Infinitum quo sensu Prudentes nostri admittant, 263
de Infinito variorum iuris locorum applicationes, 263. & seqq.
Ingratitudo omnium maxima est, pacta non seruare, & fidem ei fallere à quo beneficium acceperis, 326
Ingratitudo eius qui beneficium accepit tempore necessitatis grauior est nolens solùm agnoscere, 348
in Ingratos nulla pœna iure ciuili constituta, & quare, 479
Iniuria vnde dicta, 68
Iniuriam nullam accipere videtur, qui semel voluit, 153
Iniuria non debet proficisci à Principe, à quo omnia iura nascuntur, 301
Iniuriarum actio omissa, aut alia quæ grauiorem querelam habeat, repeti postea nunquam potest, 414
Inseparabilitatis verbum vsurpatum & repetitum in pactis Tononensibus, Taurinensibus, 456
in Inseparabilibus quod de vno dicitur, de alio quoque dicendum est, 484
Instrumenti dotalis verba, 14. & 15. *constructio eorum,* 15. *qui Notarij rogati fuerunt, ibid. & seq. cur Raynaudus solus,* 27. *qui non voluit facere instrumentum dotale inutile,* 27
qui aliquod Instrumentum receperit, tanquã Notarius rogatus præsumendus est, 19
Instrumenti solemnitas perfici potest per

cuius Notarij subscriptionem, perinde ac per plurium, 23. veritas probatur ex secuto effectu, 28. probatio omnium fortissima est, quæ colligitur ex obseruatione pacti, 29. est sufficiens cùm instrumentum sortitum fuit effectum, 30

Instrumentorum pluralitas non præsumitur, 28.36.& 193

contra Instrumenti formam extrinsecam, intra primam dilationem opponendum est, 33

Instrumentum exhibitum, si non statim ab aduersario impugnatur, ab eodem admitti videtur, ibid.

pro Instrumento in dubio præsumendum, 33.& 34.

de Instrumento inuestituræ & concessionis Ottoniana Aledramo I. Marchioni Montisferrati facta, 34. *originale tandem inuentum,* 36

Instrumenti pars vna per aliam declaratur, 236

Intestatus qui moritur nihil facit quod imputari ei possit, 482

Interdicto quorum bonorum *agens, debet probare id quod petit fuisse in bonis, & in hereditate defuncti,* 211

Interpretatio sumenda ea est in dubio, per quam actus sustineatur potius, quàm pereat, 18.& 168. *ea maligna est, per quam fit vt actus pereat,* 18.& 137. *illa non est capienda, per quam Imperator posterior censeatur derogare velle ei quod à prioribus factum est,* 161. *ea admitti non debet, quæ nec verbis conuenit, nec voluntati,* 208. *in dubio illa capienda est, quæ pro dote fauorabilior est,* 210. *quæ plena est mali ominis, & tristis euentus vitanda est,* 215. *alia atque alia facienda est secundum subiectam materiam,* 236. *fauorabilis ea est, quæ condicionalem dispositionem facit puram,* 246. *quæ facit vt verba sint superflua, nunquam debet admitti,* 273

Inuestitura vim habet, sola obsequiorum & seruitiorum mentio in concessione, 41

Inuestitura nomine quid propriè significetur, & in vsibus feudorum, 51.52

Inuestitura & feudum idem est, 64

Inuestitura renouatio quid, 114

Inuestitura posteriores debent intelligi secundum primam, si prima non sit immutata, 161

Inuestitura semper intelligitur fieri saluis iuribus alienis, 301. *cur non valeat de re aliena, siue à sciente facta sit, siue ab ignorante,* 302. *& quàm periculosa,* 308.

qui Inuestiuit aliquem de re aliena, tenetur de euictione, 302

Inuestitura omnes sequentes præsumendæ sunt renouationes precedentium, potiùs quàm nouæ inuestituræ, 305

in Inuestitura feudi improprij, verbum, heredibus, *stat propriè, vt etiam fœminas comprehendat,* 306

Inuestitura etiam eius rei, quæ per mortem vasalli ad dominum redire speratur, odiosa est, nec laudabilis, 308

Inuestitura prima Marchionatus Montisferrati, 6. *secunda,* 7

Inuestituræ posteriores de Marchionatu factæ ab Imperatoribus, quare non potuerunt valere, 303

Inuestiturarum Marchionatus Montisferrati interpretatio facienda ex eo quod postea secutum & obseruatum fuit, 187

Inuestituræ ab Henrico VII. factæ Theodoro, vnde interpretatio sumenda est, 164.

de Inuestitura concessa Margaretæ, & marito Ferdinando Gonzaquæ per Carolum V. Imperatorem, 174

Inuestituræ nouæ à Carolo V. Imper. per Margaretam petitæ, color, 317

Inuestitura per Carolum IV. concessa Io. filio primi Theodori, 421

Inuestituræ Federici Imperatoris, verba,

424. à quo obtenta, ibid. & 426. 428. & de quibus locis potissimùm facta, 427. & error facti euidens in illa inuestitura, ibid. non est absoluta, 434. dictio, forsan, posita in ea inuestitura, quare, 429. ponderatur, 435. quàm multis obiectionibus & subreptionibus laboret ista inuestitura, 432. & seqq.

de Inuestitura obtenta per Guillielmum II. 449. 450. & de illa in fauorem Philiberti Ducis Sabaudiæ, 450

Io. Iacobus quibus rationibus moueri potuerit & debuerit, vt donationem cõferret in Amedeum Ducem, 327. nullus metus, nec vis ei illata fuit, 328. 331. fuit pacificus possessor Marchionatus, 334. quæ Marchio Duci Sabaudiæ donauit non tam donasse, quàm certo permutationis genere in eum transtulisse credendum est, 349

Io. Iacobus & eius filius Ioannes nunquam de vi & metu conquesti sunt, 336. 337. 355. & 358.

Io. Iacobi filius an detentus fuerit in carcere Taurinensi, 360. superuixit per plures quàm triginta annos, à die pactorum Tononensium, 387

de pace Io. Iacobi Marchionis cum Duce Sabaudiæ, 342. 343. 346. condiciones, 347.

Io. Iacobus Marchio quatuor filios habuit, 351. 388. alienauit & donauit, non Ioannes eius filius, 427

Io. Georgius vltimus masculus ex linea Paleologa decedens sine liberis, Carolo II. Sabaudiæ Duci superstiti successionem Marchionatus Montisferrati reliquit, 9. si potuerit disponere de Marchionatu in fauorem Margaretæ & masculorũ ipsius, 185. non fuit vltrà quartum gradum à Theodoro, sed in quarto gradu, 224. de Marchionatu non disposuit, neque inter viuos, neque in vltima voluntate, 248. filiam nullam reliquit, & si reliquisset, cur dotanda fuisset à Carolo Sabaudiæ Duce, 269

Io. Georgij mors inopina, 310. euenit sine masculis descendentibus & transuersalibus, 317

Io. Theodori filius, quomodo de Marchionatu Montisf. disposuerit, 166. & quomodo filij eius in eo successerunt, ibid. & seqq. & de ipso disponere potuerunt, 168. & seq. nullos habuit liberos iam natos tempore pacti dotalis, 242. nec ipse nec eius descendentes masculi interpretati sunt pactum illud, vt Mantuani interpretantur, 243

Iudex debet pronunciare super conuentionibus litigatorum, 358

Iudicij & voluntatis varietas semper erubescenda, nisi in melius facta, 58

Iudicare vltrà petita quale sit, & cuius sit, 487.

Iurare permittitur in infinitum, 263. & 264.

Iura, quæ Aymo Comes eodem instrumento dotali remisit in perpetuum, 256

à Iure nihil tam alienum, quàm iniuria, 68.

re suo potiùs, quàm alieno feciſſe quilibet præsumendus est, ibid.

toto Iure testa[illegible]telligitur fieri id, quod fit coram Principe, 30. 68. 365. & 452

Iure ipso, aut, pleno iure, quid, 132

eo Iure, quod ex tua persona habeo, possum vti te inuita, 177

Iuris fictiones non extenduntur ad ea quæ sunt facti, 239

Iuri iam quæsito ex pacto dotali non potuit derogari per concessiones posteriores Imperatorum, 297

Iuris executio non habet iniuriam, 325

Iuris ratio pro temporum varietate mutari non debet, 487

Iurisdictionis propriũ & singulare ius est, vt in dubio semper allodialis præsumatur, non feudalis, nisi expressim de contrario constet, 39

Iurisdictio nunquam est sine imperio, 40.
Criminalis, nihil aliud est quàm imperium mixtum, ibid.
Iurisdictionem plenam habens in aliquo territorio, maius imperium in eo territorio habet omnibus, post Principem, ibid.
Iurisdictione alicui concessa, si ille abutatur, debet ad cõcedentem iurisdictio redire, 42
Iurisdictiones omnes præsumuntur datas esse à Principe, & feudales, 43
Ius gentium nullas agnoscit solemnitates, 26
Ius dicenti extra territorium impunè non paretur, 43
Ius est certius, quàm factum, 79. est certum & finitum, 487. ex facto pendet, & facti quæstio antè omnia discutienda est, 434
Ius proprium & singulare est donationum, vt quamuis ab ipsis donatoribus retractari possint, ab ipsorum tamen heredibus non possint, 381
Ius quæsitum aliquibus, saltem in spe probabili, iis inuitis aufferendum non est, 145. quod acquiritur ex contractu est potentius, quàm quod ex testamento & alia specie qualibet vltimæ voluntatis, 299 quod ex aliquo priuilegio alicui acquisitum est, facilius tollitur, quàm quod ex contractu iurato, 433
Ius accrescendi non habet locum in feudis, 123.
Ius tertij semper intelligitur reseruatum, 453
Ius quod quis ignorat sibi competere, non intelligitur remittere, 446
Ius totum retinetur retentione partis, & præscriptio totius impeditur, 469
Ius Romani Imperij semper exceptum in pactis Tononensibus & Taurinensib. 439
Iusiurandum non est contra bonos mores naturales, dummodò non inducat votum captandæ mortis, 140

L

Lauda Taurinenses verba, 390. 391. 392.
Leges vltra quàm dictum sunt, quando comprehensa non erant in pactis Tononensibus, 494. in ipsius cõfirmationem quæ subsecuta, 395. & multis seqq. pag.
Legatum condicionale non transmittitur ad heredem: stipulatio condicionalis transmittitur, 295
Legitima nec augeri, nec minui potest, & nihil pro legitima relictum sit, 51. non tam hereditatis pars est, quàm bonorum, 121. per patrem constituta filia in bonis feudalibus, facit eam capacem totius feudi, etiam hereditarij, 122
Legitimè factum propriè quid sit, 379
Leges legibus sunt concordandæ, quantùm fieri potest, 95
qui Legibus certis aliquid vult, declarat satis nolle se absque iis legibus, 310
Legem quam voluerit bonis suis dicere quilibet potest, 139
Legis vlt. D. de his quæ in testa. delent. *applicatio, 22. & 23*
Legis cum tabulæ. 7. D. de bonor. poss. secund. tab. *applicatio, 24*
Legis heredes palam. 21. §. 1. D. qui testament. fac. poss. *applicatio, ibid.*
Legis vbi numerus. 22. D. de testib. *explicatio, 26*
Legis 1. §. generaliter, D. de legat. præst. *applicatio, 61*
Legis dotem. 30. D. de iur. dot. *applicatio, 104. & 105*
Legis & si non totam. 13. & seqq. D. si quis omiss. caus. testam. *applicatio, 122. & 123.*
Legis si ego. 9. §. si res, D. de iure dot. *applicatio & explicatio, 130. & 131*
Legis vnic. C. de inoff. dot. *applicatio, 139.*
Legis vel singulis. 37. de vulg. & pupill. substit. & heredes mei. 57. §. vlt. D. ad SC. Trebell. *applicatio, 158*
Legis si dotali. 48. D. solut. matrim. *applicatio, 205. & 206*
Legis illam institutionem. 51. in fin. D. de

hered. inſtit. *applicatio*, 209
Legis Titia Seio. §. Seia libert. de legat. 2. *explicatio*, 219
Legis ſi vir vxori. 61. de condic. & demonſt. *&* *l.* Gallus. 29. §. ſequenti parte, D. de liber. & poſth. *applicatio*, 230.
Legis commodiſſimè. 10. D. de liber. & poſth. *applicatio*, 231
Legis Gallus. 29. §. videndum, D. de liber. & poſth. *applicatio*, 235
Legis ſolemus. 9. D. de condic. & demonſtr. *applicatio*, 237
Legis ex facto. 17. §. pen. D. ad S. C. Trebell. *applicatio*, 245
Legis donationes. 26. C. de donat. inter vir. & vxor. *applicatio*, 252. 253
Legis Lucius. 85. D. de heredib. inſtit. *applicatio*, 271
Legis parer. 76. D. de iur. dot. *applicatio*, 281.
Leg. Iulianus. 20. D. de iur. dot. *&* *l.* vlt. §. 1. D. de vulg. & pupill. ſubſtit. *applicatio*, 282
Leg. 3. C. de donat. *&* *l.* conſtante. 21. eod. *explicatio*, 283
Leg. vlt. C. de donat. quæ ſub mod. *applicatio*, 284
Leg. 2. §. ſi pecuniam, D. de donat. *applicatio*, 287. *&* *leg.* 4. D. de iure dot. *ibid.* *&* 289.
Leg. 4. D. de iur. dot. *applicatio*, 287. *&* 288. *Item eius quod ſcriptum eſt*, Quemadmodum ſi quid alluuionc acceſſiſſet, 289
Leg. plerumque. 205. de reg. iur. *&* *l.* is cui. 11. §. vlt. D. quemadmo. ſeruit. amitt. *applicatio*, 295
Leg. neceſſario. 8. D. de hered. vel act. vendit *applicationes accommodatiſſimæ*, *&* *l.* ſi quis Titius. 57. de verb. obligat. *&* *l.* ſi ita ſtipulatus fuero. 126. in princip. eod. 296
In Legis Cornelia & poſtliminij rationibus, *idem contingit, vt omnia rerum dominia maneant in ſuſpenſo*, 296. 297
Legis ſi creditor. 7. §. vlt. D. de diſtract. pign. *applicatio*, 307
Legis quod autem. 9. D. quod met. cauſa, *explicatio*, 324
Leg. ſi mulier. 21. in princip. D. quod met. cauſ. *applicatio*, 326
Leg. 3. §. 1. D. quod met. cauſ. *applicatio*, 344.
Leg. vlt. in princip. D. quod met. cauſ. *&* *l.* tranſactionem. 35. C. de tranſact. *applicatio*, 359
Leg. item ſi cum. 14. §. ſi quis. D. quod met. cauſ. *&* *l.* ex ea ſtipulatione. 7. D. de condict. ob turp. cauſ. *&* *ad d. l.* ſi cum. §. penult. *applicatio*, 369
Leg. metum. 9. §. animaduertendum, D. quod met. cauſ. *applicatio*, 371
Leg. ea quæ à patre. C. de reſtit. milit. *explicatio & applicatio*, 374
Legis ea quæ. *obſeruatio circa generalem ſententiam*, 376
Leg. vlt. C. de reuoc. donat. *applicatio & explicatio*, 377
d Leg. ſi donationis. 7. C. de his quæ vi, metuſve cauſ. *reſponſio*, 377
Leg. ſi m[illegible]. 22. C. ad S. C. Velleian. *&* *leg.* vnic. ad fin. C. de plur. pet. *applicatio*, 408
Leg. cùm notiſſimi. 8. §. imò & illud, verſic. ſed & ſi quis, in fin. C. de præſcript. 30. vel 40. annor. *applicatio*, 409
Leg. ſi venditor. 6. §. 1. *&* *l.* ſeq. D. de ſeru. export. *applicatio*, 414
Leg. filio. 7. D. vt legat. ſeu fideic. ſeruand. cauſ. caueat. *&* *l.* ſi manumiſſor. 4. C. de obſeq. patron. præſt. *applicatio*, 460.
Legis mulier. 22. §. cùm proponeretur, D. ad S. C. Treb. *applicatio*, 490.
Legis vlt. C. de pact. conuent. *diſpoſitio non habet locum in hypotheca domus*, 495

Legis

Legis XII. Tabularũ verba in ſucceſſione inteſtati deſignant tempus mortis, 267
Lex XII. Tab. non niſi agnato proximo detulit hereditatem, 84
Lex poteſt transferre dominium ſine traditione, & conſequenter Princeps, 253. *maximè fauore dotis,* ibid.
Lex ſemel tantùm loquitur, 189
quod Lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, 78. & 228
Liberalitas & Donatio à Principe facta debet eſſe manſura, 377
Liberalitatem captioſam interpretatio Prudentum frangit, 446
Liberorum *nomen generale eſt & collectiuum plurium, non modò perſonarum, ſed etiam graduum in infinitum,* 204. 205. *in contractibus appoſitum comprehendit etiam omnes deſcendentes,* 206. & 222. *prolatum ſine vlla deſignatione, & enumeratione graduum, omnes gradus comprehendit,* 211. *latiùs patet in contractibus, præſertim dotalibus, vt nunquam reſtringatur ad quartum gradum, quàm in vltimis voluntatibus,* 222. 223
Liberi, qui poſt mortem noſtram ex noſtris naſcuntur, qua ratione noſtri liberi dicantur, 266
Liberorum legitimorum natiuitatis cauſa proxima & immediata eſt legitimum matrimonium, 268
Libertas quæ ſemel competit, nunquam amplius reuocari poteſt, 294. & 335
Licitum per ſe ſolet fieri illicitum, ſi in tempus illicitum conferatur, 149
non omne quod Licet decet; ſed id tantùm quod honeſtum eſt, 375
quod Licet vſque ad certum tempus, poſt illud non licet, 392
Lucri illiciti ſpecies eſt, ex alieno largiri & acquirere ſibi beneficij debitorem, 302

M

Maieſtate Imperatoria alienũ prorſus eſt, vt ius aliquod conſtituerit per anaritiam, aut per vindictam magis, quàm ex ratione & æquitate, 811
Mandatũ præſumitur ex antiquitate temporis, & quando, 26. *non præſumitur, niſi probetur,* 425
Mandatarius ſicut nec alius quilibet petere poteſt alterius nomine reſtitutionem in integrum, niſi ad hoc ſpeciale habeat mandatum, ibid.
Maſculis extantibus, fœmina nunquam admittuntur ad feuda, niſi in vno caſu, 74. & 188.
Maſculi potuerunt iure feudi ſuccedere, etiam poſtquam fuiſſent excluſi, & quomodo, 181
Maſculi primi gradus ſiue Theodori, ſiue maſculorum Theodori non debent eſſe deterioris condicionis, quàm maſculi ſecundi & tertij gradus. 216
Maſculinũ concipit fœmininum, cùm nulla ſpecialior ſexus diſtinctio facta eſt, 481
Mater non magis quàm ex ea deſcendentes admittitur ad ſucceſſionem feudi, 482
Matrimonium ſemel contractum non poteſt in irritum fieri, ſicut nec conuentio ipſius, 279.
Matrimonia eo fine & voto contrahuntur, vt liberi ſuſcipiantur, ex quibus familia in æuum, ſi fieri poſſit, propagetur, 280.
Matrimonio ſoluto finitur nomen dotis, ſed non ius dominij quod marito, ex cauſa dotis quæſitum eſt, ibid.
Matrimonia varia, 413. 415
Maritus non eſt decipiendus, cùm non fuerit ille aut indotatam, aut minùs dotatam vxorem ducturus, 150. & 160
Marito, non filiæ traditio dotis & pura & condicionalis fieri debet, 286
Maritus debet pro vxore præſtare feudo ſeruitia, quæ ipſa præſtare non poteſt, 313.
Marchionatum Montisferrati ab initio conceſſum fuiſſe & poſſeſſum in feudum,

non in allodium, rationes, 39. non tantùm est feudum Imperij, sed fuit iam in præteritum & antiquum, 54. & 59. accessit velut alluuio pura constitutioni dotis, 290. non mansit in bonis & hereditate Io. Georgij, 292

Marchionatus dominium intelligitur recessisse ab vltimo masculo, statim atque certum esse capit illum sine masculis morituru, 293. obligatus dotali instrumento, non potuit alienari, nec infeudari, nisi eum sua causa, 307. non potuit reuerti ad Cæsarem superstite ex Violanda Carolo, 312. non fuit alienatus per donationem factam Duci Sabaudiæ, 476. non potuit peruenire ad fœminas, nisi deficientibus masculis, 480. non potest reponi in eum statum in quo erat tempore donationis, 535

de parte Marchionatus speciali iure ad Ducem Sabaudiæ pertinente, 315. nihildum de ea pronuntiatum fuit in petitorio, sed tantùm in possessorio, 316. non est ex pacto & prouidentia, sed hereditarium, 461. 462. & est feudum Imperij, 468. ea primùm lege concessum, vt esset alienabile ad nutum possessoris, 475.

Marchiones Montisferrati perpetuò de eo Marchionatu disposuerunt pro arbitrio, 8. & 37. non potuerunt sibi mutare causam possessionis, 391. nullo tempore potuerunt præscribere contra Duces Sabaudiæ, 472

Marchio Montisferrati reus læsæ Maiestatis Cæsareæ, 346

Marchionum Montisferrati rebellio aduersus Romanum Imperium, 440

Margareta bis excluſa à Marchionatu, 175. 181. 188. 485. & alibi sæpe: eius liberi si debuerint præferri in successione Marchionatus Duci Carolo, 183. quàm malè contenderit in possessorio coram Cæsare, & obtinuerit, 292. non fuit inuestienda ad exclusionem filiarum Io. Georgij, si quas reliquisset, 310. quare ipsa inuestituram petierit, ibid. & qua qualitate coram Imperatore egerit, 312. nunquam potuit se dicere heres Theodori I. nec ei succedere ex sua propria persona, 463. non potuit admitti ad Marchionatum, tanquam sola superstes ex masculis, cùm esset ipsa fœmina, 481. cur non potuerit succedere in bonis infeudatis, 483. 485. ipsius confessio ex verbis ipsis inuestituræ, 484. quod ei obstitit, ipsius quoque heredibus obstare debet, 485

Mendacium vnius ex testibus, & Beneuenuti historici, 361

Mens & intentio contrahentium dignoscitur ex euentu & obseruatione secuta, 69.

Metus precedens purgatur per consensum quemlibet subsequentem, etiam tacitum, 324.

Metus iusti & iniusti differentia, 325

Metus amissionis bonorum non potest iusta esse causa restitutionis in integrum, ex capite metus, 328

Per Metum nihil extorsisse videri potest is, qui pactorum executionem accepit ab eo, qui nec negauerat vnquam, nec recusauerat se id facturum, 329

Metum quis intulerit non interest, dummodò ex metu per alium illato lucrum senserit is, qui conuenitur, 371

Metus mortis, aut cruciatuum corporis necessarius est ad inducendum Edictum Prætoris, 373

Metus prior intelligitur purgatus ex actibus sequentibus, si nouus dolus non intercesserit, 384

ob Metum futuræ litis, valet transactio inter priuatos, ibid.

Metus belli iniusti, iustam transactionis causam præbet inter Principes, ibid.

Metus nullus inferri iustus potest, quin purgari

purgari ex poſtfacto poſſit, 415
Metus purgatus cenſetur, ſi quid factum ſit ex interuallo & alio loco vbi non dominabatur is, in cuius fauorem facta fuit renunciatio, 416. *quomodo purgatus in hac ſpecie,* ibid. & ſeqq.
Metus anteà illatus, non facit quod executio, quæ poſteà ex contractu per vim, vel metum initio ſit, facta ſit per vim aut metum, 418
Metus allegationi locus non eſt aduerſus cõtractum per ducẽtos circiter annos obſeruatum, 420
de Metu & vi quæſtio non ad alium pertinet, quàm ad illum, qui vim aut metum paſſus eſt, vel eius heres, 457. & *fruſtrà de illis queritur, cùm nulla perſona ſupereſt, quæ de eo conqueri poſſit,* 458.
quod in Milite indecorum, multò magis in Principe indecorum eſt, 376
Minor non debet pudere infirmum ætatis conſilium allegare, 381
Moderator & arbiter quilibet eſt rei ſuæ, & de ea poteſt diſponere, 48
Moriens ille cui adſcripta fuit aliqua conditio per pactum, tranſmittit ſpem ex dicto pacto, etiamſi nulla in eo de heredibus facta fuerit mentio, 276
Moriens inteſtatus nihil facit cur ei imputari poſſit, 482
Morientis ſine herede perit totum ius, 430.
Mors quorundam Ducum Sabaudiæ, 467
Mulier nullam familiam habere poteſt, 47. *non poteſt facere condicionem mariti ſui, nec liberorum ſuorum deteriorem,* 195. *quæ ſollicitauit creditorem, non poteſt ſe tueri exceptione S.C. Velleiani,* 357

N

NAtura neſcit condiciones, nec quicquam facit ſub condicione, 287
Neceſſitas ea eſt felix, quæ nos cogit ad meliora, 327
Neceſſarium id dicitur, cuius contrarium eſt impoſſibile, 479
cùm Negotium vnum geritur incontinenti poſt alterum, aut duo ſunt actus correſpectiui, aut vnus contractus eſſe intelligitur, 350
Nepos ſubintrans locum & gradum filij, non ideo tamen ſit filius, nec ideo fingitur natus eo tempore quo filius, idémque pater, 239. *non debet eſſe melioris condicionis quàm filius, nec deterioris Violanda, quàm extraneus heres quilibet,* 240.
Nemo credendus eſt velle abiicere ius ſibi vtile, 195
Nemo præſumendus eſt ſtultam & inſanam conuentionem facere voluiſſe, 250
Nemo ignorans ſit ingratus, 327
Noſtrum etiam poſſumus dicere, quod eius dominium à nobis abire aliquo caſu poſſit, 128
id quod Noſtrum eſt, ſine facto noſtro auferri nobis non poteſt, 160
Notarius poteſt rogari vt ſit teſtis, 16
Notarij plures adhibiti, præſumendi ſunt ſinguli in ſolidum rogati, niſi de contrario appareat, 19. *adhibiti ad aliquẽ actum, tantam ſinguli authoritatẽ habent, quantam omnes ſimul, ad fidem inſtrumento dandam,* 20. *cur plures adhibeantur,* 21
Notariorum officium authoritate eſt publicum, vtilitate priuatum, 22
Notarij, Chartularij Iudices *vocantur,* ibid.
Notario de ipſius facto aliquid aſſerenti credendum omninò eſt, præſertim cùm dicit ſe rogatum, 28
Notarius poteſt ſtipulari & ius acquirere etiam perſonis nondum natis & nondum conceptis, præſertim in cauſa dotis,

191. & 192. quæ sunt de Notariorum stylo pro expressis haberi solent, etiam si non sint, 213
Notarij abbreuiatura quomodo hîc extendenda, 272
de Nouationibus quædam singularia. 104
Nouatione facta prioris contractus, pignora, & fideiussores liberantur, 356. tollitur vicium: si quod subeiat in priore contractu, 356. perimuntur & extinguntur omnia iura, 412
per Nouationem tota vetus obligatio in nouam transfunditur, ibid.
Nouatio fit per transactionem, ibid. nulla est cùm stipulationis condicio defecit, 446.
Nouationem fieri necesse est, quoties talis minutio facta est, vt non possit posterior conuentio cum priore subsistere, 448
Nouandi animus probandus, 446
Nuptiæ inter inuitos non contrahuntur, 133.

O

OBiectiones Mantuanorum contra inuestituram Ottonianam, quàm futiles & leues, 34. & seq. contra concessionem Henrici VII. Theodoro factam, 54. & seq.
Obiectio aduersariorum, quod Dux Carolus fuerit transuersalis Io. Georgio vltimo Marchioni ex linea Paleologorum vltra 7. gradum, 75. & responsio, 76. & seq. quod hoc feudum sit hereditarium, variæ responsiones, 120. & seq. & 124. quòd in hoc pacto dotali consensus masculorũ, qui in feudo succedere poterant, non interuenerit, explicatio, 145. quòd non potuerit Theodorus pacisci de feudo Marchiæ in præiudicium successorum, 147. responsiones varia, prima, 148. secunda, 149. tertia, 150. quarta, 154
Obiectioni aduersariorum, quæ fit ex concessione & inuestitura facta per Carolum IV. Imp. Ioanni filio Theodori responsiones varia, prima, 160. secunda, 161. tertia, 162, & plures paginis seqq.
Obiectio aduersariorum quòd Theodorus nihil dixerit de dotandis filiabus masculorum secundi gradus, & vlteriorum, 217. responsio, ibid. & seqq. quod pactum dotale, quatenus loquitur de liberis, non de aliis possit intelligi, quàm qui sunt intra quartum gradum, 222. responsiones, ibid. & seq.
Obiectiones aliæ aduersariorum particulares septem confutatæ, prima, 260. secunda, 263. tertia, 264. quarta, 265. quinta, 268. sexta, 271. septima, 278
Obiectio ex inuestitura Federici, 423. & varia ad eam responsiones, 424. & seqq. ex inseparabilitate Marchionatus Montisfer. & bonorum infeudatorum, & variæ responsiones, 479. & seq. quòd Margareta fuerit agnata ex linea Paleologa, responsio, 480
Obligatus ad ἀντίδωρα, si aliquid donauerit, permutationis quodam iure donare censetur, 349
Obligationis parte vna alternatiua deficiente, sufficit alteram remanere & existere, 367.
Obseruatione secuta, secutóque euentu, dignoscitur mens contrahentium, 69. 70. quod idem obtinet in bestiis, 70
quod alicui obstat, ipsius quoque heredibus obstare debet, 485
Oldradi sententia in cons. 177. communiter reprobata, 275
Oppida Clauaxij, Septimi & Brandicij à quo tempore & quandiu possessa à Ducibus Sabaudiæ, 470. & quare, 471
ex qualitate Oneris adiuncti alicui dispositioni, interpretanda est dispositio, 222
à qualitate Oneris argui potest ad qualitatem dispositionis, 272
Onerari non potest alius, quàm qui fuit honoratus, nec in alium casum, quàm in quem

in quem est honoratus, 218
Onus praesupponit honorem in necessarium antecedens, 272
Oratores Ducis Mediolani cur missi ad Ludouicum filium Ducis Sabaudiæ, 356. *& quo instante,* 357

P

PAce secuta nihil attinet belli memoriam repetere, 339. *&* 341
Pacis conditiones seruanda sunt, 340. *earum æquitas longiorem potest facere pacem, non sanctiorem, ibid. quamuis iniquissimæ, ac per vim & metum extortæ, non pertinent ad Edictum Prætoris, ibid.*
Paciscentes omnes id agunt, vt omnibus suis heredibus, etiam extraneis, prosint, 256.
Pacta quæ non sunt nec contra leges, nec contra bonos mores, sunt seruanda. 10
Pactum quodcumque in traditionibus rerum appositum, etiam quod alioqui non valeret, seruandum est, ibid.
Pacta Principum in tabulis dotalibus apposita potissimùm seruanda sunt, 11
Pacta omnia in contractibus apposita, partem contractus efficiunt, præsertim in contractu dotis, ibid.
Pactum appositum in venditione etiam cuius ratione nihil possit dici honestè interesse paciscentis, seruandum est, 12
ex qualitate Pacti in contractu adhibiti, qualitas contractus dijudicanda est, 45
Pacta condicionalia non possunt adimpleri ante condicionis euentum, 30
Pacta apponi solita, facilè transeunt in ius commune, 42
Pacta non solent prodesse aliis quàm paciscentibus, aut ipsorum heredibus, 124
Pactum de futura successione non valet, 133. *nisi in dote constituenda,* 134. *valet, si factum sit de certis bonis & singularibus: si iuratum sit, & si sit factum ex honestissimis causis,* 140. *valet ex consuetudine, iis etiam casibus quibus alioqui ex ratione iuris non valeret,* 144.
Pacta de succedendo, vel non succedendo recepta sunt inter illustres & potentiores, præcipuè inter Principes, in toto terrarum orbe, maximè in Italia, ibid.
in Pacto patris, sicut nec in eius testamento, non requiritur consensus filiorum, 145
Pactum pro parte adprobari, & pro parte improbari non potest, 156. *præsertim cùm is qui contraxit non fuisset aliter contracturus,* 157
in Pactis correspectiuis debet fieri par determinatio, & ex vno debet interpretatio sumi alterius, 257
Pactum fauorabile adiuuandum est interpretatione potiùs, quàm restringendum, 265.
Pacta quæ ineunda paci causam dederunt, quamuis alioqui per vim & metum extorta, seruanda sunt, 339
Pactum de non petendo inducitur ex taciturnitate per decennium, 286
à Pactis præcedentibus, tanquam à causa pendere intelligitur quicquid postea factum est, 350
Pacta etiam metu noui belli inita, tanto magis valere debent, quod iam antè prius bellum placuerunt, 354
ex Pacto nudo competit retentio, 365
Pacta seruanda inter priuatos, data saltem exceptione ac retentione, multò magis inter Principes, 365
Pactum commissorium regulariter in pignoribus reprobatum; valet tamen fauore fideiussoris, 368
Pactum quod fit in feudo de filiarum successione, contra naturam & consuetudinem feudi est, 73
Pactum filiæ vt possit succedere patri ab intestato, valet, 141. *quòd possint succedere deficientibus masculis, nullam eis facit iniuriam,* 146
Pactum quod loquitur de filiis primi gra-

dus propriè sumptis, non intelligitur de nepotibus, 239

Pacta dotalia maximè sunt seruanda, præcipuè ea, sine quibus maritus non fuisset vxorem ducturus, 10. sunt præsumenda perpetua, si non expressim verba repugnant, & non faciant deteriorem conditionem dotis, aut mariti, quo casu pro temporalibus haberi debent, 259

Pactum dotale vnum idémque diuerso iure censeri non debet, 136

Pactum de dotandis filiabus generaliter intelligendum est de filiabus, quarum dotandarum onus non tantùm ad Violandam, eiúsque successores, sed etiam ad masculos, & masculorum masculos pertinere posset, 214. & 217. habet duas partes, 224. ad solos liberos primi gradus restringi non potest, 225

Pactum dotale, de quo agitur, validum esse etiam præsuppositio quod sit de futura successione, multis rationibus defenditur, 139. & seqq. conseruatorium fuit potiùs, quàm acquisitorium successionis, 142. cõclusio, 159. factum est in partem & augmentum dotis, 199. eius condicio ad quos liberos pertineat, ibid. fauorabile videri debet multis rationibus, 210. cur contrahentes in hoc pacto vsi sunt nomine, filiorum, *non* liberorum, *212. probatur eos sensisse de liberis masculis cuiuscunque gradus, 213. interpositum fuit ne Marchionatus ad Imperatorem deuolueretur, quandiu Violanda, vel aliquis ex ea masculus supereset, 240. 241.*

in hoc Pacto dotali traditio ficta interuenit per clausulam constituti, quæ transtulit veram possessionem, 254. eius verba pertinent ad omnes liberos, qui non modò ex Theodoro, sed etiam ex liberis eius quocunque gradu & tempore nascituris, 204

Pactum dotale & testamentũ Theodori quàm bene inter se conueniant, 255

Pacta inita Tononi inter Amedeum Ducem Sabaudiæ, & Ludouicum eius filium primogenitum ex vna parte: & Io. Iacobum Marchionem Montisferrati, & Io. eius filium ex altera, 320. præfatio, & verba vnius ex articulis dicti tractatus examinantur, ibid. & seq. vtiliora fuerunt Marchioni Montisferrati, quàm Duci Sabaudiæ, 331. 337. 338. 477. eorum tempore quis rerum status erat, 362. & eorum verba, 390. si facta non fuissent, non esset hodie Marchionatus vllus a Ducatu Sabaudiæ, vel Mediolanensi separatus, 460

Pacta noua Tononensia, 403. an suspecta haberi debeant, 404. 410. eorum ratificatio, 405. 411. 418. & seq.

Pacta Taurini habita non possunt esse irrita, validis manentibus illis, quæ Tononi gesta fuerant, 330

Pactum appositum in inuestitura facta per Amedeum VII. Ducem Sabaudiæ Io. Iacobo Marchioni Montisferrati, 316

inter Pacta & donationem intercessit laudum & sententia arbitramentalis Oratorum Ducis Mediolani, 354

Parentum, *appellatione omnes ascendentes continentur in infinitum,* 209

Pater quiuis prudens consilium pro liberis accipere credendus est, 157

Pater, etiam Imperator, ex necessitate officij paterni, cõstituere dotem filiæ cogitur, 253

in his quæ Pater gessit, & de quibus non cõquestus est, & filius qui vixit triginta annis, non datur restitutio in integrum, 323.

Pater credendus non est permissurus, vt filius rata habeat ea quæ pater ipse per vim & metum promisisset, 402

Patris appellatione, in fauorabilibus, etiam auus continetur, 210

Patrem minus terreri in persona filij, quàm in sua propria quando locum habet, 330

Patris est donare, non filij, etiam cùm de re peculiari agitur, ibid.

Patrimonia patris & filij ſemel iuncta, ſeparari poſtea non potuerunt, 352
Patroni filiis non permittitur retractare donationem, quam in libertum collatam patronus ipſe non retractauerit, 380
Patroni filius in pleriſque melioris eſt condicionis, quàm alius heres cuiuſlibet alterius donatoris, ibid.
ex qualitate Partis, præſumitur qualitas totius, 251
Participium præteriti temporis, iunctũ verbo futuri, habet futuri temporis ſignificationem, 236
Participium procreatos, *&* procreatis, *repetitum in aliquo pacto, non recipit aliam interpretationem in vno loco, quàm in alio,* 242
Perfidè qui aliquid facit, vt alium decipiat, non improbè facit, qui eum ad placita implenda cogit, 329
Perfidia eius, qui depoſitum ex cauſa tumultus, vel incendij, vel ruinæ, vel naufragij factum, denegat, grauior eſt, 348
Perfidia aulici cuiuſdam Caroli I. Ducis Sabaudiæ, eius negotia gerentis, 446
Periculi ratio habenda, etiam finito periculo, 363
Permiſſio data diſponendi de feudo, intelligi debet de expreſſa diſpoſitione, & vera, non de tacita & ficta, 186
ex Perſonis vocatis & inueſtitis, quandiu ſupereſt aliqua, non poteſt Imperator ius vllum per nouam inueſtituram in alium transferre, 178
Perſona ſemel excluſa à feudo, ſemper & in perpetuum remanet excluſa, 179. *cenſentur excluſi quoque omnes ex ea deſcẽdentes,* 182. *aliud eſt dicere iam eſſe excluſam, aliud verò nondum eſſe vocatam,* 189
Perſona ſemel admiſſa per defectũ maſculi, ſemper dicitur admiſſa, etiamſi ſuperueniant maſculi, per quos excludi ab initio potuiſſet, 183
Perſonarum & matrimoniorum pluralitas inducitur commodiùs in pluribus gradibus, quàm in vno ſolo, 230
Perſona tertij interpoſita tollit omnem metus & violentiæ præſumptionem, 368
Philippus de Sabaudia Princeps Achaia, 32
Pia cauſa priuilegium eſt, vt inter cætera in eius fauorem dominium transferatur ſine vlla traditione & poſſeſſione, 129
ex Pignore competit retentio, 365
Pignus non valet, ſi alienari & diſtrahi non poſſit, 444
Plinij præclarum verbum, 221
Pœna vnius, non debet eſſe præmium alterius, 81
Poſita ad augmentum non debent operari diminutionem, 495
Poſſeſſione rerum ſeparata inter condiuiſores, præſumitur inter eos facta diuiſio, 52. & 53.
Poſſeßio rei repudiatæ, irritam reddit repudiationem, & ſimulatam, 152
Poſſeßio totius cenſetur adprehenſa per adprehenſionem poſſeſſionis partis totius, 284. *maximè cùm reliquum tale eſt, cuius poſſeſſio adprehendi ſtatim non poſſit,* ibid.
Poſſeßionis cauſam nemo ſibi regulariter mutare poteſt, 391
Poſſeßio clandeſtina ſemper perniciоſa eſt, & inducit malam fidem, 466
Poſſediſſe quilibet uiſtè præſume ndue & ex cauſa tituli præcedentis, ex ſuo nomine potiùs, quàm alieno, 29
Poſſideri feudum hereditarium non poteſt, repudiata hereditate, 152
Poßidere præſumitur quilibet ex præcedenti titulo, 154
an Poſſideat quis per ſe, aut per alium, nihil intereſt, 443
Potentioribus pares eſſe non poſſumus, 40
Præcedentium quadruplex virtus, 267
in Præſcriptione temporis immemorialis non requiritur probatio ſcientiæ, nec patientiæ, nec bonæ fidei, 155

Præscriptionis iure quomodo bona omnia Marchionatus alienata, Ducibus Sabaudiæ hodie pertineant, 441

Præscriptio, quæ habet titulum & bonam fidem, non interrumpitur per solam citationem, ibid. non impeditur per metum, qui ab initio interuênit, 442

Præscriptio centenaria omnia tollit, 443

Præscriptionem inchoare non possunt qui sunt in mala fide propria, non ficta, & malæ fidei possessores, 464

Præscriptio nunquam cœpta, nunquam compleri potest, 466. *non potest currere sine præscribendi voluntate, ibid. semper requirit bonam fidem, saltem ab initio, illis etiam casibus quibus non requirit titulum, ibid.*

Præscriptio longissimi temporis & immemorialis an hîc allegari possit, 464. *& multis, seqq. ex ea subducitur tempus pupillaris ætatis, ipso iure, & minoris ætatis per in integrum restitutionem,* 467. *impeditur & interrumpitur per solam adprehensionem rerum obligatarum,* 470. *ad interrumpendam fortior est naturalis rerum detentio, quàm conuentio vlla, etiam iudicialis,* 471

Præscribere non potest ille, qui succedit in vitia defuncti, 465

Præsentia sola amicorum impedit ne transactio possit rescindi prætextu metus, 359.

qui omnium est Præsul, non debet fieri omnium exul, 11

Præsumptiones cur introductæ in iure nostro, 21.

Præsumptio est sicut de præsenti in præteritum, ita & de præsenti in plus præteritum, 59. *regulariter est pro filio quòd superuixerit patri,* 245

Præsumptio iuris est, nihil vi, aut metu factum esse, præsertim inter Principes, 322.

contra Præsumptionem iuris probationes afferri possunt, sed quæ sint manifestissimæ, ibid.

Præsumendum est factum ex causa necessaria, id quod fieri potuit ex duplici causa, vna voluntaria & alia necessaria: & ex titulo præcedente potiùs, quam ex nouo, 167

Præsumitur semper obseruatio secuta ex titulo præcedente, 193. & 194

Præsumendum est in dubio extitisse conditionem dotalis constitutionis, 245

Præsumendus non est quisquam recedendus ab ea quæ gessit, maximè Princeps, 422.

Prætor non minùs debet sequi voluntatem testatoris, quàm legis & statuti, 145. 146. *in Edicto* de bonor. poss. contr. tab. & de leg. præst. *excipit parentes & liberos in infinitum,* 264

Prætor nunquam ratum habet, nullóque tempore id quod per vim & metum gestum est, 319. *non habet pro infecto id quod metus causa gestum est, sed tantùm profitetur se id ratum non habiturum,* 378

Principes in suis contractibus vtuntur iure priuatorum, 11

Princeps ab illicitis abstinere debet, multò magis quàm priuatus, ibid.

in Principe, mutatio sola voluntatis indigna est eius maiestate, ibid.

inter Principes verisimiliter credendum non est fuisse contractum matrimonium sine tabulis, 28

Principes inuicem contrahentes, cur plures Notarios adhibeant, 30. 31. *simul contrahentibus non capitur fraudis suspicio,* 30. *nunquam credendi sunt contraxisse nisi ex consilio Iurisperitorum,* 31

Principis præsentia sola purgat omnem suspicionem doli, fraudis, & metus, ibid.

coram Principe quod fit, toto iure teste fieri intelligitur, 30. 68. 365. & 452

ad Principum dignitatem maximè pertinet vt omnia dicant, & agant bona fide, 35.

in Principe neque error præsumendus est, neque mendacium, 57
in Principe non cadit suspicio voti captandæ mortis alienæ, 140
quod Principi semel placuit, perpetuum habet legis vigorem, 153
Principis supremi voluntas habenda est pro lege, 252
Princeps nunquam censetur velle derogare iuri tertij, 299. *& potius præsumendum est circumuentum fuisse,* 303. *potest ius tertij tollere vnico tantùm casu,* 483
Principum liberalitatem captiosam, interpretatio Prudentum debet frangere, 300. *& 301. eorum rescripta semper sic interpretanda sunt, vt nihil absurdi contineãt,* 301.
Princeps vult audire hominum voluntates, non autem iubere, 301
Principes boni omnes actus suos regulari volunt à iure fori, & poli, 303. *disciplina militaris gloriam maximè profitentur,* 323.
Principes Italiæ solent bella & mouere & componere pro arbitrio, etiam inconsulto Imperatore, 342
Princeps inferior quidquid agit iussu Imperatoris, iustè agit, 344
à Principis dignitate alienum est, vt vim aliquam passus dicatur, 375. *si quando vim passus sit ab alio Principe, debet ipse iniuriam sibi factam armis vindicare, ibid.*
Principum filiis non est permittendum vt lucrũ præferant existimationi paternæ, ibi.
in Principe non est laudanda incanstantia, quæ in aliis est vituperanda, 422. *non potest facere, vt alicui vel ignoranti, vel inuito ius acquiratur,* 434. *non potest derogare iuri quæsito per præscriptionem,* 442.
Probationes potiùs amplianda, quàm constringenda, 21
Probationum solemnitates sicut & cætera omnes sunt ex iure ciuili, 26
Probationes iuris non minùs quàm facti, debent esse concludentes, imò concludentiores, 79
ex Probatione partis, inducitur præsumptio totius, maximè in indiuiduis, 156
Probatio ei semper incumbit, qui voluntatẽ mutatam dicit, 383
Probare quisquis debet id, in quo fundat suam replicationem, maximè verò cùm se fundat in tempore, 57
Promissum tempore belli obseruandum, 326
de Protestationibus clandestinis, 393. 415. *nihil operantur, cùm aperta fieri potuerunt,* 422. *oportet in apertum perduci, ibid.*
Protestationes factæ à Ioanne II. & Guillielmo I. contra Ducem Sabaudiæ, 170. *ad quid fuerint restrictæ,* 394
Protestationis denunciatio nulla vnquam facta per Marchiones Ducib. Sabaudiæ, 423.
Protestatio verbalis, quæ facto repugnat, inutilis, 454
Proximior dici non potest, qui alium nullo proximitatis, aut sanguinis iure contingit, 116
Proximior quisque testatori, videtur dilectior, 125. *& 216*
Prudentes nostri explosas aliorum sententias referre solent per verba præteriti imperfecti, 95

Q

Qualitas aliqua facilius supplenda, quàm ipsa facti veritas, 20. *iuncta verbo, intelligi debet secundùm tempus verbi,* 267
Quæstio tota in eo est, an Marchionatus Montisferrati feudum sit, an allodium: & si feudum est, an rectum & propriam feudum, & inalienabile: an improprium & alienabile, 318
Quisquis obrepsit, aut subrepsit Principi, carere debet impetratis, 300

R

Ratio dubitandi l.cùm heredes.in fine, C.qui.teſt.facer.poſſ. 11

Ratihabitio tacita ſufficit ad purgandum metum, 368

Ratihabitio æquiparatur mandato, & ſemper retrotrahitur, 450

Ratihabitiones factæ vltrò à cæteris omnibus filiis Io.Iacobi, 336

Ratihabitionem Imperatoris ſufficit ſequi, tùm quoque cùm eius conſenſus fuit neceſſarius, 451

Recognitio rei non feudalis in feudalem, debet fieri à prudente & ſciente, vt res fiat feudalis, 56

Regno augmentato, pars quæ acceſſit, cenſetur eodem iure quo regnum ipſum, 52

inter Regnum & alias minores dignitates, ratio diuerſitatis, 476

Relatum ſemper ineſt in ſuo referente, cum omnibus ſuis qualitatibus, 161. 195. & 406.

Remedium proteſtationis aduerſus ſuſpicionem metus inferendi, aut ſi de metu illato conqueri non audeat, 393

Repudiatio habet effectum perpetuum, 190. *quæ fit in fraudem, nullius eſt momenti,* 455.

Repudiatio fraternæ hereditatis per Guillielmum facta, 170

de Repudiatione hereditatis Ioannis à Guillielmo II. & eius fratre, 454. & *multis paginis ſeqq.*

Rei cuiuſque reditus fauorabilis eſt ad ſuam naturam, 246

Rerum dominia poſſunt eſſe in pendenti, & ſunt in pleriſque caſibus, 294

Res vnaquæque qualis eſt pro parte, talis in totum exiſtimanda, 43

Res vna & eadem non debet diuerſo iure cenſeri, 44

Res legata ſub condicione, interim eſt heredis pleno iure: eueniente autem condicione fit legatarij, & retrofingitur nunquam fuiſſe heredis, ſed legatarij ab initio, 294

Reſcriptum ad gratiam vitiatur quantulacunque obreptione, aut ſubreptione, non etiam reſcriptum ad ius, 432

Reſeruatio & proteſtatio nullum ius tribuũt, ſed conſeruant acquiſitum, 447

*Reſponſio ad §.*cùm inter, l.cùm pater. 77. de legat. 2. 482. & 483

Reſponſum quodlibet ita debet intelligi, vt ſit congruum petitioni, 46

Reſtitutio in integrum nulla vnquam fuit petita, 323. *non poteſt competere heredibus illius, qui nunquam conqueſtus eſt, maximè poſt centum annos,* 324. *non debet claudicare, ſed omnia ex vtraque parte in priſtinum ſtatum reponere,* 333. & 334. *iſtud beneficium non capit ea res, cuius ſtatus mutatus eſt,* 334. *quod ab initio competiit vnico tantùm caſu, ex poſtfacto excluditur & amittitur,* 336. *alicui competens poteſt ille vltrò abiicere, ſi nolit eo vti, ibid. huic beneficio renunciatum intelligitur per minimũ actum contrarium ſubſecutum,* 370. *non datur niſi petenti, nec competit aduerſus contractum, qui ipſo iure nullus eſt,* 378. *non datur rebus amplius non integris, & cùm non capit reſtitutionem,* 385. *omiſſa ab eo, qui id agit vt alij gratior eſſet, repeti poſtea non poteſt,* 386. *petendæ tempora reo prorogari aliquando poſſunt, ſed actori nunquam,* 387. *non alij competit, quàm illi ipſi qui læſus eſt, aut eius ſucceſſori, vel denique fideiuſſori,* 430. *illam petere poſt centenariam præſcriptionem abſurdum eſt,* 443

Reſtitutiones omnes tranſeunt ad heredes, 374.

Reus læſæ Maieſtatis pro proſcripto habetur, & poſſunt ipſius bona occupari, 346

Rex non poteſt, nec debet alicui iurare de non alienando regno, niſi ſubditis ipſis, & eorum fauore, 474. & *poſſunt remittere iuſiurandum,* ibid.

Saban

S

*S*Abaudiæ Dux Carolus Emanuel petit Marchionatum non solùm ex inuestituris suorum anteceſſorum, ſed etiam ex pacto dotali conuento inter Theodorũ Paleologum & Aymonem Comitem Sabaudiæ, 124. ſufficit illi eſſe heres illorum, qui pro ſe, ſuiſque heredibus pacti ſunt, ibid.

Salus ſiue corporis, ſiue exiſtimationis conſeruata, nullo pecuniario commodo æſtimari poteſt, 327

Scientia inducit malam fidem, 465

Scriptura aliquando potiùs ad rei memoriam futuram, quàm ad ſolemnitatem adhibetur, 22

Scripturæ mendum in illis verbis, ac familias, *pro,* ad familias, 46

Separari non poſſunt ea, quæ ſemel benè cohæſerunt, 473

Senſus bonus eſt, qui ex verbis concipi poteſt, 209

Sententia debet eſſe conformis libello, 313

Sententia lata per arbitros vtrimque acceptos, debet executioni mandari, 355

Sententia l.1.in fin.& l.vlt.C.de reuoc.donat. *per quos textus tota hæc quæſtio deciditur,* 379

Sententia Caroli V. in fauorem Margaretæ quomodo interpretanda, 313. *oppignerationem à Bonifacio factam adprobauit tanquam licitam,* 445. *per Delegatos reddita, de cuius reuiſione ac emendatione nunc agitur,* 485. *mirabilia quædam ex ea eliciuntur, ibid.& 486.487. verba in ea expreſſa, quæ mentem Delegatorũ declarant, contrà quàm interpretati ſunt,* 487.488. *quædam iſtius ſententiæ abſurda, circa dotem Blancæ,* 488. *& ſeqq. pereuidentes errores iuris in ea ſententia,* 496.& 497.

de Seruitutibus impoſitis ab herede, pendente condicione legati, 295

cur Seruitutes acquiſitæ per heredem fundo legato ſub condicione, ſequantur legatarium, 296

Sigiſmundi Imperat. littera ad Amedeum Ducẽ, pro bello contra Marchionem, 341

Simulata pro infectis ſemper haberi debent, 455.

Societas in perpetuum contracta finitur morte, 84

Solemnitas quæ non fuit adhibenda neceſſario inſtrumento, nec omiſſa nocet, 24

Solemnitas neceſſaria ſi interuenerit, ſufficit, quamuis non tanta, quantam teſtator interuenire voluerat, 25

Solemnitas iuris, vnius Notarij ſubſcriptione contenta eſt, ibid.

Solemnitates iuris publici nec ampliari, nec reſtringi poſſunt per teſtatorem, aut per contrahentes, 26

Soluens ante diem, plus præſtat quàm debet, 403.

qui Spem ſuccedendi ſibi delatam conſeruat per pactum, nemini facit iniuriam, 141

Spes ſicut vendi, & donari poteſt, ita & in dotem dari, 282

Spes ſuccedendi eſt paulò plus, quàm nihil, 250.

Spes non poteſt tradi, 283

Statutum excludit fœminas à ſucceſſione inteſtati propter maſculos, 145

ex Stipulatione Notarij per totum mundum acquiritur ius abſenti, dummodò ſequatur ratihabitio aut expreſſa, aut tacita, 191.

Stipulatio mariti, cui dos promittitur, ſufficit, vt acquirat ſaltem marito & liberis, 193

Stipulatio, cuius condicio defecit, nullum effectum habere poteſt, 449

Stipulari quilibet non minùs ſuis heredibus, quàm ſibi ipſi poteſt, & cur, 200

Subditi Marchionatus iurarunt obſeruare pacta Tononenſia,& Taurinenſia, 472. 473. *& pactio efficaciſſima in ſubditorum iuramẽtis appoſita contra Marchiones,* 473

Subditorum nihil intereſt vt per alienatio-

... transeant in potestatem potentioris, 476
Subsequentibus probantur antecedentia, saltem praesumptiuè, 52
Substitutiones omnes in dubio sunt praesumenda directa potiùs, quàm fideicommissaria, 198
Substitutio vulgaris, qua potest verificari in casu impotentia, non eò minùs continet casum voluntatis, & contrà, 230. & 231
Substitutus vulgaris succedit in locum & vicem primi heredis instituti, 90. *nec tamen succedit ei, sed testatori,* ibid.
in Successionibus hereditariis potest succedi etiam vltra decimum gradum, 84
Successionis ius semper indiuiduum est, 90
Successionis feudi natura est, vt descendentes succedant in infinitum: ex latere autem omnes per masculos descendentes similiter vsque in infinitum, 93. 94. & seqq.
Successionis nomen duplicem habet significationem, alteram ciuilem, alteram naturalem, 111. & 112
in Successione omni, heres qui alicui extitit, non potest ipsius hereditatem omittere, 152.
Successorum *nomine, in materia feudali, successores sanguinis, non patrimonij intelliguntur,* 196. & *qui possint intelligi,* 197. 198. & 274.
Successores in Marchionatu Montisferrati qui, 171. & seqq. *nunquam fuerunt ab ea successione exclusi, sed tardiùs vocati,* 179. 180.
Successor vti debet reali iure sui authoris, 174. *allegantes post centum annos id quod nunquam à praedecessoribus allegatum fuerit, non debent audiri,* 337
Successores Violandae vocati successiuè post eam, in casum potissimùm vulgarem, 272. & *in casum euenientis condicionis,* 273. & *non tantùm consecutiuè à Violanda & accessoriè, sed etiam principaliter & per se, & cõsecutiuè ab vltimo masculo,* 278
Successoribus non est permittendum vim allegare, quam defunctus nunquam allegauit, 359
aliud est Succedere primo inuestito, aliud verò succedere in locum primi inuestiti, 30. & *vt quis succedat in locum alterius: aliud verò in ius alterius, tanquam ipsius heres,* 112
Succedens in feudo hereditario debet esse heres & primi inuestiti & vltimi possessoris, 461. & *sufficit vt sit heres ex aliqua parte,* ibid.
Succurrendum non est ei, qui se ipsum in eas angustias coniicit, vt habeat periclitandum, 374
Superuacua, & qua abundant, non vitiant, 24.
Supplicator mendax carere debet impetratis, 56

T

Tabellione praesumendum semper est, pro quod in officio non deliquerit, 20
Tempus & instans mortis adscribitur vitae, non morti, 135
Tempus, in quod dispositio confertur, inspiciendum est potiùs, quàm in quo fit, 149. & 150.
Tempus existentis condicionis, & delatae successionis feudi inspiciendum est, 183
Tempus praefinitum, intra quod potuerat & debuerat Marchio conqueri de vi illata, si voluisset, 392
Tempore prior, est potior iure, 307. & *tam in causa dominij, quàm pignoris,* ibid.
Temporis longi scientia & patientia plerunque pro titulo est, multo magis si sit temporis longissimi & immemorialis, 155
Temporis longissimi taciturnitas habenda est pro tacita conuentione de non petenda in integrum restitutione, 323
Territorium à terrendo dictum, 43
Teste toto iure intelligitur fieri quidquid fit à Principe, 301

inter

inter Teſtamenta & contractus differentia elegans, 25
Teſtamenti ſubſtantia, ſicut & contractus, pendet à voluntate hominis ſiue diſponentis, ſiue contrahentis, 26
Teſtamenta non debent pendere ab alieno arbitrio, 145
Teſtatorum voluntates quomodo interpretanda, 53
qui Teſtando poteſt diſponere, poteſt & paciſcendo, 142
Teſtari nemo cogitur, etiamſi maximè poſſit, 168.
Textus in §. iugales, tit. 104. caſus in quib. fœmin. ſucced. *applicatio,* 74
ſuper Textu, qui varios recipit intellectus, nõ eſt faciendum fundamentum, præſertim cùm adeſt textus in contrarium, 79
Text. in tit. 50. de nat. ſucceſſ. *applicatio,* 271.
per Textum in l. ſi ego. 9. §. ſi res, D. de iur. dot. *tota hac quæſtio deciditur,* 292
Textus tit. 24. quemad. feud. ad fil. pertin. lib. 1. *explicatio,* 312
Textus l. in ipſius mariti. 5. C. famil. erciſc. *applicatio,* 382
Textus cap. intellecto. extr. de iureiur. *explicatur,* 474 [illegible] 5. & 478
Theodorus Paleologus inueſtitus de Marchionatu Montisferrati, 7. *habebat Marchionatum Montisf. in feudum impropriũ & alienabile, tempore pacti dotalis,* 66. *eius teſtamentum an deroganerit pacto dotali, quod fecerat cum Aymone Comite Sabaudiæ, pro filia Violanda,* 165. *non eſt veriſimile eum voluiſſe facere conditionem meliorem maſculorum quinti gradus, quàm vel ſuam propriã, vel filij ſui,* 247
quid Theodorus magis ſperare potuerit, quid minus, 249. *eius prudens conſilium, ibid. & 250. ex eius teſtamento apparet illum voluiſſe oneratos non ſolos filios primi gradus, ſed etiam maſculos poſteriorum graduum,* 254. *vt aliter conuenit cum Aymone Comite, aliter verò cum Principe Achaiæ,* 261. *quo ſenſu dicitur in pacto dotali, appellatione liberorum maſculorum, maſculos omnes in infinitum comprehendiſſe,* 264. *eius ſucceſſores non potuerunt pactum illud dotale, partim ſciuiſſe, partim neſciuiſſe, nec partim probare, partim improbare,* 156
Theodorus ſecundus & Io. Iacobus cur inteſtati deceſſerunt, 168.
Tit. 50. de nat. ſucc. feud. lib. 2. *explicatio,* 77.
Tit. de ſucceſſ. fratr. vel gradib. ſucced. in feud. *explicatio,* 78
Tit. 31. ſi vaſall. feud. priuet. cui defer. *explicatio, & applicatio,* 79. & 80.
Tit. 26. ſi de feud. defunct. contro. ſit int. domi. & agnat. vaſal. *applicatio,* 80. & 81
Tit. 19. conſtit. feudal. D. Lotharij Impera. §. ſi quis miles, *explicatio,* 88
Tit. 39. de alien. patern. feud. *explicatio,* 91. & 92.
Tit. 50. de natur. ſucceſſ. feud. *explicatio,* 93. & 94.
Tit. 8. de ſucceſſ. feud. §. hoc quoque, *explicatio,* 94
Tit. 1. de his qui feud. dar. poſſ. §. hoc quoque, *explicatio,* 96. 97. 98. 99. & 100. *malè explicatum à quibuſdam.* 99. & *tractare de feudo paterno, probatur,* 99. & 100.
ad Tit. 52. de prohib. feud. alien. per Loth. §. ſatis benè, *reſponſio,* 101. & *illius interpretatio,* 102. & 103
Tit. 45. an agnat. vel fil. defunct. poſſ. retin. feud. repud. hered. *applicatio,* 109. & 125. *non procedit in feudo hereditario,* 151
Tit. 17. de eo qui ſib. vel hered. ſuis maſcul. & fœmin. inueſtit. accep. lib. 2. *applicatio,* 109. 110. & 111
Tit. 14. de feud. March. in princip. *explicatio,* 118. & 119
Tit. 8. de ſucceſſ. feud. lib. 1. *applicatio,* 147

de alien.feud.patern. *explicatio & ...tatio,* 158
...de eo qui fib. & hered.ſuis maſcul.& fœmin. *explicatio,* 189
...an fil. aut agnat. feud. retin. poſſ. repud. hered. *applicatio,* 461
Traditio an ſit vera,vel ficta, nihil intereſt, 131. *nullius momenti eſt ad transferendã poſſeſſionem, ſi eam non poſſit transferre illo inſtãti, quo fit, ibid. quæ fit ex cauſa condicionali,etiam dotis, transferre dominium ſtatim non poteſt,* 285
Traditio quælibet non minùs quàm ſtipulatio recipit condiciones, ibid.
Traditio corporalis eſt meri facti,& ita non poteſt fieri ſub condicione, 287
Traditio nuda eſt inefficax ad transferendum dominium, 377
Tranſactio facta ſuper dolo & ſuper metu valet, dummodò facta ſit ſine dolo & ſine metu, 408
Tumultus vnde dictus, 348
Turpitudinem allegans ſiue ſuam, ſine authoris ſui, ex qua aliquod commodum ſperet, audiendus non eſt, 376

V

VAſallus nihil aliud debet cauere, niſi ne quid faciat contra formam inueſtiturę, 153
Venditio pignoris nulla eſt,per quam fit, nè pactioni ſtetur, 307
Vendere, pignorare,donare,alitérve alienare, prohibitus,non prohibetur teſtamento heredem inſtituere, 49
Verba enunciatiua Notarij probant in antiquis inter eiuſdem partes, etiam inter alias, 27. & 28
cùm Verba non repugnãt, ſufficit vt ſit locus iuris præſumptionibus, 39
Verba potiùs ſunt improprianda, quàm vt nihil operentur: & ſic interpretanda, vt in reſcripto & conceſſione id ipſum contineatur, quod per ſupplicationem petebatur, 47
Verba contractuum non pertinent ad ius teſtandi, 49
Verborum ſolemnitas & differentia in legatis, à Iuſtiniano ſublata, ibid.
*Verba quamtumuis generalia recipiunt interpretationẽ ordinis,ex ordine voluntatis,*72. *generaliter & indiſtinctè ſunt intelligenda,* 228
Verba quæ poſſunt verificari in pluribus gradibus, non ſufficit verificari in pluribus perſonis, 228. *& quæ poſſunt verificari in caſibus etiam funeſtis, & abominabilibus, multò magis in cæteris,* 229. *quæ in aliquo caſu verificari poſſunt, non ob id minùs verificari debent in cæteris omnibus, in quibus poſſunt, ſi ſint generalia,* 230.
Verba diſpoſitionis in quibus caſibus conueniunt,cõuenire debet etiam diſpoſitio, 229
ex Verborum diuerſa conceptione,inducitur diuerſitas voluntatis, 262. *in annot. ſicut ex diuerſitate verborum, probatur diuerſitas voluntatis, ibid.*
à Verborum propria ſignificatione potiùs recedendum eſt, quam vt adiuncta diſpoſitionis ratio violetur, 279
Verba enũciatiua probant inter eaſdem partes, 36. *præſertim contra producentem,* 365.
Verba illa, pro anima iudicandi,*non ſolent apponi niſi cùm de feudo agitur,* 48
Verba, ita tamen,*declarant præcedentia,ità vt ea reſtringant,* 67. & 68
Verba, vſque in infinitum, *ſunt tam aperta, vt non magis poßint admittere cauillationem,quàm reſponſionem vllam,* 77
Verba, in infinitum, *malè ab aduerſariis ſumpta,*82. *ſignificant etiam vltrà ſeptimum gradum,* 83
Verba illa, Feudum acquiri non minus ſucceſſione, quàm inueſtitura, *quid ſignificent,* 89
ex Verbis illis, pro ſe,heredibus & ſucceſſoribus maſculis & fœminis, *feudum quod*

quod anteà fuerat hereditarium, intelligitur factum feudum ex pacto & prouidentia, 160

Verbum, heredibus, *in feudis, intelligitur regulariter de masculis,* 162. *facit feudũ semper hereditarium, nec alias personas complectitur, quàm quæ sunt heredes, & quia heredes, non quatenus heredes, ibid.*

Verba, heredum, *&,* successorum, *debent intelligi de heredibus & successoribus sanguinis,* 277

Verba, quoquo tempore, *denotant perpetuitatem temporis, & extensionem ad omne tempus futurum in infinitum,* 226. *omnia continent tempora,* 232. *&* 245. *illorum vera interpretatio,* 226. 227. *& absurda aduersariorũ interpretatio, ibid. &* 232. 234. 235. 238. *& duodecim alia particularia absurda declarantur à pag.* 238. *vsque ad* 257

Verba, ex suis corporibus, *&,* ex legitimis matrimoniis, *ponderãtur,* 228. *& illa,* si contingat liberos masculos Theodori decedere sine masculis, 231. *& illa,* vel eius liberos masculos ex legitimo matrimonio procreatos, *ibid.*

Verbum, contingeret, *non nisi ad futurum tempus referri debet,* 238

Verbum, liberorum, *est generale, quod comprehendit personas omnes descendentium,* 245.

Verborum, in augmentum, *&,* ex causa dotis, *sensus,* 288

Verba illa, sint & esse debeant pleno iure, *ponderantur,* 290

Verbum (properasse) in l. 2. C. de eo quod met. caus. *ponderatur,* 405

Verbum Cassianum vetus, cui bono? *quoties dubitatur quid à quo factum sit,* 427

Verba illa, tam in Montisferrato, quàm in partib. vltra Tanagrum, *ponderantur,* 449.

Veritas aperta & reperta finem & terminũ disceptationis facit, 21

si Vinco vincentem te, multo magis 178.

Vinculum fortius & potentius ex duo[illegible] *sufficit durare,* 451

Vindicatio competit mulieri soluto matri-monio, pro resticuenda dote, 252

Violanda nupta Aymoni Comiti Sabaudiæ, in dotem habuit Marchionatum Montisferrati, 7. *& ex pacto dotali, successio in Marchionatu aperta fuit Duci Sabaudiæ,* 9. *& sine hoc pacto dotali verisimile est tantum Principem non fuisse ducturum in vxorem Violandam,* 11. *quomodo Violanda succesit in Marchionatu,* 75. *duplex dos data à Theodoro patre, vna purè, altera sub condicione,* 127. *mansisset in perpetuum exclusa, si non fuisset ei conseruata per pactum capacitas succedendi,* 142. *eius condicio non debet esse deterior morientibus posteriorum graduum masculis, quàm si Theodorus, aut primi gradus masculus sine masculis discessisset,* 248. *nunquam fuit exclusa à Marchionatu praecisè & absolutè, sed tantùm suspensiuè,* 175. *&* 181. *quomodo prior vocata, & post eam eius liberi,* 196

Vi, aut metu frustrà dicitur factum fuisse id, quod nec sponte fieri potuisset, 169

Vis, nec metus interuenit in primis pactis, nec in laudo, 356. 357. 367. *nec in iis quæ facta sunt in executionem laudi,* 358. 362. 367. 392. 393.

Vis adhibita, de qua non conqueritur is, qui vim passus dicitur, non nocet, 378

per Vim & metum gestum valet, quo vsque rescindatur à Prætore, 385

Vis & metus non possunt esse sine dolo, 408

nihil interest an per Vim, an per dolum quid admissum sit, ibid.

Vitiosum ab initio, tractu temporis conualescere non potest, 138

Viuentis nulla est hereditas, nullaque successio, 189

Voluntatis diuiſio non debet temerè induci, 44.
Voluntates etiam diuerſæ & diuerſorum temporum interdum contingi poſſunt, vt vna recipiat interpretationem ex altera, 21.
Voluntates hominum auaire volunt & debent Imperatores, non iubere, 224
contra Voluntatem fieri non debet, quod ex voluntate proficiſcitur, 243
Voluntates defunctorum coniicere & æſtimare debemus ex deſideriis viuentium: & deſideria morientium, ex arbitrio viuorum, 250
Voluntates plures plurium ſpecierum coniungi poſſunt, vt ex vna melius intelligatur altera, 255
Voluntas non fertur in incognitum, 300
Vſura dotis, tanquam legitimum intereſſe, etiam iure canonico debentur, 497
Vſusfructus retentio ſola pro traditione eſt, 132.

FINIS.

Errata, quæ ſatis exactam Typographi correctionem effugerunt, ſic emendanda.

In Compendio Facti, Pagina 2. linea 8. *ſubdi viſa ſunt*, lege *ſubdita ſunt* Pag. 14. lin. 19. lege ſe [*vltra pradicta*] P. 30. li. vlt. *diſplicere* Pag. 31. lin. 10. lege *diſcedere*, & li. 25. lege *Italicam* P. 33. lin. 22. *ex praticatis*, lege *& practicat is* Pag. 34. Conſultationis in margine, pro *conceptionis*, lege *conceſſionis* Pagina 62. linea 20. lege *Gozadinum*, & pag. 72. lin. 3. *Gozadino* Pag. 125. lin. 7. *de legat.* adde 2. Pag. 138. in margine, lin. 2. lege *conſtitit* P. 153. lin. 19. lege §. 1. Pag. 188. li. antep. lege *delatione*, & lin. ſeq. *delatio* Pag. 241. lin. penult. *pacto*, lege *facto* Pag. 275. lin. 9. poſt *poſſe*, adde, *ad rem non facit* Pag. 291. lin. 22. *incertus*, lege *inſertus* Pag. 297. in margine, lin. 3. pro *in*, lege *&* Pag. 307. lin. 23. *omnes*, lege *omnis* Pag. 342. lin. 23. *obiicerunt*, lege *obiecerunt* Pag. 347. lin. 16. lege *depoſitio* Pag. 393. lin. 16. poſt *text.* adde *D. de oper. noui nunciat.* Pag. 470. lin. 3. lege *ſeparari.*